TEMPLUM EZECHIELIS, SIVE IN 9. POSTREMA PROPHETAE CAPITA...

Matthias Hafenreffer

Digitized by Google

6
36 N
13

314
C. 3
S. E
O. 3
N. 12

Digitized by Google

Digitized by Google


יהוה שמה
TEM-
PLUM
EZECHI-
ELIS.
M D C XIII.

TEMPLUM EZECHIELIS,

SIVE IN IX. POSTREMA Prophetæ Capita

Commentarius:

NON TANTUM GENVINAM TEXTUS ET EXPEDITAM INTERPRETAtionem, unâ cum Templi, admiranda Spiritus S. cura & ſtudio delineati, Architectonica æneis formis expreſſa:

VERUM ETIAM DE PRÆCIPUIS CHRISTIANAE RELIGIONIS CAPITIBUS jucundas & utiles Meditationes; facilem inſuper de Hebræorum omnium generum Menſuris, Ponderibus ac Monetis, cum noſtratibus comparatam explicationem complectens:

EX PROPHETICA PENU, ET alijs divinarum Scripturarum cognatis oraculis ita conformatus, ut totius Evangelicæ doctrinæ Compendium, & ad quamplurima Scripturarum loca promptè dextrèq; intelligenda juſta Iſagoge haberi poſſit:

In Academia Tubingenſi elaboratus

PER

Matthiam Hafenrefferum, S. S. Theologiæ Doctorem, eiuſdemq; in Academia Tubingenſi Profeſſorem.

Cum Privilegio Electoris Saxoniæ ad decennium ſpeciali.

TUBINGÆ,
Typis Theodorici VVerlini, ſumptibus Iohannis Berneri Francofurtenſis.
ANNO CHRISTI
MDCXIII.

S. BONAVENTURE

DECANVS,

ET COLLEGII THEOLOGICI IN ACADEMIA TVBINGENSI PROFESSORES,

pio Lectori.

IVCVNDA ADMODVM EST, LECTOR benevolentiſſime humaniſſimeq́; doctrina de Eccleſia vera, quam inter tot mundi Sathanaq́; furores & machinationes mirabiliter Deus conſervat. Si enim motus bellici & perſecutiones variæ, quæ Eccleſiæ minantur interitum, ſi religionis corruptela, quibus infeſtatur, ſi diſſidia, quibus perturbatur: ſi offendicula, quibus deformatur, accuratius perpendantur & ad animum revocentur, annon ſæpiuſculè de Eccleſia vera iam actum videtur?

Talis ſæpenumerò Prophetarum temporibus ſtatus fuit Eccleſiæ Dei: ut ex Regum libris & Prophetarum concionibus abundè patet. Magnus certè & conſtans ſinceræ Religionis Hyperaſpiſtes, promotor ac defenſor fuit Rex David: at vivo adhuc illius proximo ſucceſſore, filio Salomone, falſa Religio in populo Dei ſeſe inſinuavit: cùm is in gratiam idolatricarum ſuarum coniugum, ſacella & aras ſuperſtitioni & Idolomaniæ conſecratas, extrui permitteret: quo nomine Deum offendit graviſſimè. Salomone rebus humanis exempto, & Regno propter eius inconſtantiam in religione iam diſtracto, idolatria ſub Ierobeamo non ampliùs per occultos alveolos aut canales abſconditos, ſed pleno in populum Dei exundavit flumine: neq́; vel unus inter Ierobeami ſucceſſores (Reges Iſraeliticos) erat, qui de cultus inſtauratione, Religionis emendatione, aut Eccleſiæ reformatione cogitationem ſuſciperet. Regnum verò Iuda in varias, quoad Religionis negotium, ſeſe mutavit formas: dum alii Reges ad Regnum Iſraelis ſeſe conformarent, & vel manifeſtè idolatricū cultum amplecterentur, vel in utrumq́; latus claudicarent: alii reformationem ſuſciperent & abrogatâ Idolomania, verum Dei cultum reſtituerent. Inter quos pios Reges præcipuum locum tenuerunt Ioſaphat, Ezechias & Ioſias, qui ad ultimum uſque vitæ ſuæ terminum, veram Religionem conſtanter non modò profeſſi ſunt, ſed eandem ad poſteritatem quoque propagare ſtuduerunt.

Interim de Eccleſia Dei (in regno etiam Iuda) tàm benè nunquam actum fuit, ut non occultè ſerperet Idolomania, & publicè in moribus horrenda graſſarentur offendicula: quibus Deus permotus, omnis generis pœnas graviſſimas, tandem etiam Aſſyriacum & Babylonicum exilium populo ſuo immiſit, quorum temporibus ſanè triſtiſſima fuit Eccleſiæ facies.

Semper tamen in irâ, miſericordiæ ſuæ memor fuit Dominus. Vnde Prophetas miſit, qui & exilii cauſam oſtenderent, & conſolando eiuſdem calamitatem & acerbitatem mitigarent. Idem Propheta præſtitit Ezechiel. Cùm enim urbe Ieruſalem à Babyloniis capta, & populus Iudaicus iam in captivitatem abductus eſſet, adeoque Eccleſia Dei prorſus interitura videretur, iucunda viſione prophetica, quæ reſtitutionem Eccleſiæ & propagationem regni Chriſti (ſub typo novi ædificii, templi & Vrbis ſanctæ) ſignificaret & adumbraret, populum ſuum conſolari Deus voluit. Vidit igitur Propheta (à cap. 40. uſque ad finem libri) in Spiritu novum templum, cum inſtrumentis novis, ad cultum divinum pertinentibus. Nova vidit Sacerdotum officia: novam & ampliſſimam, magnificentiſſimeq́; extructam Ieroſolymam: novam templi diſpoſitionem: nova Sacerdotum cœnacula, habitumq́; novum: Templi novi maieſtatem: novi ſanctuarii ſpatium: novam quoque terræ ſanctæ (in ſuas portiones) diſtributionem: & quæ ſunt id genus alia. Quæ omnia ſtatum, formam, conditionem & fortunam Eccleſiæ Dei in Novo Teſtamento, deſignarunt, & gratiæ regnum (à quo tranſitus fit ad regnum gloriæ, ab Ezechiele quoque non minùs, quàm à Iohanne in Apocalypſi) eleganter expreſſerunt.

Cæterùm, ut in iſtis deſcribendis præclarè officio ſuo ſunctus eſt Ezechiel, ita piis & eruditis opus eſt Theologis, qui interpretandi dono inſtructi, propheticas illas viſiones dextrè exponant & ad uſum idoneum ac ſalutarem transferant. In eorum certè numero, citra omnem dubitationem eſt Reverendus & Clariſſimus Vir, Dominus MATTHIAS HAFENREFFERVS S. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academia Tubingenſi celeberrimus, Collega & frater noſter dilectiſſimus: qui præmemoratas Ezechielis viſiones ingenioſa & ſubtili (ſimul autem fidei Orthodoxæ analoga) interpretatione ſic illuſtravit, ut & genuinum Prophetæ ſenſum exhibuerit, & ſalutares doctrinas (quæ viſionum iſtarum uſum oſtendunt) graviter & eleganter admiſcuerit: additis inſuper pulchris ſchematibus & tabulis, quæ textui non parùm lucis afferunt, & Lectorem in rem quaſi præſentem ducunt.

Tanti igitur Viri tàm eximium & ſanctum laborem intelligens Lector gratus agnoſcat: eoq́; ſic utetur, ut inde in fide & vita ædificetur, ac Omnipotentis gloria dehinc illuſtretur: nec ſuſpiria grata pro Domini Authoris longæva incolumitate omniq́; proſperitate unquam deſint: quod faxit Sacroſancta Trinitas. Amen. Scriptum 20. Iunii, Anno 1613.

ILLVSTRISSIMO CELSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. IOHANNI FRIDERICO, DVCI

WIRTEMBERGICO AC TECCIO, COMITI MONTISPELIGARTI, DOMINO IN Haidenheim, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

PLVRIMO, ILLVSTRISSIME *Celſiſſimeq́ Princeps*, eoque gravi in errore verſantur, quicunque Templum Ezechielis, hoc eſt, vltimum Prophetæ vaticinium, poſtremis libri novem Capitibus comprehenſum, vel propter obſcuritatem, nimis ab notitia ſtudioq; noſtro remotum, vel propter Argumenti rationem, quod veteres ſolùm Hebræos ſpectare putant, à noſtrorum temporum Scholis Eccleſijsque peregrinum eſſe, rerum graviſſimarum non ſatis intelligentes, præcipitato iudicio arbitrantur.

Licet enim præſens vaticinium, tùm propter Hebraicæ dictionis, in argumento maximè inuſitato, mirandam brevitatem, tùm propter maximarum graviſſimarumque rerum, quę breviſſimo unius vaticinij complexu tenentur, abundantem copiam & varietatem, tantâ certè ſummâ ac propè incredibili difficultate & obſcuritate ſit involutum, quantâ ferè alius ſcripturarum locus, tàm prolixus maximè & copioſus nullus reperiri poſſe videatur: non tamen de cognitionis, & cœleſtis ibidem propoſitæ veritatis inveſtigatione ocyus eſt deſperandum, cuiuſmodi cogitationes *(fateor enim)* meum quoque animum propè fregiſſent.

Digitized by Google

Poſteaquam enim, gratiâ divinitùs mihi conceſsâ, & pro muneris ratione, quo iam in inclyta hac Vniverſitate, Domino benedicente, per viginti vnum & ampliùs annos, publico fungor, Minorum Prophetarum plures, & Maiores, ita dictos, antecedentes omnes, Scholaſticæ juventuti interpretando abſolviſſem, atque in Ezechielis Prophetæ vaticinijs, vſque ad ultimum hoc perveniſſem: difficultate & multiplici rerum obſcuritate perterritus, totum vaticinium vel ſaltu præterire, & piam fateri ignorantiam, vel pauciſſimis duntaxat verbis ſupremas rerum aliquot ſummas perſtringere, ferè mecum decreveram: Beato Hieronymo, *meliùs eſſe de huiuſmodi rebus nihil, quàm parùm dicere*, jam jam ſubſcripturus.

Cùm autem Propheticum textum iterùm atque iterùm verſarem, in eoque Dominicas repetitas exhortationes, quibus Monſtrator ad ſummam diligentiam & ſtudium Prophetam excitaret, animo haud ſomnolento adverterem; qualis eſt illa, Cap. 40. v. 4. *Et dixit ad me vir ille: Fili Hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in OMNIA, quæ ego oſtendam tibi: Nam vt oſtenderem tibi adductus es huc; indica OMNIA, quæ tu vides domui Iſraël.* Et illa, Cap. 43. v. 10. *Tu Fili Hominis, annuncia domui Iſraël, domum iſtam, vt confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur OMNEM diſpoſitionem. Vt confundantur,* inquam, *propter omnia quæ fecerunt: Figuram domus, & diſpoſitionem eius, exitus & introitus eius, & OMNEM deſcriptionem eius, cum OMNIBVS formis eius, & VNIVERSA præcepta eius, CVNCTVMque ordinem eius, & OMNES leges eius oſtende eis, & ſcribes ante oculos ipſorum, vt cuſtodiant OMNEM formam eius, & OMNIA ſtatuta eius, vt faciant ea.* Cuius generis plura recurrunt cap. 44. 5. Cùm, inquam, has iteratas, & tertiatas, atque ſæpiùs ac ſæpiùs ingeminatas exhortationes legerem, quibus Propheta, non tantùm ut ipſe ſolus CVNCTA diligenter animadverteret, ſed OMNIA & SINGVLA,

Digitized by Google

GVLA, quanto poſſet ſtudio & ſedulitate, Domui Iſraëlis indicando interpretaretur, admonitus excitatusque fuit: non committendum eſſe putavi, conſcientiâ etiam vellicante, ut vel ſaltu tranſilire vaticinium, vel generalia tantùm delibare anniterer: quin omnia iſthæc, quæ Prophetæ à Monſtratore dicta eſſent, mihi quoq;, licet omnium famulorum omnium Prophetarum minimo, & qui Ezechielis calceamenta geſtem indigno, Mihi, inquam, ipſi dicta quoque iſthæc mandataque omnia arbitratus, & continenter aures meas haſce voces circumſonare viſus ſum: *Fili Hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi. Nam ut oſtenderem tibi adductus es huc, indica OMNIA, quæ tu vides domui Iſraël.*

Quæ omnia hoc maioris etiam ponderis atque dignitatis eſſe ſtatuebam, quòd non Veteris Teſtamenti antiquatas umbras, ſed Novi, adeòque Euangelicæ doctrinæ ſalvificam veritatem, omnesq; Chriſtianæ doctrinæ divitias atque Theſauros, (id, quod paulò pòſt luculentiùs docebitur) ſchematibus atque picturis iſtis, proponi nobis, depingi & illuſtrari cognoſcerem. Summam igitur & deteſtandam ingratitudinem exiſtimabam, ſi quod Deus Opt. Max. maximo Eccleſiæ poſtremi noſtri ſeculi bono, paterna benignitate, revelaſſet, Propheta quoque ineffabili diligentia & ſtudio, quod in tanta rerum multitudine & varietate, quas unica viſio multiplices cumulatasque complectitur, nemo pius ſatis admirari poteſt, conſignaſſet: nos tempori, moleſtijs, laboribusq; parcentes, res obſcuras quidem & difficiles, iucundiſſimas tamen & maximè utiles, non debitâ ſatis, nec pertinaci ſatis & cõſtanti diligentiâ atq; ſtudio vellemus rimari.

Ad hunc modum excitato, ſpem & animum mihi, diuinæ promiſſiones addiderunt, *Fili Hominis, ut oſtenderem tibi, adductus es huc:* ut oſtenderem tibi, ad hoc etiam vaticinium commentando perveniſti. Et illud Servatoris: *Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt, quæ de*

de me teſtificantur. Et illud: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur.* Et illud: *Si vos, qui mali eſtis, poteſtis bona dona dare filijs veſtris, &c. quantò magis Pater cœleſtis Spiritum Sanctum dabit petentibus ipſum.*

Nihil etiam dubitabam, neque adhuc dum quicquam dubito, quin ideo Dominus monſtraſſet Templum hoc Ezechieli, & ita demonſtraſſet, ut & ipſe vates omnia intelligere, & populus cui ſingula iſthæc indicanda fuerunt, omnium felicem notitiam, ad ſalutem & ædificationem comparatam, aſſequi poſſent. Non enim Scripturæ Sacræ Delphica ſunt oracula habenda, tot inexplicabilibus tricis & lubricis ambiguitatibus involuta, ut à nemine nec poſſint nec debeant cognoſci: Sed quæcunque ſcripta ſunt, in eum finem ſcripta ſunt, ut uſus eorum ſit *ad docēdum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.*

Quòd autem non omnia in ſcripturis eiuſdem perſpicuitatis & facilitatis ſunt, id ſingulari Domini & prudentiſſimo conſilio factum eſt: quo & infirmitati noſtræ mederi, & torpeſcentium faſtidio occurrere voluit. Si enim in ſcripturis omnia vbique plana & expedita eſſent, facilis Lectori ſatietas & faſtidium exoriri: ſin obſcura & intricata omnia, difficultatis ſuperandæ metus & deſperatio deterrere poſſet.

Tandem omnis felicis interpretationis caput princeps conſt[illegible]uebam; Spiritum Sanctum, qui per Ezechielē & alios viros ſanctos loquutus eſſet, tantæ etiam promptitudinis eſſe hodie, ad monſtrandum veras vaticiniorum & reliquis Scripturis vbique analogas interpretationes, quantę bonitatis olim fuiſſet, ad vaticinia revelandum. Inde dubium relinqui nullum poſſe, eundem in vota laborum preceſque vocatum, nulli piorum defuturum eſſe.

Sic animatus ego armatuſque in commentationes Templi Ezechielis, quas Celſ. Tuæ, iam hâc formâ hiſq; ſculptis figuris adornatas humiliter offero, primùm

Digitized by Google

mùm ingreſſus ſum,& dum ad vmbilicum perducerentur eadem ſemper veſtigia preſſi, nuſquam vnquam aliorſum divagatus: vnde de ſpe mea & animo ſanè inter omnes conſtarę poteſt: quid præſtitum autem,id Celſ. Tuæ,omniumq; piorum ſyncero ſanoq; iudicio definiēdum relinquo: Hoc vnum publicè profitendo: ſicut monſtroſæ illius ſtoliditatis non ſum, quòd omnia me in hac miranda viſione abdita myſteria, vel monſtrâſſe vel leuiter etiã tetigiſſe exiſtimem. Hoc enim vires humanas huius ſeculi excedere, ſuis locis iterùm atque iterùm clarè ſum eloquutus: ſic in eam pietatis & chriſtianæ charitatis ſpem firmam erectus ſum, me Domini adiutum gratiâ, aliis maiora & nobiliora meditandi, fortè nõ prorſus nullas aut inutiles lineas duxiſſe. Et hæc quidem de difficultate & obſcuritate vaticinij.

Alterum Errorem illorum eſſe dixi, qui vaticinium ſeu Templum noſtrum Ezechielis, ad Hebræorum olim Rempublicam, adeoq; Veteris Teſtamenti tempora ſtatumque pertinuiſſe, à noſtris verò Eccleſijs ſcholiſque Argumentum hodiè alienum & peregrinum eſſe, imperiti & rerum Theologicarum valdè inexperti opinantur: quos ego, cùm quid ſentiant, dicant aut ſtatuant ipſi ignorent, toto cœlo errare intrepidus & propalàm pronuncio.

Templum namque Ezechielis, non Veteris, ſed Novi Teſtamenti Eccleſiæ, delineatio atque pictura eſt: neque Leviticum cultum, qui breviſſimis Iudææ terminis circumſcriptus, futurorum bonorum vmbras duntaxat habuit, ſed ipſius florentiſſimi Regni Chriſti, quod ijſdem cum orbe cardinibus panditur, adminiſtrationem, divitias atq; theſauros nobis deſcribit. Qua de re in ipſo Commentario copioſæ habentur & firmæ immotæque demonſtrationes.

Vnde pijs omnibus manifeſtum evadit, quantæ non tantùm dignitatis, ſed & vtilitatis & commodi ſint, omnes de Templo noſtro Prophetico commentationes & meditationes. In atrijs namque huius

Templi

Digitized by Google

Templi verſantes, non in alienis regionibus peregrinamur, non cultum Leviticorum ſpectatores ſumus, ſed in media Eccleſia Chriſtiana agimus, omnia Dei, omnia Salvatoris beneficia, omnesq; officiorum noſtrorum partes, elegantiſſimis figuris depictas adeoque totum Chriſtianiſmum; in hoc Templo expreſſum, iucundiſſimis ſpectaculis contemplamur.

Cùm enim, quæcunque ad Regnum Chriſti, eiuſque felicem gubernationem & adminiſtrationem pertinent, in hæc duo capita tribui rectè poſſint; quorum alterum veræ cognitionis Dei fideique puram ſynceritatem, alterum pietatis exercitium vitæque omnium fidelium ſanctam integritatem complectitur: illa vtraq; certè in hoc Templo Prophetico, ſive vltimo Ezechielis vaticinio, tàm imaginibus & picturis, quàm verbis pulcerrimis, admirandùm copioſa brevitate elegantiſſimè pertractantur.

Ad *prius* illud quod attinet, ad cognitionem videlicet rerum ſacrarum, dici non poteſt, quanta maxima, quamque ſacratiſſima & profundiſſima divinæ cognitionis myſteria, in hac viſione noſtra Prophetica abdita lateant, & Spiritu Domino duce, feliciſſimè eruantur.

Hîc enim cardinalis ille & omnium maximè princeps Articulus, de Deo & adorandæ Sacroſanctæ Trinitatis myſterio tractatur: quem videt Propheta adventantem ad Eccleſiam ſuam, gloriâ replentem domum; & è domo de rebus diviniſſimis ſibi audit loquentem. Cap. 43. v. 2. 3. & ſeqq.

Hîc Articulus traditur de Providentia & gubernatione divina rerum omnium, maximè verò fidelium cuſtodia & directione. Quem enim viderat priùs Propheta abeuntem à populo impio & contumaci, iam ad Eccleſiam videt revertentem, totam domum, omnesque leges & ſtatuta eius renovantem, miſericordias & benignitates ſuas de novo repetentem, & ex perpetua ac nunquam intermiſſa præſentia & guberna-

bernatione ſua, novum audit novæ civitatis nomen proclamari, DOMINVS IBI. Cap. 43. 3. & 48.35.

Prolixa autem & principalis hîc tractatio eſt, de CHRISTO & Eccleſia eius. Nulla enim ferè de Chriſti, vel perſona vel officio atque beneficijs, nulla etiam de Eccleſiæ chriſtianæ ſtatu, conditione, privilegijs, aut quibuſcunq; alijs capitibus quæſtio oriri poteſt, cuius in hoc vaticinio, non pulcerrimam habeamus definitionem, vel verbis enunciatam, vel picturis elegantiſſimis expreſſam. Hic enim de volũtate Dei miſericordiſſima, omnes homines per Chriſtum ſalvari deſiderantis: Hîc de abſolutiſſimo & perfectiſſimo Chriſti merito, pro peccatis omnium hominum, totius mundi præſtito: Hîc de planiſſima & pleniſſima vocatione omnium hominum, ad ſalutem per fidem in Chriſtum. Quibus omnibus de rebus in ipſa Æde ſacra, in Templi omniumque atriorum & portarum, Altaris quoque diſpoſitione, ſtatutis & legibus, ſicut etiam in ipſa diviſione terræ ſanctæ, vbi nec advenarum quiſquam negligi poteſt, pulcerrimæ & jucundiſſimæ nobis picturæ atque oculares conciones proponuntur. Quæ res cùm omnium propè capitum Argumenta exhauriant, earundem latiſsimè quoque patet tractatio. Sed nimis etiam longum & latum foret, ſi de ambitu extremo, de atriorum gradibus & differentia, de ædibus Cantorum & Sacerdotum, de culinis, de aula poſtica, & alijs Templi partibus, omnes in hunc locũ cumulare velim locos Theologicos, quos de graviſsimis rebus, graviſsimos & vtiliſsimos Commentarius ipſe exhibebit: ſufficiat in præſens, vno & altero exemplo, quàm dives ſit vaticinium noſtrum propheticum profundiſsimorum Theologiæ myſteriorum demonſtraſſe.

Poſterius Chriſtianiſmi Caput eſt de virtutum chriſtianarum exercitio, & piorum in vita & moribus fideli ſanctaque integritate. Hîc verò miranda rurſum brevitate omnium Ordinum & Conditionum homi-

hominibus REGVLÆ vitæ præſcribuntur: quibus quiſque rebus piè ſtudere, quibus viciſsim peccatis & ſceleribus, omnes ſanctæ civitatis incolæ, hoc eſt, omnes Eccleſiæ chriſtianæ cives abſtinere atque in civitate ſancta, ſanctè omnes converſari debeant.

Vbi primùm omnium de prioribus admiſsis corripiuntur, corriguntur & caſtigantur Sacerdotes & Levitæ. Periculoſiſsimus enim rerũ ſtatus eſt, quando Eccleſiæ verbiq́; cœleſtis miniſtri, vel in doctrina impuri, vel in vita moribusq́; polluti ſunt. Deponuntur igitur ab officio, qui & idololatriâ ipſi infecti, & ſuis exemplis populi corruptores & ſeductores fuerunt cap. 44. v. 6. & ſeqq.

Reliquis, qui officio Eccleſiaſtico digni habiti, muneribus ſuis in Eccleſijs funguntur, vaticinium noſtrum vitæ Regulas pręſcribit, ſecundùm quas, omnibus officij ſui partibus defungantur: Ex illis ſunt:

Miniſtri Eccleſiæ res ſacras ſacra Religione tractanto.

Corporis cultum ad modeſtam gravitatem moderantor.

Sobrietatem & temperantiam ſtudioſè colunto.

Matrimonia non niſi honeſta & certa contrahunto.

Verbi cœleſtis veritatem fideliter docento, falſa dogmata ſtrenuè refutanto.

Et quæ ſunt id genus Regulæ & præcepta alia, Eccleſiæ miniſtris promulgata, vt illis vitam moresq́ue ſuos conforment: quæ omnia videre eſt Cap. 44. v. 17. & ſeqq.

Proximè, vaticinium noſtrum propheticum, Regulas exponit, quas pij Principes & Magiſtratus, quiſque in ſua adminiſtratione & gubernatione rerum obſervare debent: Ex illis ſunt etiam ſequentes:

Principes populum ne opprimunto.

Jus & Juſtitiam exercento.

Primam ſollicitudinem & curam rerũ ſacrarum habento

Cultus & miniſterij verbi divini ſynceritatem promovento, libertatem neutiquam cohibento.

In rerum ſacrarum ſtudio & devotione, Principes tàm ſubditis, quàm aulicis, laudatis ſuis exemplis præeunto.

Et quę ſunt aliæ plures, in capp. 45. & 46. deſcriptæ.

Nec

Nec minore diligentia reliquis omnibus Chriſtianis leges & præcepta vivendi præſcribuntur, breviſſima quidem, ſed ita prægnantia, & ſuccincta in brevitate ſic abundanter copioſa, vt omnes omnium virtutum chriſtianarum numeros, breviſſimo nexu cõplectantur: ex illarum legum catalogo ſunt pauciſſimæ ſequentes:

Omnibus Chriſtianis, omnibus vbique dolis, impoſturis & fraudibus graviſſimè interdictum eſto.

Cultum ſacrum conſervare & propagare tenentor omnes.

Concionibus ſacris quotidiè emendantor.

Virtutes chriſtianas ſingulis momentis exercento, colunto.

Et quæ ſunt id genus aliæ in cap. 45. v. 10. & ſeqq. & cap. 47. 12.

Hiſce ita breviter delineatis, omnibus dilucidè perſpicuum eſſe arbitror; Templum noſtrum Ezechielis, totius Theologiæ ſacræ Compendium quaſi ſive Enchiridion haberi poſſe: quicquid enim vel ad fidei chriſtianæ puram ſynceritatem, vel ad morum fidelium ſanctam integritatem requiri poteſt, id omne ferè ex hac vnica Ezechielis viſione poſſumus edoceri, quarum omnium rerum intelligentia, iam tantò eſt jucundior, quantò in magnis difficultatum obſcuritatibus latuit profundior.

TVÆ verò Celſitudini, Illuſtriſſime & clementiſſime Princeps, hunc in Templum Ezechielis Commentarium, inſcribere & dedicare ego humiliter volui; non ideo tantùm, ut eidem muneris mei, quo in hac inclyta Vniverſitate publico fungor, rationes redderem: verùm vt pro plurimis & maximis eiuſdem, in me meoſq; immeritos, quibus quotidiè fruimur beneficijs, publicũ & perenne extaret gratitudinis meæ teſtimonium: Cumprimis verò, quia TEMPLVM hoc EZECHIELIS, terſiſſimum ſpeculũ, elegantiſſimaque ſimul pictura & imago eſt TOTIVS CHRISTIANISMI, demonſtrãs nimirùm quid credere, quid falſorũ dogmatum fugere & abominari, quam deniq; omnes omnium conditionum homines vitam vivere, quas officij partes exequi, quas virtutes

):( ):(colere,

colere, quæ vitia vitare & deteſtari, vbique omnes debeamus? Hoc equidem nomine, & Celſitudini Tuæ; & pijs omnibus hoc Ezechielis Templum gratum futurum humiliter, pieque ſpero, ut quæcunque in Eccleſijs & Politijs florentiſſimi huius Ducatus VVirtembergici, ſecundùm normas, diſpoſitiones ſtatuta & leges ſanctiſſimi huius Templi, & conſtituta ſunt & fideliter obſervantur, congratulari ſibi & hilari conſcientiâ exultare poſſit Celſ. Tua, ſicuti in pluribus & maximis divinis bonis congratulamur & gaudemus pij & grati cives omnes: ſi quid autem ſit, quod nondum ad omnes ſanctiſſimi huius Templi normas, vbique quadret *(ut nihil in terris ex omni parte beatum perfectumq́ eſt)* haberet Celſ. Tua, præter reliquas divinas præceptiones, etiam huius templi diſpoſitiones ac leges, quibus cum, quæcunq; variant, ſint conformanda. Sic Ezechiel munere ſuo indicatorio probè defunctus, ſic IEHOVA Gubernator & Rex Templi Prophetici paternè placatus: Sic nos civitatis ſanctæ, incolæ ſancti, jam in terris felices, & olim in Aula illa beatitatis æternū felices & beati futuri ſumus: Quam huius & alterius ſeculi felicitatē, Celſ. Tuæ, eiuſdḗq; lectiſſimæ illuſtriſſimæq; Coniugi, & dulciſsimis pignoribus, Illuſtriſs. ſimul Dominæ Matri, DD. Fratribus atq; Sororibus, adeoq; toti Domui VVirttembergicæ, patriæ dulciſsimæ chariſsimæq; Omnibus denique piis & fidelibus, ſacratiſsimi huius Templi vivis membris, per eiuſdem fundatorem, Rectorem & Caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre & Spiritu S. æternus honos, toto pectore precor optoque. Scripſi Tubingæ 6. Auguſti, Anno ſaluti-feri partus 1613.

Celſitud. Tuæ

humilimus

Cliens

Matthias Hafenreffer, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor ibidem.

Digitized by Google

AVCTOR
LECTORI
Salutem.

IN argumento difficili & obſcuro, termini Architectonici nec commodè ſatis, nec rebus ipſis congruenter vbique redditi, negotium magis obſcurârunt: In tui igitur & maioris vaticinio lucis conciliandæ gratiam, novam Commentario Verſionem præmittere, ſimulq; hoc, illam Argumento quidem, & menti Prophetæ conſentaneam, non vbique tamen, verbotenus correſpondentem eſſe (cùm Latinam; non Hebraico-Latinam, dare fuerit animus) monere volui.

CAPVT XL.
Ezechielis.

1.

VICESIMO quinto anno tranſmigrationis noſtræ, in principio anni, decima menſis, quarto decimo anno; poſtquam percuſſa fuerat Civitas; ipſo illo die fuit ſuper me manus Domini, & deduxit me illuc.

2. *In viſionibus Dei duxit me in terram Iſrael, & ſiſtit me ſuper montem excelſum valdè, ſuper quem erat quaſi ſtructura civitatis à meridie.*

3. *Et cùm duxiſſet me illuc; ecce virum, cuius adſpectus, ſicut adſpectus chalybeus, & funiculus lineus in manu eius, & calamus menſuræ, & ſtabat in porta.*

4. *Et dixit ad me vir ille; Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi: Nam vt oſtenderem tibi adductus es huc; indica omnia, quæ tu vides, domui Iſraël.*

5. *Et ecce, murus forinſecus, in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum, in cubito &*

palmo, & menſus eſt latitudinem illius ſtructuræ muri *calamum vnum, altitudinem quoque calamum vnum.*

6. *Et venit ad portam orientalem, & aſcendit per gradus eius, & menſus eſt limen illius portæ calamum unum latitudinem, & limen alterum calamum vnum latitudinem.*

7. *Et thalamum* vnumquemque *vnum calamum longum, & vnum calamum latum, & inter thalamos quinque cubitos, & limen portæ iuxtà veſtibulum portæ intrinſecus, calamum vnum.*

8. *Et menſus eſt veſtibulum portæ intrinſecus calamum vnum.*

9. *Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum, cum liminibus* ſive frontiſpicijs, *binorum cubitorum veſtibulum nempe portæ intrinſecus.*

10. *Porrò thalami portæ Orientalis, tres hinc, & tres inde: menſura eadem tribus illis, & menſura eadem liminibus ex vtraque parte.*

11. *Et menſus eſt latitudinem oſtij portæ decem cubitos, & longitudinem* ſive altitudinem *portæ tredecim cubitos.*

12. *Et terminus ante thalamos cubiti vnius hinc, & vnius cubiti terminus inde: thalamus autem* quilibet *ſex cubitorum erat hinc, & ſex cubitorum inde.*

13. *Et menſus eſt à porta, à tecto thalami vnius, vſque ad tectum alterius, latitudinem viginti quinque cubitorum: oſtium contra oſtium.*

14. *Et fecit ſuperliminaria ſexaginta cubitorum, & ſuperliminare Atrij circumcirca portam.*

15. *A fronte autem huius ingreſſus, vſque ad frontem veſtibuli portæ interioris,* menſus eſt *quinquaginta cubitos.*

16. *Et feneſtræ clauſæ in thalamis, & in frontibus eorum intrinſecus circumcirca portam: ſimiliter & in veſtibulis feneſtræ circumcirca intrinſecus, & in limine palmæ.*

17. *Et introduxit me in atrium extremum, & ecce cellæ & pavimentum ſtratum iſthuic atrio circumcirca; triginta cellæ in pavimento.*

18. *Et pavimentum hoc ad latus portarum, è regione longitudinis portarum, erat pavimentum inferius.*

19. *Et menſus eſt latitudinem à fronte portæ infimæ, ad frontem*

Digitized by Google

*ſrontem portæ atrij interioris extrinſecus , centum cubitos ad
orientem,& ad Aquilonem.*
*20. Portæ quoque Aquilonaris in atrio extremo , menſus
eſt tàm longitudinem, quàm latitudinem.*
*21. Et thalamos eius tres hinc & tres inde , & frontem
eius & veſtibula eius ſecundùm menſuram portæ prioris,quin-
quaginta cubitos longitudinem eius , & latitudinem viginti
quinque cubitos.*
*22. Feneſtræ quoque eius , & veſtibula eius & palmæ eius
ſecundùm menſuram portæ Orientalis : & ſeptem graduum
erat adſcenſus eius,& veſtibulum ante eam.*
*23. Et porta atrij interioris, contra portam Aquilonarem
& Orientalem : & menſus eſt à porta uſque ad portam cen-
tum cubitos.*
*24. Hinc deduxit me verſus Meridiem,ad portam Au-
ſtralem,& menſus eſt limina eius, & veſtibula eius ſecundùm
menſuras ſuperiores.*
*25. Cuius feneſtræ & veſtibula circumcirca , ſicut feneſtræ
ſuperiores : quinquaginta cubitorum longitudine,& latitudi-
ne viginti quinque cubitorum.*
*26. Gradus quoque ſeptem adſcenſuum eius, & veſtibula
anteriora,& palmæ, vna hinc,& altera inde in limine eius.*
*27. Et ad portam atrij interioris auſtralem , menſus eſt à
porta auſtrali,* atrij extremi,*centum cubitos.*
*28. Et duxit me ad atrium interius , per portam Auſtra-
lem , & menſus eſt portam hanc Auſtralem , ſecundùm men-
ſuras eaſdem.*
*29. Thalamos eius , & limina eius,& veſtibula eius , iiſ-
dem menſuris , & feneſtras eius , & veſtibula eius in circuitu
quinquaginta cubitos longitudinem , & latitudinem viginti
quinque cubitos.*
30. Ita veſtibula circumcirca longitudine ſunt *quinqua-* *De hac verſione verſ. 30. vide infrà pag. 125. Hu.*
ginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.
*31. Et veſtibula eius ad atrium exterius , & palmæ in li-
mine eius,& octo gradus adſcenſus eius.*
*32. Et duxit me ad Atrium interius , per viam Orienta-
lem,& menſus eſt portam ſecundùm menſuras ſuperiores.*
33. Thalamos eius & limina eius,& veſtibula eius ſecun-

 dùm

dùm menſuras illas, & feneſtras eius, & veſtibula eius in circuitu, longitudinem quinquaginta cubitos, & latitudinem viginti quinque cubitos.

34. *Et veſtibula eius verſus atrium exterius, & palmæ in limine eius hinc & inde, & octo gradus adſcenſus eius.*

35. *Adduxit quoq; me ad portam Aquilonarem, & menſus eſt ſecundùm menſuras illas.*

36. *Thalamos eius, limina eius, & veſtibula eius, & feneſtras eius per circuitum, longitudinem quinquaginta cubitos, & latitudinem viginti quinque cubitos.*

37. *Et veſtibula eius verſus atrium exterius, & palmæ in liminibus eius hinc & inde: & octo gradus aſcenſus eius.*

38. *Et ſingulæ cellulæ, atque oſtium eius, in liminibus portarum, ibi lavabunt holocauſtum.*

39. *Et in veſtibulo portæ huius, duæ menſæ hinc, & duæ menſæ inde, ut mactetur ſuper eas holocauſtum, & pro peccato, & pro delicto.*

40. *Et ad latus exterius, ubi aſcenditur ad oſtium portæ Aquilonaris duæ menſæ, & ad latus alterum, quod in veſtibulo portæ, duæ menſæ.*

41. *Quatuor menſæ hinc, & quatuor menſæ inde: per latera portæ octo menſæ, ſuper quas mactabunt victimas.*

42. *Quatuor autem menſæ ad holocauſtum, de lapidibus cæſis: longitudine cubiti unius & dimidij, & latitudine cubiti unius & dimidij, & altitudine cubiti unius: ſuper quas ponant inſtrumenta, quibus immolatur holocauſtum & victima.*

43. *Et lapides focarij palmi unius, in domo circumcirca: ſuper menſuras autem carnes oblationis.*

44. *Tandem ab extra ad portam interiorem, cellas Cantorum* vidi *in atrio intimo, alteras in latere portæ Aquilonaris, ſpectantes Meridiem verſus, alteras in latere portæ Orientalis, ſpectantes verſus Aquilonem.*

45. *Et dixit ad me, hoc cubiculum, quod reſpicit Meridiem, Sacerdotum eſt, cuſtodientium cuſtodiam Domus.*

46. *Cubiculum quod reſpicit ad Aquilonem, Sacerdotum eſt, cuſtodiētium cuſtodiam altaris: iſti ſunt filij Tzadoc, qui accedunt de filijs Levi ad Dominum, ut miniſtrent ei:*

47. *Et menſus eſt hoc atrium, longitudinem centum cubitos*

Digitized by Google

bitos, & latitudinem centum cubitos: quadratum & altare ante faciem Templi.

48. Et duxit me ad veſtibulum domus, & menſus eſt limen veſtibuli quinque cubitorum hinc, & quinque cubitorum inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

49. Longitudinem autem veſtibuli viginti cubitorum, et latitudinem undecim cubitorum, cum gradibus, quibus aſcenditur ad illud, & columnæ erant ad limina, una hinc, & altera inde.

CAP. XLI.

1. H*INC duxit me, ad ipſum Templum, & menſus eſt limina, ſex cubitos latitudinem hinc, & ſex cubitos latitudinem inde, latitudinem* nempe *tentorij.*

2. Latitudinem autem portæ decem cubitos, & latera portæ quinque cubitos hinc, & quinque cubitos inde, & menſus eſt longitudinem eius quadraginta cubitos, & latitudinem viginti cubitos.

3. Et introgreſſus intrinſecus menſus eſt limen portæ duos cubitos, & portam ſex cubitos, & latitudinem portæ ſeptem cubitos.

4. Menſus quoque eſt longitudinem eius viginti cubitos, & latitudinem viginti cubitos, ante faciem templi, & dixit ad me: Hoc eſt ſanctum ſanctorum.

5. Menſus itidem eſt parietem domus ſex cubitos, & latitudinem exedrarum quatuor cubitos, circumcirca domum undique.

6. Thalami autem ſive exedræ ambitus, *ſinguli ad alteros trini triginta vicibus: ita quidem, ut venientes in parietem domus, Thalami circumcirca hæreant* ſuffulti pariete, *non autem hæreant* inſerti *in parietem.*

7. Hinc Thalamorum iſthæc ſtructura, *eò magis dilatatur, quò ſuperiore parte appendices illæ domũ circundant: Latitudo enim* creſcit *pro domus altitudine: Et ſic* latitudo *ima aſcendit ſupra altiorem per mediam.*

8. Sic deprehendi in domus altitudine circumcirca trabeationes thalamorum complere calamum ſex cubitorum, uſq; ad alam:

9. *Latitudinem autem parietis, qui in ambitu illo eſt extremus,* menſus eſt *quinque cubitos, totidemq́ areæ puræ appendicum, pertinentium ad domum.*

10. *Atque hinc inter cubicula, ſive ædes Sacerdotum* menſus eſt *latitudinem viginti cubitos, ſpectantes ad domum circumcirca.*

11. *Oſtium denique ambitus,* ſeu ſtructuræ illius lateralis, *in aream illam puram, alterum Aquilonare, alterum meridionale, et latitudinem illius areæ puræ,* menſus eſt, *quinque cubitos circumcirca.*

12. *Tandem* menſus eſt, *ædificium è regione ſegmenti* areæ *ſeparati, occidentem verſus, latitudinem ſeptuaginta cubitos: & parietem ædificij, quinque cubitos latum, circumcirca: Longitudinem autem eiuſdem nonaginta cubitos.*

13. *Menſus,* inquam, *eſt domum illam: longitudinem centum cubitos: tàm ipſum ſegmentum ſeparatum, quàm ipſum ædificium cum parietibus ſuis, longitudine centum cubitorum.*

14. *Et latitudinem è regione domus, & ſegmenti ſeparati, Orientem verſus centum cubitos.*

15. *Menſus denique eſt longitudinem quoque ſtructuræ* Templi *è regione ſegmenti ſeparati, quod erat poſt illam, cum periſtylijs* ſeu appendicibus, *hinc & hinc centum cubitos,* ſimul comprehenſis *& templo interiore & veſtibulis atrij.*

16. *Limina autem* demonſtrabantur *& feneſtræ clauſæ, & thalami in circuitu triplices, è regione liminis cuiusq́ operti ligno circumcirca, à ſolo,* inquam, *uſque ad feneſtras, & feneſtræ ipſæ opertæ.*

17. *Oſtium quoque* opertum *in parte domus interiore & exteriore, & omnis paries circumcirca ab intùs & extra arte exquiſitiſſima.*

18. *Ornatus Cherubim & palmis, & palmæ inter Cherub & Cherub, duasq́ facies habebat Cherub.*

19. *Faciem hominis ad palmam ex hac parte, & faciem catuli Leonis ad palmam ex altera parte, expreſſus per omnem domum in circuitu.*

20. *A ſolo uſque ad ſuperiora portæ Cherubim & palmæ factæ etiam in pariete templi.*

21. *Limen*

Digitized by Google

21. *Limen Templi poſtis quadrati, eademq́ forma ſanctitatis, adſpectus unius, ſicut adſpectus alterius.*

22. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo erat, & longitudo eius duorum cubitorum, & anguli eius, & longitudò eius, & parietes eius lignei. Et locutus eſt ad me: Hæc eſt menſa coram Dominò.*

23. *Et duæ fores Templo & ſanctuario.*

24. *Et duæ valvæ foribus, duæ,* inquam, *verſatiles valvæ vtrisq́ binæ.*

25. *Et cælati ad eas in foribus Templi Cherubim & palmæ, ſicut facta in parietibus, & denſum lignum erat in fronte veſtibuli extrinſecus.*

26. *Feneſtris quoque anguſtis erant palmæ hinc & hinc in lateribus veſtibuli, & in lateribus domus, & in trabibus.*

CAP. XLII.

1. *ET educens me ad atrium exterius, viâ aquilonari, introduxit me in contubernium, quod erat è regione ſegmenti ſeparati,* ſeu areæ puræ, *& è regione ædificij verſus ſeptentrionem.*

2. *Quod habet longitudinem cubitos centum iuxta portam ſeptentrionalem, & latitudinem quinquaginta cubitos.*

3. *E regione,* inquam, *viginti* cubitorum, *qui erant in atrio interiori, & è regione pavimenti, quod erat in atrio exteriori, cubiculo reſpiciente cubiculum contignatione trinâ.*

4. *Et ante cubicula deambulacrum decem cubitorum latitudinis, introrſum via cubiti vnius; & oſtia eorum ad Aquilonem.*

5. *Cubicula autem ſuprema depreſſa erant, quia infima & media ædificij ad habitandum extructa.*

6. *Quia enim tertiata iſta,* in tertia contignatione, *nec habuerunt columnas, quantæ columnæ atriorum, proptereà ſeparatum eſt* cubiculis illis, *præ infimis & mediis à terra.*

7. *Maceriæ verò, quæ forinſecus contra cubicula, verſus atrium exterius è regione cubilorum, longitudinem* menſus eſt *quinquaginta cubitos.*

8. *Quia longitudo cubiculorum, quâ verſus atrium exterius quinquaginta cubitorum, & ecce ante faciem Templi centum cubiti.*

9. *Loco autem inferiore cubiculorum iſtorum, adducens* aliquid Sacerdos,*ingreditur in illa ab atrio exteriore.*

10. *Per latitudinem, nempe maceriæ atrij, orientem reſpicientis, è regione ſegmenti,* ſeu areæ puræ,*& ædificii cubiculorum.*

11. *Erat etiam via in parte Auſtrali è regione illorum,* & areæ puræ videlicet & ædificij cubiculorum, *ſecundùm adſpectum cubiculorum partis Aquilonaris eâdem longitudinis, latitudinis exituum, proportionum & oſtiorum ratione.*

12. *Eâdem,* inquam,*oſtiorum ratione,in auſtrali parte, oſtio facto,in facie maceriæ rectæ,verſus Orientem præbente ingreſſum.*

13. *Et dixit ad me: Cubicula* ſeu cellæ *aquilonis, & cubicula Auſtri, quæ ſunt ante ſegmentum,* ſeu aream puram, *ſunt cubicula ſancta, in quibus veſcentur Sacerdotes, quando offerunt Domino ſacrificia, ibi ponent res ſanctas, ſacrificium* nempe *cibarium, & pro peccato & pro delicto; locus enim ſanctus eſt.*

14. *Cum autem ingreßi fuerint Sacerdotes, non egredientur ex hoc ſancto in atrium exterius, quin ibi* quoque *reponant veſtimenta ſua, in quibus miniſtrabant, quia ſancta ſunt, veſtienturq́ veſtimentis aliis, cum acceſſerint ad populum.*

15. *Cumq́ compleſſet menſuras domus interioris, eduxit me per portam orientalem, & menſus eſt eam vndique.*

16. *Menſus eſt igitur latus orientale calamo menſuræ, quin-gent-cubitos, calamis, in calamo menſuræ vndique.*

17. *Menſus etiam eſt latus Aquilonis quingentos,calamis,in calamo menſuræ vndique.*

18. *Latus auſtrale menſus eſt quingentos, calamis,in calamo menſuræ per circuitum.*

19: *Circumiens ad latus occidentale menſus eſt quingentos, calamis, in calamo menſuræ.*

20. *In quatuor plagas menſus eſt murum eius vndique,*

longi-

longitudinem quingentos, & latitudinem quingentos cubitos,*ad diſtinguendum inter ſanctum & prophanum.*

CAP. XLIII.

1. *ET duxit me ad portam illam: portam,* inquam, *Orientalem.*

2. *Et ecce gloria Dei Iſraëlis ingrediebatur ab oriente: & vox eius erat, quaſi vox aquarum multarum, & terra ſplendebat à Maieſtate eius.*

3. *Similisq; fuit viſio, illi, quam videram annunciatum veniens interitum civitatis: & illi, quam videram iuxta fluvium Chobar, & cecidi ſuper faciem meam.*

4. *Et gloria Domini ingreſſa eſt Templum, per portam Orientalem.*

5. *Et elevavit me ſpiritus, & introduxit me in atrium interius, & ecce repleverat gloria Domini domum.*

6. *Et audivi loquentem ad me de domo, & vir ſtabat iuxta me.*

7. *Et dixit ad me: Fili hominis, locum ſolij mei, locum plantarum pedum meorum, ubi habitaturus ſum in medio filiorum Iſraël in æternum, & nomen ſanctitatis meæ non polluent ultrà domus Iſraël, ipſi & Reges eorum in fornicationibus ſuis; & in cadaveribus Regum ſuorum, & in excelſis ſuis.*

8. *Apponendo limen ſuum, ad limen meum, & poſtem ſuum ad poſtem meum, & pariete* ponendo *inter me & ipſos; poſteaquam polluentes nomen ſanctum meum, in abominationibus quas fecerunt, conſumpſi eos in ira mea.*

9. *Nunc autem removebunt fornicationem ſuam, & cadavera Regum ſuorum à me, & habitabo in medio eorum in ſeculum.*

10. *Tu autem fili hominis, annuncia domui Iſraël domum iſtam, ut confundantur ab iniquitatibus ſuis; & metiantur omnem diſpoſitionem.*

11. *Vt confundantur*, inquam, *propter omnia, quæ fecerunt: figuram domus, & diſpoſitione eius, exitus & introitus eius;*

eius, & omnem deſcriptionem eius, cum omnibus formis eius, & vniverſa præcepta eius, cunctuḿq; ordinem eius & omnes leges eius oſtende eis, & ſcribes ante oculos ipſorum, vt cuſtodiant omnem formam eius, & omnia ſtatuta eius, vt faciant ea.

12. *Iſthæc eſt Lex huius Domus, in ſummitate montis, omnis terminus eius circum circa ſanctiſſimus eſt: hæc*, inquam, *eſt Lex domus.*

13. *Iſtæ autem ſunt menſuræ Altaris, iiſdem cubitis, cubito cubito & palmo*, id eſt, vnoquoque cubito adaucto palmo. *Primùm Baſis* altitudo *cubitalis, & cubitalis latitudo: & terminus eius verſus labrum eius circumquaque ſpithamæ vnius, & hic eſt gibbus Altaris.*

14. *Et à Baſi terræ vſque ad atrium*, ſeu projecturam, *inferius duo cubiti, & latitudo vnius cubiti. Et ab atrio minore, vſque ad atrium maius quatuor cubiti, latitudo cubitalis.*

15. *Sic ipſe Harel quatuor cubitorum, & ab Ariele ſurſum verſus cornua ſunt quatuor.*

16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, & duodecim cubitorum in latitudine, totum quadratum.*

17. *Et ſupremum Altaris quatuordecim cubitorum in longitudine, & quatuordecim cubitorum in latitudine: quadratum: Et terminus ſive corona eius circumcirca dimidij cubiti. Et ſinus eius cubitus in circuitu. Et gradus eius verſus Orientem.*

18. *Et dixit ad me: Fili hominis: hæc dicit Dominus Deus: Hæc ſunt ſtatuta huius altaris, in quacunque die offeretur ſuper illud holocauſtum, & ſpargetur ſuper illud ſanguis.*

19. *Dabis Sacerdotibus Levitis, qui ſunt de ſemine Tzadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus: vt minſtrent mihi iuvencum pro peccato.*

20. *Et aſſumens de ſanguine eius, pones ſuper quatuor cornua eius, & ſuper quatuor angulos proiecturæ eius, & ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis.*

21. *Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato, vt comburet eum* Sacerdos *in loco deſtinato domus extra ſanctuarium.*

22. Et

Digitized by Google

22. Et die ſecunda offeres hircum caprarum perfectum,
pro peccato: & expiabunt altare, ſicut expiaverunt in vitulo.
23. Cumq́ compleveris expiationem, offeres iuvencum
perfectum, & arietem de grege perfectum.
24. Et offeres eos in conſpectu Domini, & mittent Sacer-
dotes ſuper eos ſalem, & offerent eos in holocauſtum Domino.
25. Septem diebus offeres hircum pro peccato quotidiè, &
iuvencum, & Arietem de pecoribus perfectos offerent.
26. Septem diebus expiabunt Altare, & mundabunt il-
lud, & implebunt manus ſuas.
27. Expletis autem diebus illis, in die octava & ultrà offe-
rent Sacerdotes in altari iſthoc holocauſta veſtra, & Euchari-
ſtica veſtra, & placatos habebo vos, ait Dominus Deus.

CAP. XLIV.

1. TVNC reduxit me ad portam Sanctuarij exterioris
Orientalem, eratq́ clauſa.
2. Et dixit ad me Dominus: porta hæc clauſa erit, non
aperietur, nec quiſquam ingredietur per eam, quoniam Do-
minus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, erit igitur clauſa.
3. Præter Principem: Princeps ipſe ſedebit in ea, ut come-
dat panem coràm Domino: viâ veſtibuli huius portæ ingre-
dietur, & viâ eius egredietur.
4. Quare deduxit me ad portam Aquilonarem, è regione
domus; & vidi, & ecce, implevit gloria Domini domum Do-
mini, & cecidi in faciem meam.
5. Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum;
& vide oculis tuis; & auribus tuis audi, omnia quæ ego lo-
quar ad te, de univerſis ſtatutis domus Domini, & de cunctis
legibus eius: pones, inquam, cor tuum advertendo in ingreſ-
ſum domus huius, & in omnes exitus ſanctuarij.
6. Dicesq́ ad rebellem domum Iſraël: Hæc dicit Domi-
nus Deus, ſufficiat vobis: abſtinete ab omnibus abominatio-
nibus veſtris, ô domus Iſraël.
7. Eò, quòd introducitis alienigenas, incircumciſos corde;
& incircumciſos carne, in ſanctuarium meum, ad polluendum
domum meam, & offertis cibum meum adipem & ſanguinem,
cùm illi irritum faciant pactum meum, ſuper omnes abomi-
nationes veſtras.

Digitized by Google

8. *Neque ſervaſtis cuſtodiam rerum ſanctarum mearum, ſed conſtituiſtis miniſtros cuſtodiæ meæ in ſanctuario meo, pro arbitrio.*

9. *Hæc dicit Dominus Deus: omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur ſanctuarium meum, omnis,* inquam, *alienigena in Iſrael.*

10. *Quin & Levitæ, qui receſſerunt à me, cùm errarent Iſraelitæ, ſequuti ſtercoreos Deos ſuos, etiam portabunt iniquitatem ſuam.*

11. *Erunt enim in ſanctuario meo miniſtri præfecturarum ad portas domus, & miniſtri domus: ipſi mactabunt holocauſta, & victimas populo, & ipſi ſtabunt in conſpectu eorum, ut miniſtrent eis.*

12. *Eò; quòd miniſtraverunt illis in conſpectu ſtercoreorum Deorum ſuorum, & fuerunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis. Idcircò* iurans *levavi manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem ſuam.*

13. *Neque appropinquabunt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad ullas res ſanctas meas, ad res ſanctiſſimas, ſed portabunt ignominias ſuas, & abominationes ſuas, quas fecerunt.*

14. *Et conſtituam eos Ianitores domus, in omni ſervitio eius, & in univerſis, quæ* ſerviliter *fient in ea.*

15. *Sacerdotes autem Levitici, filij Tzadoc, qui cuſtodierunt cuſtodiam ſanctuarij mei, cùm errarent filij Iſrael à me, ipſi accedent ad me, ut miniſtrent mihi, & ſtabunt in conſpectu meo, ut offerant mihi adipem & ſanguinem, ait Dominus DEUS.*

16. *Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, ut miniſtrent mihi, & cuſtodiant cuſtodiam meam.*

17. *Sed* hæc Lex *eſto: cùm ingredientur portas atrij interioris, veſtes lineas induant, nec veniat ſuper eos laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris, & intrà.*

18. *Tiaræ lineæ ſint ſuper caput illorum, & femoralia linea ſint ſuper lumbis illorum, & non accingentur in ſudore.*

19. *Cumq; egredientur in atrium exterius, & atrium extremum,*

tremum, ad populum, exuent ſe veſtimentis ſuis, in quibus miniſtraverant, & reponent ea in cubiculis ſanctitatis, & veſtient ſe veſtimentis aliis, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.

20. *Caput autem ſuum non radent, cæſariem non demittent, ſed tondentes attondent capita ſua.*

21. *Et vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.*

22. *Et viduam, & repudiatam non accipient uxores; ſed virgines de ſemine domus Iſraël: ſed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient.*

23. *Et populum meum edocebunt, quid ſit inter ſanctum & profanum, & inter immundum & mundum, oſtendent eis.*

24. *Et cum fuerit controverſia ſtabunt ad iudicandum in iudiciis meis, & iudicabunt: leges meas, & ſtatuta mea cum omnibus ſolemnitatibus meis cuſtodient, & Sabbatha mea ſanctificabunt.*

25. *Et ad mortuum hominem non ingredietur ullus* Sacerdotum *ad polluendum ſe; niſi ad patrem & ad matrem, & ad filium & ad filiam, ad fratrem & ad ſororem, quæ virum non habuerit, in quibus contaminari licebit.*

26. Ita tamen *ut poſtquam fuerit emundatus, ſeptem dies numerentur ei.*

27. *Et in die introitus illius, in ſanctum in atrium interius, ut miniſtret in ſancto, offerat ſacrificium ſuum pro peccato ſuo, ait Dominus Deus.*

28. *Erit autem eis* Sacrificium *hoc hæreditas: Ego hæreditas eorum: Ideò poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël. Ego enim poſſeſſio eorum.*

29. *Munus & ſacrificium pro peccato & pro delicto ipſi comedent: & omne anathema in Iſraël ipſorum erit.*

30. *Et præſtantiſſimum omnium primitiarum ex omnibus, & omnis oblationis omnium ex omnibus oblationibus veſtris Sacerdotum erit: & primitias conſperſionum veſtrarum dabitis Sacerdoti, ut quieſcere facias benedictionem ſuper domum tuam.*

31. *Omne morticinium & laniatum ex avibus & pecoribus non comedent Sacerdotes.*

C A P. XLV.

1. *CVM autem ſortiemini terram in hæreditatem, offeretis oblationem Domino ſanctam ex terra illa, longam vicies quinquies mille, latam decies mille* cubitos. *Sancta ſit hæc in omni termino ſuo circumquaque.*

2. *Ex hac* oblatione *cedet in ſanctitatem* Templi *quingentorum per quingentos quadratum undique, & amplius quinquaginta CVBITORVM ſuburbium illi circumquaque.*

3. *De menſura igitur illa* oblationis *quam metieris, longitudinis vicies quinquies mille, & latitudinis decies mille* cubitorum, cedet, inquam, ſpatium in ſanctitatem Templi, *ita ut in ipſo ſit ſanctuarium & ſanctitas ſanctitatum.*

4. *Sanctum è terra illud eſt pro Sacerdotibus Miniſtris ſanctuarij, qui accedunt ad miniſtrandum Domino, ut ſit eis locus pro domibus, & ſanctum ſpatium pro ſanctuario.*

5. *Vicies porrò & quinquies mille* cubiti *longitudine, & decies mille latitudine, ſimiliter cedant Levitis, miniſtris domus in poſſeſſionem pro viginti cubiculis.*

6. *Denique poſſeſſionem Civitatis dabitis quinquies mille* cubitos *latitudine, & longitudine vicies quinquies mille, ſecundùm* longitudinem *oblationis ſanctæ, pro tota domo Iſraëlis.*

7. *Principi verò hinc & hinc, iuxta oblationem ſanctam & Civitatis, utrinque* portio cedat, *à latere occidentali, Occidentem verſus, & à latere Orientali verſus Orientem, longitudine cuiuſcunque partium* terræ, *à termino occidentis verſus orientem.*

8. *In hac*, inquam, *terra erit ei ius poſſeſſionis in Iſraël, ut non depopulentur ultrà Principes populum meum, ſed terram dabunt domui Iſraël ſecundùm Tribus eorum.*

9. *Hæc dicit Dominus Deus, ſufficiat vobis Principes Iſraël, violentiam & vaſtationem amovete, & iuſtitiam facite, & deſinite exturbare populum meum, ait Dominus DEVS.*

10. Sta-

Digitized by Google

10. *Statera iuſta, & Epha iuſtum, & Batus iuſtus ſit vobis.*

11. *Epha & batus menſuræ vnius ſunto, vt capiat decimā chomeris batus, & decimam chomeris Epha, ad chomerem ſit menſura vtriuſque.*

12. *Siclus porrò viginti obolos habet: viginti autem ſicli, et viginti quinq; ſicli, & quindecim ſicli minam faciunt.*

13. *Et hæ ſunt oblationes* frugum, *quas offeretis, ſextam partem Epha de chomere tritici; & ſextam partem Epha de chomere hordei.*

14. *Statutum autem olei ſit (cuius bathus* menſura eſt) *ut decimam bathi ex coro,* ſeu *decem bathorum chomere* offeratis. *Nam decem bathi faciunt chomerem.*

15. *Sic pecudem vnam, de grege ducentorum ex irriguo* paſcuo *Iſraëlis, in munus & in holocauſtum, & in Euchariſtica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.*

16. *Omnis populus terræ tenebitur oblationibus his, Principi in Iſraël.*

17. *Nam Principis* officium *eſto dare holocauſta & munus, & libamen in ſolemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbathis, & in vniverſis ſolemnitatibus domus Iſraël, ipſe offeret ſacrificium pro peccato expiando, & munus, & holocauſtum, & Euchariſtica: ad reconciliandam domum Iſraël.*

18. *Hæc dicit Dominus Deus, in primo menſe primâ menſis, ſumes vitulum tenerum perfectum, & expiabis ſanctuarium.*

19. *Et tollet Sacerdos de ſanguine, quod erit pro peccato, & ponet in poſte domus, & in quatuor angulis proiecturæ altaris, & in poſte portæ atrij interioris.*

20. *Et ſic facies in ſeptimâ eiuſdem menſis, pro quovis peccante aut ignorante, vt expietis domum.*

21. *In primo menſe quartâ decimâ die, erit vobis Paſcha ſolemnitas: ſeptem diebus azyma comedentur.*

22. *Et offeret Princeps in die illa, pro ſe & pro univerſo populo terræ vitulum pro peccato.*

23. *Et in ſeptem dierum ſolemnitate offeret holocauſtum Domino, ſeptem vitulos & ſeptem arietes integros, quotidiè, ſeptem diebus, & pro peccato hircum caprarum quotidiè.*

24. *Et munus:* nimirum *Epha ad vitulum, & Epha ad arietem, & Hin olei ad Epha.*

9. *Latitudinem autem parietis, qui in ambitu illo eſt extremus,* menſus eſt *quinque cubitos, totidemq; area pura appendicum, pertinentium ad domum.*

10. *Atque hinc inter cubicula, ſive ædes Sacerdotum* menſus eſt *latitudinem viginti cubitos, ſpectantes ad domum circumcirca.*

11. *Oſtium denique ambitus,* ſeu ſtructuræ illius lateralis, *in aream illam puram, alterum Aquilonare, alterum meridionale, et latitudinem illius area pura,* menſus eſt, *quinque cubitos circumcirca.*

12. *Tandem* menſus eſt, *ædificium è regione ſegmenti* areæ *ſeparati, occidentem verſus, latitudinem ſeptuaginta cubitos: & parietem ædificij, quinque cubitos latum, circumcirca: Longitudinem autem eiuſdem nonaginta cubitos.*

13. *Menſus,* inquam, *eſt domum illam: longitudinem centum cubitos: tàm ipſum ſegmentum ſeparatum, quàm ipſum ædificium cum parietibus ſuis, longitudine centum cubitorum.*

14. *Et latitudinem è regione domus, & ſegmenti ſeparati, Orientem verſus centum cubitos.*

15. *Menſus denique eſt longitudinem quoque ſtructuræ* Templi *è regione ſegmenti ſeparati, quod erat poſt illam, cum periſtylijs* ſeu appendicibus, *hinc & hinc centum cubitos,* ſimul comprehenſis *& templo interiore & veſtibulis atrij.*

16. *Limina autem* demonſtrabantur *& feneſtræ clauſæ, & thalami in circuitu triplices, è regione liminis cuiusq; operti ligno circumcirca, à ſolo,* inquam, *uſque ad feneſtras, & feneſtræ ipſæ operta.*

17. *Oſtium quoque* opertum *in parte domus interiore & exteriore, & omnis paries circumcirca ab intus & extra arte exquiſitiſſima.*

18. *Ornatus Cherubim & palmis, & palma inter Cherub & Cherub, duasq; facies habebat Cherub.*

19. *Faciem hominis ad palmam ex hac parte, & faciem catuli Leonis ad palmam ex altera parte, expreſſus per omnem domum in circuitu.*

20. *A ſolo uſque ad ſuperiora porta Cherubim & palmæ facta etiam in pariete templi.*

21. Limen

Digitized by Google

21. *Limen Templi poſtis quadrati, eademq́ forma ſancti-
tatis, adſpectus unius, ſicut adſpectus alterius.*

22. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo erat, & lon-
gitudo eius duorum cubitorum, & anguli eius, & longitudo
eius, & parietes eius lignei. Et locutus eſt ad me: Hæc eſt men-
ſa coram Domino.*

23. *Et duæ fores Templo & ſanctuario.*

24. *Et duæ valvæ foribus, duæ,* inquam, *verſatiles val-
væ vtrisq́ binæ.*

25. *Et cælati ad eas in foribus Templi Cherubim & pal-
mæ, ſicut facta in parietibus, & denſum lignum erat in fronte
veſtibuli extrinſecus.*

26. *Feneſtris quoque anguſtis erant palmæ hinc & hinc in
lateribus veſtibuli, & in lateribus domus, & in trabibus.*

CAP. XLII.

1. *ET educens me ad atrium exterius, viâ aquilonari, in-
troduxit me in contubernium, quod erat è regione ſeg-
menti ſeparati,* ſeu areæ puræ, *& è regione ædificij verſus ſe-
ptentrionem.*

2. *Quod habet longitudinem cubitos centum iuxta por-
tam ſeptentrionalem, & latitudinem quinquaginta cubitos.*

3. *E regione,* inquam, *viginti* cubitorum, *qui erant in
atrio interiori, & è regione pavimenti, quod erat in atrio ex-
teriori, cubiculo reſpiciente cubiculum contignatione trinâ.*

4. *Et ante cubicula deambulacrum decem cubitorum la-
titudinis, introrſum via cubiti vnius; & oſtia eorum ad Aqui-
lonem.*

5. *Cubicula autem ſuprema depreſſa erant, quia infima &
media ædificij ad habitandum extructa.*

6. *Quia enim tertiata iſta,* in tertia contignatione, *nec habuerunt columnas, quanta columnæ atriorum, pro-
pterea ſeparatum eſt* cubiculis illis, *præ infimis & mediis à
terra.*

7. *Maceriæ vero, quæ forinſecus contra cubicula, verſus
atrium exterius è regione cubilorum, longitudinem* menſus
eſt *quinquaginta cubitos.*

Digitized by Google

8. *Quia longitudo cubiculorum, quâ verſus atrium exterius quinquaginta cubitorum, & ecce ante faciem Templi centum cubiti.*

9. *Loco autem inferiore cubiculorum iſtorum, adducens* aliquid Sacerdos, *ingreditur in illa ab atrio exteriore.*

10. *Per latitudinem, nempe maceriæ atrij, orientem reſpicientis, è regione ſegmenti,* ſeu areæ puræ, *& ædificii cubiculorum.*

11. *Erat etiam via in parte Auſtrali è regione illorum,* & areæ puræ videlicet & ædificij cubiculorum, *ſecundùm adſpectum cubiculorum partis Aquilonaris eâdem longitudinis, latitudinis exituum, proportionum & oſtiorum ratione.*

12. *Eâdem,* inquam, *oſtiorum ratione, in auſtrali parte, oſtio facto, in facie maceriæ rectæ, verſus Orientem præbente ingreſſum.*

13. *Et dixit ad me: Cubicula* ſeu cellæ *aquilonis, & cubicula Auſtri, quæ ſunt ante ſegmentum,* ſeu aream puram, *ſunt cubicula ſancta, in quibus veſcentur Sacerdotes, quando offerunt Domino ſacrificia, ibi ponent res ſanctas, ſacrificium* nempe *cibarium, & pro peccato & pro delicto; locus enim ſanctus eſt.*

14. *Cum autem ingreſſi fuerint Sacerdotes, non egredientur ex hoc ſancto in atrium exterius, quin ibi* quoque *reponant veſtimenta ſua, in quibus miniſtrabant, quia ſancta ſunt, veſtienturq; veſtimentis aliis, cum acceſſerint ad populum.*

15. *Cumq; compleſſet menſuras domus interioris, eduxit me per portam orientalem, & menſus eſt eam vndique.*

16. *Menſus eſt igitur latus orientale calamo menſuræ, quin-gent-cubitos, calamis, in calamo menſuræ vndique.*

17. *Menſus etiam eſt latus Aquilonis quingentos, calamis, in calamo menſuræ vndique.*

18. *Latus auſtrale menſus eſt quingentos, calamis, in calamo menſuræ per circuitum.*

19: *Circumiens ad latus occidentale menſus eſt quingentos, calamis, in calamo menſuræ.*

20. *In quatuor plagas menſus eſt murum eius vndique, longi-*

Digitized by Google

longitudinem quingentos, & latitudinem quingentos cubitos,*ad diſtinguendum inter ſanctum & prophanum.*

CAP. XLIII.

1. ET *duxit me ad portam illam: portam,* inquam, *Orientalem.*

2. *Et ecce gloria Dei Iſraëlis ingrediebatur ab oriente: & vox eius erat quaſi vox aquarum multarum, & terra ſplendebat à Maieſtate eius.*

3. *Similiſq; fuit viſio, illi, quam videram annunciatum veniens interitum civitatis: & illi, quam videram iuxta fluvium Chobar, & cecidi ſuper faciem meam.*

4. *Et gloria Domini ingreſſa eſt Templum, per portam Orientalem.*

5. *Et elevavit me ſpiritus, & introduxit me in atrium interius, & ecce repleverat gloria Domini domum.*

6. *Et audivi loquentem ad me de domo, & vir ſtabat iuxta me.*

7. *Et dixit ad me: Fili hominis, locum ſolij mei, locum plantarum pedum meorum, ubi habitaturus ſum in medio filiorum Iſraël in æternum, & nomen ſanctitatis meæ non polluent ultrà domus Iſraël, ipſi & Reges eorum in fornicationibus ſuis; & in cadaveribus Regum ſuorum, & in excelſis ſuis.*

8. *Apponendo limen ſuum, ad limen meum, & poſtem ſuum ad poſtem meum, & parietẽ* ponendo *inter me & ipſos, poſteaquam polluentes nomen ſanctum meum, in abominationibus quas fecerunt, conſumpſi eos in ira mea.*

9. *Nunc autem removebunt fornicationem ſuam, & cadavera Regum ſuorum à me, & habitabo in medio eorum in ſeculum.*

10. *Tu autem fili hominis, annuncia domui Iſraël domum iſtam, ut confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur omnem diſpoſitionem.*

11. *Vt confundantur*, inquam, *propter omnia, quæ fecerunt: figuram domus, & diſpoſitionẽ eius, exitus & introitus eius;*

Digitized by Google

eius, & omnem deſcriptionem eius, cum omnibus formis eius, & vniverſa præcepta eius, cunctum q́; ordinem eius & omnes leges eius oſtende eis, & ſcribes ante oculos ipſorum, vt cuſtodiant omnem formam eius, & omnia ſtatuta eius, vt faciant ea.

12. *Iſthæc eſt Lex huius Domus, in ſummitate montis, omnis terminus eius circum circa ſanctiſſimus eſt: hæc*, inquam, *eſt Lex domus.*

13. *Iſtæ autem ſunt menſuræ Altaris, iiſdem cubitis, cubito cubito & palmo*, id eſt, vnoquoque cubito adaucto palmo. *Primùm Baſis* altitudo *cubitalis, & cubitalis latitudo: & terminus eius verſus labrum eius circumquaque ſpithamæ vnius, & hic eſt gibbus Altaris.*

14. *Et à Baſi terræ vſque ad atrium*, ſeu projecturam, *inferius duo cubiti, & latitudo vnius cubiti. Et ab atrio minore, vſque ad atrium maius quatuor cubiti, latitudo cubitalis.*

15. *Sic ipſe Harel quatuor cubitorum, & ab Ariele ſurſum verſus cornua ſunt quatuor.*

16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, & duodecim cubitorum in latitudine, totum quadratum.*

17. *Et ſupremum Altaris quatuordecim cubitorum in longitudine, & quatuordecim cubitorum in latitudine: quadratum: Et terminus ſive corona eius circumcirca dimidij cubiti. Et ſinus eius cubitus in circuitu. Et gradus eius verſus Orientem.*

18. *Et dixit ad me: Fili hominis: hæc dicit Dominus Deus: Hæc ſunt ſtatuta huius altaris, in quacunque die offeretur ſuper illud holocauſtum, & ſpargetur ſuper illud ſanguis.*

19. *Dabis Sacerdotibus Levitis, qui ſunt de ſemine Tzadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus: vt minſtrent mihi iuvencum pro peccato.*

20. *Et aſſumens de ſanguine eius, pones ſuper quatuor cornua eius, & ſuper quatuor angulos proiecturæ eius, & ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis.*

21. *Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato, vt comburet eum* Sacerdos *in loco deſtinato domus extra ſanctuarium.*

22. *Et*

Digitized by Google

22. *Et die ſecunda offeres hircum caprarum perfectum, pro peccato: & expiabunt altare, ſicut expiaverunt in vitulo.*

23. *Cumq; compleveris expiationem, offeres iuvencum perfectum, & arietem de grege perfectum.*

24. *Et offeres eos in conſpectu Domini, & mittent Sacerdotes ſuper eos ſalem, & offerent eos in holocauſtum Domino.*

25. *Septem diebus offeres hircum pro peccato quotidiè, & iuvencum, & Arietem de pecoribus perfectos offerent.*

26. *Septem diebus expiabunt Altare, & mundabunt illud, & implebunt manus ſuas.*

27. Expletis *autem diebus illis, in die octava & ultrà offerent Sacerdotes in altari iſthoc holocauſta veſtra, & Euchariſtica veſtra, & placatos habebo vos, ait Dominus Deus.*

CAP. XLIV.

1. TVNC *reduxit me ad portam Sanctuarij exterioris Orientalem, eratq; clauſa.*

2. *Et dixit ad me Dominus: porta hæc clauſa erit, non aperietur, nec quiſquam ingredietur per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, erit igitur clauſa.*

3. *Præter Principem: Princeps ipſe ſedebit in ea; ut comedat panem coràm Domino: viâ veſtibuli huius portæ ingredietur, & viâ eius egredietur.*

4. *Quare deduxit me ad portam Aquilonarem, è regione domus; & vidi, & ecce, implevit gloria Domini domum Domini, & cecidi in faciem meam.*

5. *Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum; & vide oculis tuis; & auribus tuis audi, omnia quæ ego loquar ad te, de univerſis ſtatutis domus Domini; & de cunctis legibus eius: pones,* inquam, *cor tuum* advertendo *in ingreſſum domus huius, & in omnes exitus ſanctuarij.*

6. *Dicesq; ad rebellem domum Iſraël: Hæc dicit Dominus Deus, ſufficiat uobis:* abſtinete *ab omnibus abominationibus veſtris; ô domus Iſraël.*

7. *Eò, quòd introducitis alienigenas, incircumciſos corde; & incircumciſos carne, in ſanctuarium meum, ad polluendum domum meam, & offertis cibum meum adipem & ſanguinem, cùm* illi *irritum faciant pactum meum, ſuper omnes abominationes veſtras.*

8\. Neque ſervaſtis cuſtodiam rerum ſanctarum mearum, ſed conſtituiſtis miniſtros cuſtodiæ meæ in ſanctuario meo, pro arbitrio.

9\. Hæc dicit Dominus Deus: omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur ſanctuarium meum, omnis, inquam, alienigena in Iſrael.

10\. Quin & Levitæ, qui receſſerunt à me, cùm errarent Iſraelitæ, ſequuti ſtercoreos Deos ſuos, etiam portabunt iniquitatem ſuam.

11\. Erunt enim in ſanctuario meo miniſtri præfecturarum ad portas domus, & miniſtri domus: ipſi mactabunt holocauſta, & victimas populo, & ipſi ſtabunt in conſpectu eorum, ut miniſtrent eis.

12\. Eò, quòd miniſtraverunt illis in conſpectu ſtercoreorum Deorum ſuorum, & fuerunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis. Idcircò iurans levavi manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem ſuam.

13\. Neque appropinquabunt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad ullas res ſanctas meas, ad res ſanctiſſimas, ſed portabunt ignominias ſuas, & abominationes ſuas, quas fecerunt.

14\. Et conſtituam eos Ianitores domus, in omni ſervitio eius, & in univerſis, quæ ſerviliter fient in ea.

15\. Sacerdotes autem Levitici, filij Tzadoc, qui cuſtodierunt cuſtodiam ſanctuarij mei, cùm errarent filij Iſrael à me, ipſi accedent ad me, ut miniſtrent mihi, & ſtabunt in conſpectu meo, ut offerant mihi adipem & ſanguinem, ait Dominus DEUS.

16\. Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, ut miniſtrent mihi, & cuſtodiant cuſtodiam meam.

17\. Sed hæc Lex eſto: cùm ingredientur portas atrij interioris, veſtes lineas induant, nec veniat ſuper eos laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris, & intrà.

18\. Tiaræ lineæ ſint ſuper caput illorum, & femoralia linea ſint ſuper lumbis illorum, & non accingentur in ſudore.

19\. Cumq; egredientur in atrium exterius, & atrium extremum,

tremum, ad populum, exuent ſe veſtimentis ſuis, in quibus miniſtraverant, & reponent ea in cubiculis ſanctitatis, & veſtient ſe veſtimentis aliјs, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.

20. *Caput autem ſuum non radent, cæſariem non demittent, ſed tondentes attondent capita ſua.*

21. *Et vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.*

22. *Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, ſed virgines de ſemine domus Iſraël: ſed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient.*

23. *Et populum meum edocebunt, quid ſit inter ſanctum & profanum, & inter immundum & mundum, oſtendent eis.*

24. *Et cum fuerit controverſia ſtabunt ad iudicandum in iudiciis meis, & iudicabunt: leges meas, & ſtatuta mea cum omnibus ſolemnitatibus meis cuſtodient, & Sabbatha mea ſanctificabunt.*

25. *Et ad mortuum hominem non ingredietur ullus* Sacerdotum *ad polluendum ſe, niſi ad patrem & ad matrem, & ad filium & ad filiam, ad fratrem & ad ſororem, quæ virum non habuerit, in quibus contaminari licebit.*

26. Ita tamen *ut poſtquam fuerit emundatus, ſeptem dies numerentur ei.*

27. *Et in die introitus illius, in ſanctum in atrium interius, ut miniſtret in ſancto, offerat ſacrificium ſuum pro peccato ſuo, ait Dominus Deus.*

28. *Erit autem eis* Sacrificium *hoc hæreditas: Ego hæreditas eorum: Ideò poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël. Ego enim poſſeſſio eorum.*

29. *Munus & ſacrificium pro peccato & pro delicto ipſi comedent: & omne anathema in Iſraël ipſorum erit.*

30. *Et præſtantiſſimum omnium primitiarum ex omnibus, & omnis oblationis omnium ex omnibus oblationibus veſtris Sacerdotum erit: & primitias conſperſionum veſtrarum dabitis Sacerdoti, ut quieſcere facias benedictionem ſuper domum tuam.*

31. *Omne morticinium & laniatum ex avibus & pecoribus non comedent Sacerdotes.*

Digitized by Google

C A P. XLV.

1. *CVM autem ſortiemini terram in hæreditatem, offeretis oblationem Domino ſanctam ex terra illa, longam vicies quinquies mille, latam decies mille* cubitos. *Sancta ſit hæc in omni termino ſuo circumquaque.*

2. *Ex hac* oblatione *cedet in ſanctitatem* Templi *quingentorum per quingentos quadratum undique, & amplius quinquaginta CVBITORVM ſuburbium illi circumquaque.*

3. *De menſura igitur illa* oblationis *quam metieris, longitudinis vicies quinquies mille, & latitudinis decies mille* cubitorum, cedet, inquam, ſpatium in ſanctitatem Templi, *ita ut in ipſo ſit ſanctuarium & ſanctitas ſanctitatum.*

4. *Sanctum è terra illud eſt pro Sacerdotibus Miniſtris ſanctuarij, qui accedunt ad miniſtrandum Domino, ut ſit eis locus pro domibus, & ſanctum ſpatium pro ſanctuario.*

5. *Vicies porrò & quinquies mille* cubiti *longitudine, & decies mille latitudine, ſimiliter cedant Levitis, miniſtris domus in poſſeſſionem pro viginti cubiculis.*

6. *Denique poſſeſſionem Civitatis dabitis quinquies mille* cubitos *latitudine, & longitudine vicies quinquies mille, ſecundùm* longitudinem *oblationis ſanctæ, pro tota domo Iſraëlis.*

7. *Principi verò hinc & hinc, iuxta oblationem ſanctam & Civitatis, utrinque* portio cedat, *à latere occidentali, Occidentem verſus, & à latere Orientali verſus Orientem, longitudine cuiuſcunque partium* terræ, *à termino occidentis verſus orientem.*

8. *In hac*, inquam, *terra erit ei ius poſſeſſionis in Iſraël, ut non depopulentur ultrà Principes populum meum, ſed terram dabunt domui Iſraël ſecundùm Tribus eorum.*

9. *Hæc dicit Dominus Deus, ſufficiat vobis Principes Iſraël, violentiam & vaſtationem amovete, & iuſtitiam facite, & deſinite exturbare populum meum, ait Dominus DEVS.*

10. Sta-

Digitized by Google

10. Statera iuſta, & Epha iuſtum, & Batus iuſtus ſit vobis.

11. Epha & batus menſuræ vnius ſunto, vt capiat decimā chomeris batus, & decimam chomeris Epha; ad chomerem ſit menſura vtriuſque.

12. Siclus porrò viginti obolos habet: viginti autem ſicli, et viginti quinq; ſicli, & quindecim ſicli minam faciunt.

13. Et hæ ſunt oblationes frugum, *quas offeretis; ſextam partem Epha de chomere tritici; & ſextam partem Epha de chomere hordei.*

14. Statutum autem olei ſit (cuius bathus menſura eſt) *ut decimam bathi ex coro,* ſeu *decem bathorum chomere* offeratis. *Nam decem bathi faciunt chomerem.*

15. Sic pecudem vnam, de grege ducentorum ex irriguo paſcuo *Iſraëlis, in munus & in holocauſtum, & in Euchariſtica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.*

16. Omnis populus terræ tenebitur oblationibus his, Principi in Iſraël.

17. Nam Principis officium *eſto dare holocauſta & munus, & libamen in ſolemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbathis, & in vniverſis ſolemnitatibus domus Iſraël, ipſe offeret ſacrificium pro peccato expiando, & munus, & holocauſtum, & Euchariſtica: ad reconciliandam domum Iſraël.*

18. Hæc dicit Dominus Deus, in primo menſe primâ menſis, ſumes vitulum tenerum perfectum, & expiabis ſanctuarium.

19. Et tollet Sacerdos de ſanguine, quod erit pro peccato, & ponet in poſte domus, & in quatuor angulis proiecturæ altaris, & in poſte portæ atrij interioris.

20. Et ſic facies in ſeptima eiuſdem menſis, pro quovis peccante aut ignorante, vt expietis domum.

21. In primo menſe quartâ decimâ die, erit vobis Paſcha ſolemnitas: ſeptem diebus azyma comedentur.

22. Et offeret Princeps in die illa, pro ſe & pro univerſo populo terræ vitulum pro peccato.

23. Et in ſeptem dierum ſolemnitate offeret holocauſtum Domino, ſeptem vitulos & ſeptem arietes integros, quotidiè, ſeptem diebus, & pro peccato hircum caprarum quotidiè.

24. Et munus: nimirum *Epha ad vitulum, & Epha ad arietem, & Hin olei ad Epha.*

25. *Septimo menſe quintâ decimâ die menſis in ſolennitate faciet, ſicut ſuprà per ſeptem dies: tùm pro peccato tùm pro holocauſto, tùm munere, tùm oleo.*

CAP. XLVI.

1. *HÆC dicit Dominus Deus: porta atrij interioris, Orientalis, erit clauſa ſex diebus, profeſtis: die autem Sabbathi, & Calendis menſium aperietur.*

2. *Et intrabit Princeps per viam veſtibuli portæ ab extra, & ſtabit in limine portæ: dum offerent Sacerdotes holocauſtum eius, & Euchariſtica eius, & adorabit ſuper limen portæ & egredietur, & porta non claudetur uſque ad veſperam.*

3. *Et adorabit populus terræ ad oſtium portæ illius, in Sabbathis & Calendis coram Domino.*

4. *Holocauſtum autem quod offeret Princeps Domino, hæc ſunto: In die Sabbathi ſex agni integri, & aries integer.*

5. *Munus autem Epha ad arietem, & in agnos munus, quodcunque dederit manus eius, & oleum Hinem ad Epha.*

6. *Die autem Calendarum* ſit *iuvencus tener, perfectus, & ſex agni, & aries perfectus.*

7. *Et* hîc quoq; *Epha ad iuvencum, & Epha ad Arietem offeret munus: in agnos autem quodcunque apprehenderit manus eius, & oleum Hinem ad Epha.*

8. *Veniens autem Princeps, viâ veſtibuli portæ* Orientalis *ingredietur, & eâdem viâ exibit.*

9. *Sed cùm venerit populus terræ in conſpectum Domini, in ſolennitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egredietur per portam Meridiei; qui verò ingreditur per portam Meridianam, egredietur per portam Aquilonarem, non revertetur per portam, per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.*

10. *Princeps porrò in medio eorum erit, cùm ingredientibus ingredietur; & cum egredientibus egredientur* & ipſe & comitès.

11. *In feſtis deniq; & ſolennitatibus ſit munus Epha ad vitulum, & Epha ad arietem: In agnis autem quodcunq; apprehenderit manus eius, & oleum Hinis ad Epha.*

12. *Cùm*

Digitized by Google

12. Cùm autem fecerit Princeps voluntarium holocauſtum, aut Euchariſtica voluntaria Domino, aperietur ei porta Orientalis, & faciet holocauſtum ſuum & Euchariſtica ſua, ſicut fieri ſolet in die Sabbathi, & egredietur claudeturq́ porta, poſtquam exierit.

13. Agnum inſuper anniculum integrum offeres holocauſtum quotidiè Domino, quoquo manè offeres illum.

14. Cui adiunges munus ſingulis quoque manè ſextam partem Epha, & oleum tertiam partem Hinis, ad conſpergendum ſimilam, munus Domino, ſtatutis æternis perennibus.

15. Sic offerent agnum & munus, & oleum quovis manè holocauſtum ſempiternum.

16. Hæc dicit Dominus DEUS: ſi dederit Princeps donum alicui filiorum ſuorum: hæreditas eius filiorum ipſius erit, & poſſidebunt eam hæreditariè.

17. Sin dederit donum de hæreditate ſua uni ſervorum ſuorum: erit utique illius uſque ad annum libertatis, quo revertetur ad Principem, omninò equidem hæreditas eius ad filios eius pertinet.

18. Ut non accipiat Princeps de hæreditate populi, ad opprimendum eos eijciendo *de poſſeſſione ſua, ſed de poſſeſſione ſua hæreditatem dabit filijs ſuis, ut non diſpergatur populus meus ullus de poſſeſſione ſua.*

19. Poſt hæc introduxit me per ingreſſum, qui erat ex latere portæ in cubicula ſancta ad Sacerdotes, quæ reſpiciebant ad Aquilonem: & ecce ibi locus in duobus lateribus ad Occidentem.

20. Et dixit ad me: Iſte eſt locus ubi coquent Sacerdotes oblationes, *pro peccato, & pro delicto, & munus ut non efferant in atrium exterius ad ſanctificandum populum.*

21. Inde eduxit me in atrium exterius, & ecce atrium in angulo atrij, atrium in angulo atrij.

22. In quatuor angulis atrij atria fumaria, quadraginta cubitorum *lõgitudine, & triginta latitudine menſuræ unius, quatuor iſtis angulatis.*

23. *Et ordo erat circumquaque illis, circumquaque qua-*
tuor illis, & foci fabrefacti erant ſubter ordinibus illis circum- מְהֻקְצָעוֹת vide infr. pag. 93.
quaque.

24. *Et dixit ad me: vnaquaque iſtarum eſt domus coquen-*
tium, in quâ coquent miniſtri domus victimam populi.

CAP. XLVII.

1. *HINC reduxit me ad oſtium domus, & ecce aquæ egre-*
dientes ſubter limen domus ad Orientem: Facies enim
domus orientalis, aquæ autem deſcendebant infernè à latere
domus à parte auſtrali altaris.

2. *Atque educens me per portam aquilonarem: circum-*
duxit me viâ exteriore ad portam extremam orientalem, &
ecce aquæ leniter fluentes à latere dextro.

3. *Cumque egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funi-*
culum in manu ſuâ, & menſus eſſet mille cubitos, traduxit me
per aquas vſque ad talos.

4. *Rurſumque menſus eſt mille, & traduxit me per aquas,*
vſque ad genua; & iterùm menſus eſt mille, & traduxit me
per aquas vſque ad lumbos.

5. *Denique menſus eſt mille, torrens fuit, quem non po-*
tui pertranſire, quoniam intumuerant aquæ, vt natando
tranſmittendæ, torrensque tranſiri non poſſet.

6. *Et dixit ad me: vidiſti ne fili hominis? Et reduxit me*
& convertit ad ripam torrentis.

7. *Cumque me convertiſſem, ecce in ripa torrentis arbores*
multas nimis ex vtraque parte.

8. *Et ait ad me: Aquæ iſtæ egrediuntur in Galilæam ſu-*
periorem & deſcendunt per planiciem veniuntque in mare, &
illis in mare exoneratis, ſanabuntur aquæ.

9. *Et omnis anima vivens, quæ movetur, quocunque ve-*
nerit torrens, vivet, & erunt piſces multi valdè: nam venien-
tibus illuc aquis iſtis, & ſanabuntur, & vivent omnia, ad quæ
venerit torrens.

10. *Et ſtabunt ibi piſcatores, ab En-gedi vſque ad Ena-*
glaim expanſio ſagenarum erit: ſpecies erunt piſcium eorum
ſicut piſces maris magni, multitudo magna.

11. *Cœnoſa autem eius & paludes eius non ſanabuntur, ſed*
ſalſæ erunt.

12. *Præ-*

que parte arbores frugiferæ, quarum folia non defluent, nec corrumpentur fructus, per ſingulos menſes gignent novos fructus, quia aquæ eius de ſanctuario egrediuntur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.

13\. *Hæc dicit Dominus Deus: Hic eſt terminus in quo hæreditariò dividetis terram duodecim tribubus Iſraël, Joſepho autem funiculos.*

14\. *Poſsidebitis autem eam ſinguli, æquè ut frater ſuus, ſuper quam levavi manum meam, ut darem Patribus veſtris: & cadet terra hæc in poſſeſsionem vobis.*

15\. *Hic ergò eſt terminus terræ ad plagam Septentrionalem, à mari magno viâ Chethlonis quâ venitur in Sedad.*

16\. *Emath, Berotha, Sibraim, quæ eſt in confinio Damaſci & confinio Chamath, & Chazer-Tithon, quæ eſt iuxta terminum Chauran.*

17\. *Sic erit terminus à mari uſque ad Hazer-Enſon, quæ eſt contermina Damaſco: & verſus Septentrionem pertinget, ad confinia Emath, & ſic finis Septentrionalis.*

18\. *Terminum autem Orientalem metiemini inter Chauram & Damaſcum, & inter Gilead, & inter terram Iſraël ad Jordanem ſitam, uſque ad mare Orientale: Hoc eſt latus Orientale.*

19\. *Latus porrò Auſtrale metiemini, à Thamar uſque ad aquas contradictionis Cades, & exitum torrentis in mare magnum. Et hic eſt terminus Auſtralis.*

20\. *Latus denique Occidentale eſt mare magnum, nempè à termino hoc, uſque ad locum, qui eſt è regione viæ Emath. Hoc eſt latus Occidentale.*

21\. *Dividetis autem terram hanc vobis per tribus Iſraël.*

22\. *Et ſortiemini eam in hæreditatem vobis & advenis, qui acceſſerint ad vos, qui* nempè *genuerint filios in medio veſtrum, & erunt vobis ſicut indigenæ inter filios Iſraël: vobiſcum ſortientur, ut accipiant poſſeſsionem in medio tribuum Iſraël.*

23\. *In tribu igitur, in quacunque fuerit advena, ibi dabitis poſſeſsionem illi, ait Dominus Deus.*

CAP.

Digitized by Google

1. HÆC autem ſunt nomina tribuum ab extremitate Aquilonis ſecundùm viam Chethlonis verſus Emath, Hazer-Enon, terminum etiam Damaſci verſus Septentrionem ad Emath: Et termini illius ſunt termini Orientis & Occidentis. Et hæc portio Danis una.

2. Et iuxta terminum Dan, à termino Orientali uſque ad terminum Occidentalem, una Aſer.

3. Et iuxta terminum Aſer, à termino Orientali uſque ad terminum Occidentalem, una Naphthali.

4. Et iuxta terminum Naphthali, à termino Orientali ad terminum Occidentalem, una Manaſſe.

5. Et iuxta terminum Manaſſe, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, una Ephraim.

6. Et iuxta terminum Ephraim, à termino Orientali uſq; ad terminum Occidentalem, una Ruben.

7. Et iuxta terminum Ruben, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, una Juda.

QVADRATVM SANCTVM.

8. Et iuxta terminum Juda, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem erit oblatio, quam offeretis vicies quinquies mille cubitorum latitudinis, & longitudinis, ſicut unam reliquarum portionum, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem: Et in hac erit ſanctuarium.

9. De hâc porrò oblatione offeretis Domino portionem longitudinis vicies quinquies mille, & latitudinis decies mille cubitorum.

10. Et hæc portio ſancta ſit Sacerdotum: ad Septentrionem nempè & Meridiem longitudinis vicies quinquies mille, ad Occidentem verò & Orientem latitudinis decies mille cubitorum. Et ſanctuarium Domini in medio eius.

11. Sacerdotum, inquam, quiſquis ſanctificatus fuerit de filiis Tzadoc, qui rectè functi ſunt miniſterio meo, qui non errârunt cùm errarent filij Jſraël, quemadmodum Levitæ errârunt.

12. Et cedet illis hæc conſecrata portio, in quâ Sanctum ſanctorum eſt, de portione terræ, iuxta Levitarum terminum.

13. Sed & Levitis iuxta terminum Sacerdotum vicies quinquies mille longitudinis, & latitudinis decies mille cedent. Omnis longitudo vicies quinquies mille, & latitudo decies mille cubitorum.

14. Et

Digitized by Google

14. *Et non vendent ex eo, neque commutabit quiſquam, neque transferet præſtantiam terræ, quoniam ſancta Domino.*

15. *Quinquies verò mille* cubiti, *reſiduum nempè latitudinis* (quadrati ſancti) *in fronte vicies quinquies mille* cubitorum, *commune eſt civitati in habitationes & ſuburbia: & civitas erit in medio eius.*

16. *Cuius hæ ſunt menſuræ: latus Septentrionale quater mille & quingentorum: Latus meridionale quater mille & quingentorum: Latus Orientale quater mille & quingentorum: latus denique Occidentale, quater mille & quingentorum* cubitorum.

17 *Erunt igitur ſuburbia civitatis ad Aquilonem ducentorum & quinquaginta, & ad meridiem ducentorum & quinquaginta, & ad Orientem ducentorum & quinquaginta, & ad Occidentem ducentorum & quinquaginta* cubitorum.

18. *Quod autem reliquum eſt in longitudine, iuxta portionem ſanctam, nimirùm decies mille* cubiti *verſus Orientem, & decies mille verſus Occidentem, iuxta portionem ſanctam huius proventus, cedunt in ſuſtentationem miniſtrorum Civitatis.*

19. *Miniſtri autem Civitatis quicunque ſervient illi, ſunt quicunque ex omnibus tribubus Iſrael.*

20. *Totam igitur oblationem hanc nempè vicies quinquies mille* cubitos, *per vicies quinquies mille* cubitos *quadratam offeretis in oblationem ſanctam, ſimul computata poſſeßione civitatis.*

21. *Quod autem reliquum eſt, ab utraque parte oblationis ſanctæ & poſſeßionis civitatis, in fronte vicies quinquies mille* cubitorum *oblationis, uſque ad terminum Orientalem, & Occidentem verſus rurſus in fronte vicies quinquies mille* cubitorum, *ad terminum Occidentalem ſecundùm partes* reliquarum tribuum *Principis eſt. Sic eſt oblatio ſancta, in cuius medio ſanctuarium domus.*

22. *Similiter à poſſeßione Levitarum, & à poſſeßione civitatis, quæ in medio eſt*, reſiduum *ad Principem pertinet, quicquid nimirùm intereſt inter terminum tribus Iuda, & inter terminum tribus Beniamin, Principis erit.*

23. Reſi-



Digitized by Google

23. *Reſiduum denique tribuum à termino Orientali,uſq; ad terminum Occidentalem,Beniamin* portio *una.*

24 *Et iuxta terminum Beniamin, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Simeon una.*

25. *Et iuxta terminum Simeon, à termino Orientali, uſq; ad terminum Occidentalem, Iſaſchar una.*

26. *Et iuxta terminum Iſaſchar,à termino Orientali,uſq; ad terminum Occidentalem,Zebulon una.*

27. *Et iuxta terminum Zebulon, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Gad una.*

28. *Et iuxta terminum Gad eſt latus meridionale, terminus nempè à Thamar,uſquè ad aquas contradictionis Cades,ad torrentem* exeuntem *in mare magnum.*

29. *Hæc eſt terra quam ſortiemini hæreditariò Tribubus Iſraël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.*

30. *Hi quoque ſunt egreſſus civitatis, à plaga Septentrionali, cuius quater mille & quingenti* cubiti *menſura.*

31. *Portæ verò civitatis,de nominibus tribuum Iſraël ſunt, portæ tres verſus Septentrionem,porta Ruben una,porta Iuda una, porta Levi una.*

32. *Et ad latus Orientale, cuius quater mille quingenti* cubiti menſura : *& portæ tres,porta Ioſeph una,porta Beniamin una, porta Dan una.*

33. *Similiter ad plagam Meridianam, cuius quater mille quingenti* cubiti *menſura, etiam portæ tres, Simeonis una, porta Iſaſchar una, porta Zebulon una.*

34. *Ad plagam denique Occidentalem,cuius quater mille & quingenti* cubiti menſura, *& portæ eorum tres, porta Gad una,porta Aſer una, porta Naphthali una.*

35. *Sic per circuitum decies octies mille* cubiti, *& nomen Civitatis de hinc DOMINUS IBI.*

COM-



23. *Reſiduum denique tribuum à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Beniamin* portio *una.*

24 *Et iuxta terminum Beniamin, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Simeon una.*

25. *Et iuxta terminum Simeon, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Iſaſchar una.*

26. *Et iuxta terminum Iſaſchar, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Zebulon una.*

27. *Et iuxta terminum Zebulon, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Gad una.*

28. *Et iuxta terminum Gad eſt latus meridionale, terminus nempè à Thamar, uſquè ad aquas contradictionis Cades, ad torrentem* exeuntem *in mare magnum.*

29. *Hæc eſt terra quam ſortiemini hæreditariò Tribubus Iſraël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.*

30. *Hi quoque ſunt egreſſus civitatis, à plaga Septentrionali, cuius quater mille & quingenti* cubiti *menſura.*

31. *Portæ verò civitatis, de nominibus tribuum Iſraël ſunt, portæ tres verſus Septentrionem, porta Ruben una, porta Iudà una, porta Levi una.*

32. *Et ad latus Orientale, cuius quater mille quingenti* cubiti menſura : *& portæ tres, porta Ioſeph una, porta Beniamin una, porta Dan una.*

33. *Similiter ad plagam Meridianam, cuius quater mille quingenti* cubiti *menſura, etiam portæ tres, Simeonis una, porta Iſaſchar una, porta Zebulon una.*

34. *Ad plagam denique Occidentalem, cuius quater mille & quingenti* cubiti menſura, *& portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aſer una, porta Naphthali una.*

35. *Sic per circuitum decies octies mille* cubiti, *& nomen Civitatis dehinc DOMINUS IBI.*

COM-

Digitized by Google



Digitized by Google

23. *Reſiduum denique tribuum à termino Orientali,uſq; ad terminum Occidentalem,Beniamin* portio *una.*

24. *Et iuxta terminum Beniamin, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Simeon una.*

25. *Et iuxta terminum Simeon, à termino Orientali, uſq; ad terminum Occidentalem, Iſaſchar una.*

26. *Et iuxta terminum Iſaſchar, à termino Orientali,uſq; ad terminum Occidentalem,Zebulon una.*

27. *Et iuxta terminum Zebulon, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Gad una.*

28. *Et iuxta terminum Gad eſt latus meridionale, terminus nempè à Thamar,uſquè ad aquas contradictionis Cades,ad torrentem* exeuntem *in mare magnum.*

29. *Hæc eſt terra quam ſortiemini hæreditariò Tribubus Iſraël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.*

30. *Hi quoque ſunt egreſſus civitatis, à plaga Septentrionali, cuius quater mille & quingenti* cubiti *menſura.*

31. *Portæ verò civitatis,de nominibus tribuum Iſraël ſunt, portæ tres verſus Septentrionem,porta Ruben una,porta Iudà una, porta Levi una.*

32. *Et ad latus Orientale, cuius quater mille quingenti* cubiti menſura : *& portæ tres,porta Ioſeph una,porta Beniamin una, porta Dan una.*

33. *Similiter ad plagam Meridianam, cuius quater mille quingenti* cubiti *menſura, etiam portæ tres, Simeonis una, porta Iſaſchar una, porta Zebulon una.*

34. *Ad plagam denique Occidentalem,cuius quater mille & quingenti* cubiti menſura, *& portæ eorum tres, porta Gad una,porta Aſer una, porta Naphthali una.*

35. *Sic per circuitum decies octies mille* cubiti, *& nomen Civitatis de hinc DOMINUS IBI.*

COM-

Digitized by Google



Digitized by Google

C A P. XLVIII.

1. *HÆC autem ſunt nomina tribuum ab extremitate Aquilonis ſecundùm viam Chethlonis verſus Emath, Hazer-Enon, terminum etiam Damaſci verſus Septentrionem ad Emath: Et termini illius ſunt termini Orientis & Occidentis. Et hæc portio Danis una.*

2. *Et iuxta terminum Dan, à termino Orientali uſque ad terminum Occidentalem, una Aſer.*

3. *Et iuxta terminum Aſer, à termino Orientali uſque ad terminum Occidentalem, una Naphthali.*

4. *Et iuxta terminum Naphthali, à termino Orientali ad terminum Occidentalem, una Manaſſe.*

5. *Et iuxta terminum Manaſſe, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, una Ephraim.*

6. *Et iuxta terminum Ephraim, à termino Orientali uſque ad terminum Occidentalem, una Ruben.*

7. *Et iuxta terminum Ruben, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, una Iuda.*

QVADRATVM SANCTVM.

8. *Et iuxta terminum Iuda, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem erit oblatio, quam offeretis vicies quinquies mille* cubitorum *latitudinis, & longitudinis, ſicut unam reliquarum portionum, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem: Et in hac erit ſanctuarium.*

9. *De hâc porrò oblatione offeretis Domino* portionem *longitudinis vicies quinquies mille, & latitudinis decies mille* cubitorum.

10. *Et hæc portio ſancta ſit Sacerdotum: ad Septentrionem nempè & Meridiem longitudinis vicies quinquies mille, ad Occidentem verò & Orientem latitudinis decies mille* cubitorum. *Et ſanctuarium Domini in medio eius.*

11. *Sacerdotum*, inquam, *quiſquis ſanctificatus fuerit de filiis Tzadoc, qui rectè functi ſunt miniſterio meo, qui non errârunt cùm errarent filij Iſraël, quemadmodum Levitæ errârunt.*

12. *Et cedet illis hæc conſecrata portio, in quâ Sanctum ſanctorum eſt, de portione terræ, iuxta Levitarum terminum.*

13. *Sed & Levitis iuxta terminum Sacerdotum vicies quinquies mille longitudinis, & latitudinis decies mille* cedent. *Omnis longitudo vicies quinquies mille, & latitudo decies mille* cubitorum.

14. Et

Digitized by Google

14. Et non vendent ex eo, neque commutabit quiſquam, neque transferet præſtantiam terræ, quoniam ſancta Domino.

15. Quinquies verò mille cubiti, reſiduum nempè latitudinis (quadrati ſancti) in fronte vicies quinquies mille cubitorum, commune eſt civitati in habitationes & ſuburbia: & civitas erit in medio eius.

16. Cuius hæ ſunt menſuræ: latus Septentrionale quater mille & quingentorum: Latus meridionale quater mille & quingentorum: Latus Orientale quater mille & quingentorum: latus denique Occidentale, quater mille & quingentorum cubitorum.

17 Erunt igitur ſuburbia civitatis ad Aquilonem ducentorum & quinquaginta, & ad meridiem ducentorum & quinquaginta, & ad Orientem ducentorum & quinquaginta, & ad Occidentem ducentorum & quinquaginta cubitorum.

18. Quod autem reliquum eſt in longitudine, iuxta portionem ſanctam, nimirùm decies mille cubiti verſus Orientem, & decies mille verſus Occidentem, iuxta portionem ſanctam huius proventus, cedunt in ſuſtentationem miniſtrorum Civitatis.

19. Miniſtri autem Civitatis quicunque ſervient illi, ſunt quicunque ex omnibus tribubus Iſrael.

20. Totam igitur oblationem hanc nempè vicies quinquies mille cubitos, per vicies quinquies mille cubitos quadratam offeretis in oblationem ſanctam, ſimul computata poſſeſſione civitatis.

21. Quod autem reliquum eſt, ab utraque parte oblationis ſanctæ & poſſeſſionis civitatis, in fronte vicies quinquies mille cubitorum oblationis, uſque ad terminum Orientalem, & Occidentem verſus rurſus in fronte vicies quinquies mille cubitorum, ad terminum Occidentalem ſecundùm partes reliquarum tribuum Principis eſt. Sic eſt oblatio ſancta, in cuius medio ſanctuarium domus.

22. Similiter à poſſeſſione Levitarum, & à poſſeſſione civitatis, quæ in medio eſt, reſiduum ad Principem pertinet, quicquid nimirùm intereſt inter terminum tribus Iuda, & inter terminum tribus Beniamin, Principis erit.

23. Reſi-

Digitized by Google

23. *Reſiduum denique tribuum à termino Orientali, uſq; ad terminum Occidentalem, Beniamin* portio *una.*

24. *Et iuxta terminum Beniamin, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Simeon una.*

25. *Et iuxta terminum Simeon, à termino Orientali, uſq; ad terminum Occidentalem, Jſaſchar una.*

26. *Et iuxta terminum Iſaſchar, à termino Orientali, uſq; ad terminum Occidentalem, Zebulon una.*

27. *Et iuxta terminum Zebulon, à termino Orientali, uſque ad terminum Occidentalem, Gad una.*

28. *Et iuxta terminum Gad eſt latus meridionale, terminus nempè à Thamar, uſquè ad aquas contradictionis Cades, ad torrentem* exeuntem *in mare magnum.*

29. *Hæc eſt terra quam ſortiemini hæreditariò Tribubus Jſraël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.*

30. *Hi quoque ſunt egreſſus civitatis, à plaga Septentrionali, cuius quater mille & quingenti* cubiti *menſura.*

31. *Portæ verò civitatis, de nominibus tribuum Jſraël ſunt, portæ tres verſus Septentrionem, porta Ruben una, porta Iudà una, porta Levi una.*

32. *Et ad latus Orientale, cuius quater mille quingenti* cubiti menſura *: & portæ tres, porta Joſeph una, porta Beniamin vna, porta Dan una.*

33. *Similiter ad plagam Meridianam, cuius quater mille quingenti* cubiti *menſura, etiam portæ tres, Simeonis una, porta Iſaſchar una, porta Zebulon una.*

34. *Ad plagam denique Occidentalem, cuius quater mille & quingenti* cubiti menſura*, & portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aſer una, porta Naphthali una.*

35. *Sic per circuitum decies octies mille* cubiti, *& nomen Civitatis dehinc DOMINUS IBI.*


COM-



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIVS IN Caput XL. EZECHIELIS.

Difficultas & obſcuritas huius partis Ezechielis.

ACCEDIMVS, DIVINA ADSPIRANTE GRAtia, ad interpretationem vltimi vaticinij Ezechielis, quod ab hoc Cap. 40. vſq; ad finem Libri continuatur. Idem autem cum hoc Ezechielis volumine euenit, quod cum libro Geneſews; cuius principium & finis, tantæ obſcuritatis & difficillimæ explicationis ſunt, vt ſicuti ſupra in principio huius Commentarij noſtri meminimus, ante maturam ætatem nemini Hebræorum legere licuerit. Sic & principium & finis Ezechielis, eiuſdem obſcuritatis & difficultatis ſunt, vt quis ſenſus eorum ſit & quæ interpretatio, magna ſit Interpretum varietas, labor & ſudor omnium maximus. Vnde Beatus Hieronymus ad principium huius vaticinij: *Trepidationem meam, in explicatione Templi Ezechiel, imò tacendi perſeuerantiã, tuæ, Filia Euſtochium, preces, & Domini promiſſa ſuperarunt, dicentis: petite & accipietis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Et qua nos excuſatione vſi ſumus, vt in calce anterioris voluminis diceremus, melius eſt nihil, quàm parùm dicere: Tu eam vertiſti in contrarium, vt referre putes ſaltem parùm, quàm nihil dicere. Quia in altero voluntas prompta, in altero totius operis deſperatio.* Hæc ibi. Et poſt aliqua. in Caput X L. quæ mihi cum Beato Hieronymo communia eſſe velim, ita loquitur: *Simpliciter igitur eſt fatendum, me Templum beati Ezechielis, quod ſecula cuncta tacuerunt, non temeritate velle diſſerere, ſed ſide & timore Dei, coniecturam animi mei cupere legentibus demonſtrare, vt ſi ego in Tabernaculum Dei pelles caprarum, piloſq; obtulero, vnde peccatorum ſpinæ & aculei protegantur, & arceantur pluviæ & tempeſtates: alius, qui dives eſt, pro qualitate meritorum, vel ferrum, vel æs, vel argentum, aurumq; & pretioſiſſimos lapides offerat: & non noſtra, quia ſunt minora contemnat, ſed proprijs gaudeat opibus.* Sic ille. Quia verò Domini auxilio, initium huius Voluminis non infeliciter, vt ſpero, ſuperauimus, eodem innixi, etiam de fine cognoſcendo, aliquid conabimur. Idem namque Spiritus, qui hanc viſionem Ezechieli noſtro exhibuit, nobis ſcrutantibus eam, & auxilium eiuſdem inuocantibus, & poterit & delectabitur interpretari. Si non ad minutiſſima quæque penetrare poterimus; ad ea tamen acceſſus patebit, quæ maximè vtilia & ſalutaria eſſe poterunt. Vnde Lutherus in præfat. ſuper Ezechielem: **Wie aber alle Stuck zu deuten vnd zuſetzen ſeind aigentlich / das wöllen wir ſparen biß in jhenes Leben / wann wir den gantzen Baw alsdann allerding bereit vnd fertig ſehen werden.**

In proœmio ad Euſtochium.

Falſa interpretationes & Somnia Hebraorum.

Primùm omniũ autem inveſtigandũ, quid per iſtam viſionem, deſignetur. Hîc enim inter Hebræos, & nos Chriſtianos (vt in pluribus etiam alijs Scripturæ locis) ingens eſt diſcrepantia. Hebræi namque Doctores ſomniârunt,

hanc viſionem fuiſſe deſignationem, deſcriptionem & delineationem, Vrbis & Templi, ſicuti poſt captivitatem Babylonicam, per Zorobabelem & Nehemiam reſtituenda & reſtauranda eſſent. Poſteaquam autem, ex hiſtorijs illorum temporum, huius viſionis complementa demonſtrare non potuerunt; ideò hoc ſomniorum ſibi latibulum & refugium compararunt: non vno tempore, nec ſub vno Principe, omnes illas ſtructuras perfici potuiſſe, ſed plures etiam extraneos Reges, operam & opes ſuas, huic reſtaurationi communicare & inſumere debuiſſe. Adeoque viſionem hanc nihil aliud fuiſſe, quàm ſolatium captiuorum in Babylonia; optimè nimirum ſperandum, quia non tantum captivitatis illius ſolutio, ſed magnifica ſplendidiſſimaq;, & Vrbis & templi redintegratio expectanda ſit. Adeoque carnales homines, vltra lignum & lapides, nihil ſapiunt nihil intelligunt, nihil aſſequuntur.

Hodierni Hebræi, cùm de Templo & Vrbe, per Zorobabelem & Nehemiam reſtaurato, præſens vaticinium verificari nunquam poſſe, ſatis intelligant, in alio ſomnio refugium quærunt: dicunt enim, eſſe in hac viſione deſcriptionem Templi & Vrbis, qualis futura ſit ſub aduentum Meſſiæ, quem purum hominem expectant, Prophetam tamen & ipſo Moſe ſanctiorem.

Refutatio earundem.

Sed vt de prioris interpretationis abſurditate, aliquid attingamus, plurimis, ijsque firmiſſimis argumentis demonſtrari poteſt, hanc viſionem, ſicuti Prophetæ noſtro Ezechieli oblata eſt, de Vrbe & Templo, ſicuti poſt reditum Babylonicum per Zorobabelem & Nehemiam reſtaurata ſunt, nunquam poſſe explicari.

Principiò namque omnium Hiſtoriarum vnanimi conſenſu conſtat, Templum Salomonis, in ipſa civitate Hieruſalem primò ædificatum, & poſtea per Zorobabelem, eodem in loco reſtitutum eſſe. Templum autem huius viſionis, ab ipſa vrbe, benè magno intervallo diſtat. Ergò viſio hæc de Zorobabelis reſtaurato Templo nō poteſt intelligi. De diſtantia autem illa, & eiuſdem menſura, in ipſa enarratione textus, Deo dante, aliquid videbimus.

Simili ratione, ſi Civitatis, ſi templi quoque circuitum metiamur, ſicuti in viſione hac deſcribuntur, longè maiores & ampliores eos habebimus, quàm priſcæ illi Vrbi aut Templo conveniant.

Præterea in cap. 47. hæc viſio, in ipſo templo aquas ſcaturientes nobis demonſtrat, quæ mirabiliter euntes, mirabiles in littoribus arbores habeant, & ſingulis menſibus novos edant fructus, & in mare mortuum ingreſſæ, & putredinem & omne iſtius lacus vitium, ſanent. Quarum omnium rerum, nihil in templo Zorobabelis per Romanos poſteà deſtructo eſt obſervatum. Nulla enim hîc flumina, nullæ arbores, nulli menſtrui fructus, nulla maris mortui vivificatio, nulla amaritudinis illius dulcedo.

Quæ omnia ſatis manifeſtè oſtendunt: viſionem hanc de templo Hieroſolymitano, poſt captivitatem Babylonicam reſtaurato, neutiquam accipiendam eſſe.

Ad poſteriorem opinionem quod attinet, quùm ipſum illud ſomnium, quod de adventu ſui carnalis Meſſiæ, nudi Hominis habent Hebræi, in ſeſe abſurdum & blaſphemum ſit, & nobis Chriſti cultoribus longè aliud, & de iam exhibito Meſſia, & de eiuſdem Perſona & dignitate, ex ſacris literis conſtet, quomodo non & illud ſomnij annexum, & ipſum ſomnium, & nugaciſſimas nugas habeamus.

Verus viſionis Scopus & Argumentum.

Reſtat igitur, vt iſtius viſionis, aliam, & ſpiritualem illam interpretationem eſſe credamus, quæ à carnalibus iſtis cogitationibus procul remota, maiora nobis & præſtantiora beneficia deſcribat, quàm externus verborum cortex, oſtendit. Non igitur externa Civitas Hieroſolymitana, ſed Civitas cœleſtis aut ſpiritualis deſcribitur, cui nomen eſt: *Dominus Ibi*, Cap. vlt. verſ. vlt. Non templum Zorobabelis, ſed templum ſive Eccleſia Chriſti deſcribitur: non

cultus

Digitized by Google

cultus Leviticus; ſed Evangelicus: denique non ædificia, non manſiones externæ, ſed beneficia Regni Chriſti, eiusque flos, pulcritudo & amplitudo in hac viſione Prophetica ante oculos noſtros depingitur. Iſthæc omnia verò ſub vmbris, & verbis Typicis, ex circumſtantijs, temporum, locorum, cultuum, iſtius populi deſumptis, cui viſionem hanc ſibi oblatam, Propheta noſter voluit enarrare. Hæc de ſumma & Argumento viſionis.

Diviſio viſionis.

Quanquam porrò vnica illa fuerit viſio, non incommodè tamen ad maiorem rerum intelligentiam, & fidelitatem memoriæ, in tria Capita diſtingui poteſt. Quorum *Primum* agit de reſtitutione Templi, Capp. 40. 41. & 42. *Secundum*: de ipſo cultu, Capp. 43. & 44. *Tertium*, de Reformatione totius Regni, Capp. 45. 46. 47. & 48. In quibus omnibus deſcribendis, vt dictum eſt, vtitur Propheta, vel Dominus potius, qui hanc viſionē Prophetæ exhibuit, verbis & phraſibus ſtatui Hebræorum accommodatis, hoc eſt, deſcribit quaſi Templū Hebræorum: deſcribit quaſi cultum Hebræorum: deſcribit quaſi terram Hebræorum; cum tamen nihil eorum intellectum, ſed Regnum Chriſti ſpirituale & Evangelicum deſignatum voluiſſet. Plura tamen interſerit, quæ à priſca illa forma, nō parvam diſcrepantiam habebant, vt vel inde colligerent, de alia re viſionem accipiendam eſſe, quam eiuſdem deſcriptionis verba ſonarent; de quibus aliqua vidimus in delineatione Argumenti: plura Deo dante in explicatione Textus.

Quia verò dictum eſt, totum vaticinium; in tria poſſe membra dividi; in quorum primo, tribus capitibus, de ſtructura Templi agatur, iam ad eius partis, divino afflante Spiritu, explicationem accedimus: hoc ſemper ante oculos poſito Axiomate: ſatis eſſe in eiuſmodi obſcuris textibus eniti velle; ſi non detur penetrare ad intima. Quam ipſam ob cauſam, tanta, quanta fieri poterit brevitate, hanc viſionem percurremus, contenti futuri, ſi principalia quædam myſteria piè liceat admirari.

Cap. 40. v. 1. *In viceſimo quinto Anno.*) Primum membrum huius viſionis, tribus proximis capitibus conſtans, habet partes duas, I. *Exordium eſt.* à verſ. 1. vſq; ad 5. huius Cap. 40. II. Reliqua perpetua narratio ſeu Architectonica deſcriptio ſunt, à verſ. 5. cap. 40. vſq; ad Caput 43.

Circumſtantiæ viſionis.

Exordiū quatuor verſibus conſtans, quatuor viſionis circumſtantias explicat. I. Eſt Temporis. v. 1. Secunda modum explicat. v. 2. Tertia Authorem monſtrat. v. 3. Quarta viſionis commendationem addit & vſum. v. 4.

I. *Tempus oblatæ viſionis.*

v. 1. *In viceſimo quinto Anno.*) Prima circumſtantia eſt notatio Temporis, quando nimirū hæc vltima viſio, Prophetæ noſtro Ezechieli, in Babylonia inter Captivos habitanti, oblata ſit. Anno videl. 25. tranſmigrationis. Vel, quod in idem recidit Anno 14. poſt captam & deſolatā vrbem. Hæc vt plenius intelligantur, ſciendum eſt, Prophetam noſtrū Ezechielem, nō vna ſed pluribus vti Epochis, ad quas ſuas Prophetias accommodat. Duas habet in hoc verſu; alias alibi. Et in principio ſtatim ſui libri, alia vſus erat: ſic exorſus: *Et factum eſt in* 30. *Anno; in quarto, in quinta Menſis, cùm eſſem in medio captivorum, &c.* Communiſſimè autem numerat annos ſuos à Tranſmigratione Iechoniæ. Nam cùm is deditione facta, cum aliquot millibus Hebræorum, in Babyloniam abijſſet: inter eos ipſos captivos, noſter etiam Ezechiel in Babyloniam venit, vbi & hoc, & omnia libri ſui vaticinia edidit. Vndecim annis pòſt, ſequuta eſt captivitas Sedechiæ; & totius vrbis devaſtatio. Referente Hiſtoria Regum. 2. Reg. 24. & 25. Illa Iechoniæ translatio, vocatur tranſmigratio Babylonica: Hæc verò poſterior deſolatio, Captivitas Babylonica appellatur. Ab vtraque harum Epocharum præſens vaticinium notat Ezechiel. Nam ab Epocha tranſmigrationis numerabatur Annus viceſimus quintus: Ab Epocha verò deſolationis, currebat Annus decimus quartus. Et res ipſa ita loquitur: poſt vndecim enim annos, Iechoniam tranſ-

Digitized by Google

migrantem ſequutus eſt Sedechias captivus in Babyloniam. Ex annis igitur viginti quinque tranſmigrationis Iechoniæ, ſubduc annos vndecim Sedechiæ relinquitur annus 14. præſentis viſionis. Annus igitur vigeſimus quintus tranſmigrationis: & annus 14. deſolationis, in eundem terminum coincidunt, qui fuit exhibitæ huius viſionis.

Quæ Chronologica meditatio, alia adhuc ſuppeditat. Quia enim annus quintus tranſmigrationis, fuit triceſimus ab inventa Lege per Ioſiam (vt ex Ezechiel. 1. verſ. 1. 2. patet) ſequitur hunc ipſum annum præſentis viſionis, fuiſſe annum quinquageſimum ab eadem inventione. Et amplius, cùm apud Chronologos inveniantur qui annum, in quo Lex per Joſiam inventa eſt, fuiſſe annum Iubilæum exiſtiment, ſequitur, hunc eundem annũ, in quo nobiliſſima hæc viſio Prophetæ noſtro exhibita eſt, & eundem Iubilæum fuiſſe. Sed Mœſtlinus, præſtantiſſimus noſtræ Scholæ Mathematicus, in Chronologicis ſuis demonſtrat, annum 10. Sedeciæ, hoc eſt, annum proximum ante vrbis devaſtationem, Iubilæum fuiſſe: Vnde ſequitur, hunc viſionis annum fuiſſe 16. à Iubilæo.

Curſus Propheticus Ezechielis. *Præterea:* Cùm vates noſter, Propheticam ſuam concionem dederit anno quinto, ſupra Cap. 1. verſ. 2. hanc autem viceſimo quinto, ſequitur illum vaticinandi ſuo munere defunctum eſſe per annos viginti: Cæpit enim anno quinto: deſijt anno viceſimo quinto tranſmigrationis.

II. Modus viſionis. v. 1. & 2. *In ipſa hac die facta eſt ſuper me.)* Secunda circumſtantia eſt Modi & Loci, quomodo hæc viſio Prophetæ oblata ſit. Non enim fuit inanis perſuaſio, nuda imaginatio, aut febrile ſomnium, ſed virtus fuit & vis divina, eadem ratione, qua prima viſio Prophetæ noſtro exhibita eſt. Ezechiel. 1. 3. *Facta eſt ſuper Ezechielem manus Domini.* Quomodo autem, dilucidiùs explicatur: *In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſraël.* Manſit quidem Propheta, corporis ratione in Babylonia, inter captivos filios peregrinationis, in Spiritu autem & viſionibus, deductus in terram Iſraël. Fuit igitur viſio mentalis & Prophetica. Vocat autem vaticinium hoc *viſiones*, multitudinis numero. Quòd licet vnica ſit viſio, plures tamen partes habeat, ac plura membra. Et vocat *viſiones DEI*, tàm Authoritatis conciliandæ, quàm Emphaſeωs gratiâ, Phraſi Hebræa. Notum enim eſt res pretioſas, & excellentes, illuſtriores reddi & commendari, addito nomine Dei. Vt *Mons Dei, Civitas Dei, Vir Dei, Hortus Domini*, & quæ id genus ſunt alia. Sic *viſiones Dei*, hoc eſt, viſio excellens, illuſtris, nobilis.

Ezech. 1. 3. & 3. 22.

Locus viſionis. Ad Locum viſionis, quod attinet. Dicit primùm: adduxit me manus Domini illuc; ſcil. ad Hieroſolymas deſolatas: præceſſerat enim de Civitate percuſſa. Et per Exegeſin ſtatim addit: *Adduxit me in terram Iſraël:* Et tertiò ſpecialiùs; *dimiſit me, ſuper montem excelſum nimis.* Is autem eſt Mons Sion: Super quem viderat, quaſi ædificium civitatis, vergentis ad Auſtrum. Illa Civitas ſub finem vaticinij deſcribitur. Sin de ipſo Templo hæc verba accipienda videantur, neque illud abſonum fuerit, cùm tantæ amplitudinis & admirandi operis deſcribatur, vt civitatem referre videretur. Ideò textus habet: Erat *quaſi* ædificium civitatis.

III. Author ſive Demonſtrator, Propheticæ viſionis. v. 3. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies.*) Tertia circumſtantia viſionis Authorem cõmonſtrat, quo nimirùm Iudice & monſtratore, omnia viderit, omnia didicerit Propheta. Is fuit vir, cuius erat *ſpecies, quaſi ſpecies æris* ſive politi chalybis, *& funiculus lineus in manu eius, & calamus menſorius in manu eius, & ſtabat in porta.* In hac proſopographia hæc obſervanda ſunt: 1. Vultus & ſpecies viri, quæ lucida & ſplendida fuit, ſpeculi inſtar, inſtar mundiſſimi & purgatiſſimi Chalybis. Er hat glantzet wie ein Stähliner ſchön palierter Spiegel.

1. Vultus & Aſpectus Monſtratoris.

Secundò, notanda ſunt inſtrumenta, quibus Demonſtrator ille inſtructus

ctus fuit. Habuit autem alterâ manu funiculum lineum; alterâ, calamum menſorium, Zachariæ 2. verſ. 1. Similis locus habetur. *Et levavi oculos meos & vidi: Et ecce vir, & in manu eius funiculus menſuræ. Et dixi: Quo tu vadis: & dixit, vt metiar Hieruſalem, & videam, quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius, &c.* Vbi loci funiculus menſuræ, vel menſorius, eſt funiculus quo Architecti, ampliora ſpacia commodè metiuntur. Præſente verò loco, quia & funiculi linei, & calami menſorij mentio fit, Ego ſanè per funiculum lineum, libramentum etiam perpendiculi intelligi poſſe arbitror; per calamum verò, perticam ſive virgam menſoriam. **Er hat Bleywag vnd Meßruten in der Hand gehabt.** Virgam autem menſoriam, ſive perticam calamum appellat, quia iſtis in locis, calamis ſive cannis, tùm propter levitatem, tùm propter æqualitatem ad dimetiendum commodiſſimè vtebantur. Quæ vocis ſignificatio, etiam Apocalypſ. 11. 1. occurrit. *Et datus eſt mihi calamus, ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi, ſurge & metire templum Dei.* *2. Inſtrumenta Monſtratoris.* *Funiculus lineus.* *Calamus.*

Tertiò notandus eſt etiam huius Menſoris locus. Stetit is cum ſuis hiſce Inſtrumentis, in porta Templi. *3. Monſtratoris Locus.*

IV. *Viſionis vtilitas.*

v. 4. *Et loquutus eſt ad me idem vir.*) Hic quartus verſus finem viſionis, hoc eſt, vtilitatem & vſum explicat. Hæc enim omnia monſtrata ſunt Ezechieli, non propterea, vt ipſe ſolus earum rerum notitiam haberet, ſed vt eadem diligentiſſimè perſpecta & cognita, alijs communicaret. Diligentiam & ſtudium cognoſcendi, pluribus, ijsque iteratis verbis commendat. *Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi:* hoc eſt, omnia quàm fieri poteſt diligentiſſimè obſerva, perpende, memora, & intimè animo mentique tuæ infigas, quæcunque monſtravero tibi. Sed in quem finem? *vt annuncies domui Iſrael.* Propterea enim in hunc locum adductus es, vt hæc cognoſcas: & cognita illis communices. Quia verò in ſuperioribus iam monſtratum eſt, hanc viſionem, Mentalem & Propheticam fuiſſe, Prophetâ corpore ſuo, longè illic in Babylonia commorante; Ideò, quæcunque hîc, & de oculis, & de auribus dicuntur, illa non de corporeis illis ſenſibus, ſed de animi intentione & ſumma mentis acie ſunt accipienda.

Hæc de Exordio, in quo plurima cumulata ſunt Argumenta, quibus authoritas, dignitas & amplitudo huius viſionis, ad oculum demonſtrari poteſt. Viſio enim eſt divina, divinitus oblata, de rebus divinis. Oblata Prophetæ, qui manu Dei, in locum ſanctum deductus, ab ipſo Domino, de ſingulis diligentiſſimè inſtitutus fuit, & ita inſtitutus, vt ijs probè notatis, memoriæque mandatis, deinceps eadem toti populo revelaret. Ex quibus, rerum dignitatem & celſitudinem, nemo eſt, qui non apertè intelligat? Hæc de textu.

LOCI COMMVNES SEV DOctrinæ Theologicæ.

I. *De obſcuritate viſionis.*

Principio huius explicationis dictum eſt, vaticinium hoc Ezechielis longè omnium obſcuriſſimum eſſe, tùm propter phraſin, & ſuccinctam brevitatem Hebræam, quæ, res iſthoc tempore notiſſimas, pauciſſimis verbis attingens ſtringensq; nobis, quibus hodiè, & locorum, & iſtius temporis ſtructuræ rationes ignotæ ſunt, ſummam obſcuritatem gignit, tùm propter Propheticas & ſpirituales ſignificationes, quæ à Propheta non ſunt additæ. Quanquam igitur animus eſt, totum vaticinium, quanta fieri poteſt, brevitate percurrere, neq; tamen vel ſperare, vel polliceri poſſumus, nos in tanta difficultate, & obſcuritate rerum, omnia Propheticæ huius viſionis abdita & arcana aſſequuturos eſſe: pro ea tamen benignitate & gratia, quã Dominus ipſe ſuppeditaverit, primarias ſignificationes eius inveſtigabimus, & inveſtigatas, Scripturæ S.

 conformiter

Digitized by Google

Quæſtio contra Pontificios de obſcuritate Scripturarum.

Non omnia in Scripturis,nec omnibus ſunt plana.

conformiter interpretabimur: Cætera, & alijs interpretibus, & Celſioris Academiæ ſtudijs reſervaturi. Vbi in locorum communium Exordio, hoc primum annotabimus: In quæſtione contra Pontificios, de obſcuritate ſacrarum literarum, illud perſpicuum eſſe, non omnia omnibus Lectoribus, etiam attentis, & nonnihil in Scripturarum explicationibus verſatis, obvia, plana & expedita eſſe: multa enim occurrunt (in quorum numero, hoc præſens Ezechielis vaticinium eſt) quæ Lectorum animos, ſtudiaque exercere poſſunt. Illud verò neutiquam inde ſequitur, quod Pontificij, contra omnes concludendendi Regulas, colligere ſatagunt: Omnes ſimpliciter Scripturas, tenebrarum & obſcuritatum nebulis, adeò involutas, atque opacatas eſſe, vt nihil inde lucis, aut cognitionis rerum, ad ſalutem æternam pertinentium, à Laicis ſalubriter hauriri poſſit. Id quod directè contra Authorem eſt Scripturarum, Spiritum ſanctum, quaſi, qui homini mentem & linguam dedit, ipſe articulatè & explicatè loqui neſciat. Contra finem eſt Scripturarum, quæ poſſunt nos inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. *Omnis enim Scriptura divinitus inſpirata, vtilis eſt, ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Iuſtitia: vt perfectus ſit Homo Dei, ad omne bonum opus inſtructus.* Cuius Apoſtolici enunciati, ſingula verba ſententioſa, & Argumentorum, Pontificia βδελύγματα confutantium, pleniſſima ſunt & nervoſiſſima. Interim ſcitum illud Auguſtini pronunciatum diligenter & ſtudioſè obſervandum eſt: *Nihil ex illis obſcuritatibus erui, quod non alibi pleniſſimè traditum reperiatur.* Iſthac autē ratione, quòd eaſdem res, planiùs alibi, alibi obſcuriùs atque intricatiùs proponere voluit Dominus, & infirmitati noſtræ, quæ obſcurè dicta & nullibi explicata, aſſequi non potuiſſet, ſuccurrere, & quæ in rebus vbique apertis exoriri potuiſſet, ſatietati occurrere; diligentiam denique noſtram, quæ in enodandis & evoluendis obſcurioribus exerceretur, voluit excitare. Adeò benignus & clemens eſt Dominus, vt Iucundiſſimo iſthoc Temperamento rerum, & ſalutem noſtram promovere voluerit, & rebus divinis ſcrutandis animum nobis & calcar addere. In perveſtigando igitur, & ſcrutando hoc *Templo Prophetico*, debita nobis & opera & diligentia ponenda eſt, qua cum illud quoque ſtudij coniunctum fore polliceor, vt, quanta maxima fieri poteſt brevitate, hanc contemplationem abſolvamus. Sicut enim ſtructuras, & opere & arte admirandas contemplari iucundum eſt: Iuſto autem longius illis immorari vel moleſtum, vel alijs etiam rebus expediundis, impedimento: ſic operam dabimus, vt cum Propheta tranſeuntes, hoc ædificium viſionis huius ita contueamur, vt ad alia quoque pergentibus, nulla nobis non neceſſaria remora obijciatur. *Hæc de obſcuritate viſionis.*

Nec tamen omnia obſcura.

2. Timoth. 3. 15.

Si in Scripturis omnia plana eſſent, ſatietas & faſtidium oriretur: ſin obſcura omnia, ignorantia, & deſperatio.

II.

Doctrina ex Chronologia.

v. 1. *In viceſimo quinto anno.)* Chronologiam, quam in initio huius vaticinij, ſingulari ſtudio vates deſcripſit, non oſcitanter prætereamus. Ex illa namque hoc primùm conſtat: Hanc viſionē Prophetæ noſtro, in captivitate Babylonica, deſtructâ iam & deſolatâ Vrbe, oblatam eſſe, quæ temporis notatio tota eſt conſolatoria, deſcriptio videlicet Eccleſiæ Catholicæ, quam Chriſtus futurus mundi Meſſias, in toto terrarum orbe, ex Iudæis & gentibus eſſet extructurus. Ex qua rerum facie, hæc doctrina & iucundiſſima & pleniſſima conſolationis colligitur: Cùm res omnium deſperatiſſimæ & deploratiſſimæ eſſe videntur, Dominus de ſalute & incolumitate Eccleſiæ ſuæ, quàm maximè paternè ſollicitus eſt. Iſthuc Temporis, ad miſerias & extremas calamitates Hebræorum, nihil amplius accedere potuiſſe videbatur. Populus enim in Captivitatem Babylonicam abductus, Vrbs flammis vaſtata, terra in ſolitudinem & vaſtitatem deſolata erat, Nulla liberationis ſpes, nullum auxilium, refugium nullum vſpiam conſpiciebatur, Tunc ecce Dominus, in deſcribenda Eccleſiæ nobilitate ſingulariter occupatus eſt, & hanc omnium nobiliſſimam & præſtantiſſimam viſionem, cui ſimilis

1. Statu rerum omnium deploratiſſime, Deus pro Eccleſia ſua maximè eſt ſollicitus.

milis, nulla vllibi in ſcripturis extat, de amplitudine, dignitate & præſtantia Eccleſiæ, Prophetæ noſtro expromit, eaque tàm illum, quàm totum populum captiuitatis, firmiſſimo erigit ſolatio, nondum eſſe finem, licet omnia excidium & internecionem vndique minitentur: ſed reſtare adventum Meſſiæ, reſtare promiſſiones de colligenda Catholica & vniverſali Eccleſia, reſtare plurima eaque maxima & ſaluberrima beneficia, Novi Teſtamenti temporibus, fidelibus diſtribuenda. Quarum omnium rerum intuitu, animos erigant captivi, fidem rebus iſtis promiſſis confirment, patientiam pio robore fulciant, & omnes iſtas adverſitates & calamitates fortiter ſuperantes, meliora & nobiliora tempora præſtolentur. Iiſdem rationibus, dum adverſis exercemur, & nos ad patiētiam, conſtantiā, & fortitudinem erudiamur, Dominū videlicet pro ſalute noſtra curāda, maximè occupatū eſſe (ſi hoc verbo, de Deo loquentibus, vti liceat) cū nos adverſis maximè premimur. Ipſe. n. cōſolator & adiutor eſt, tempore opportuno, ipſe nobiſcum eſt in tribulationibus, ipſe eripit & glorificat, cùm internecioni iam videmur proximi. Sicut enim ægotantes liberos, tenerrimè & amant, & curant parentes, cæteris quaſi neglectis, ita proximus nobis eſt Dominus, cùm multiplici cruce & calamitatibus premimur. Sicut etiam triſtes & miſeros Hebræos, futurarum rerum promiſſionibus ille ſolatur & erigit; ſic futura bona, licet illa nondum videamus, & animos noſtros perturbatos ſuſtentare & præſentes mitigare debēt dolores. Inter iſtas autem promiſſiones, omnium præſtantiſſimæ ſunt, quas de Reſurrectione Carnis, de Abſolutione in extremo Iudicio, & de futura, æternâ, ineffabili, & immarceſſibili gloriâ vitæ cœleſtis præclariſſimas & multiplices habemus. *Hoc vnum eſt, quod in Prophetica illa Chronologia annotandum.*

Deinde ex eadem temporis deſignatione, etiam illud manifeſtum evadit (ſicut in Textus explicatione demonſtravimus) quòd Propheta noſter, triſtiſſimis illis temporibus, per 20. annos, vno in loco, & vnum apud populum, in Babylonia; Prophetico ſuo munere eſt defunctus; benè iuſto temporis ſpatio, & maximo fideliū, tùm iſtius temporis, tùm noſtro quoque, fructu & vtilitate: Gratias nimirum agēdum Domino, cùm præclaris Eccleſię Doctoribus, commodum docendi tempus, paternè concedit. Multò pluribus annis, Prophetico ſuo munere, defunctus eſt Eſaias Propheta, qui ſub Vſia exorſus, à Manaſſe ligneâ ſerrâ diſſectus fertur, quod ſpacium octoginta & amplius annos, in chronologicis ſupputationibus, complectitur. Similiter Evangeliſta Iohannes ſuæ functionis curriculo, reliquos oēs Apoſtolos eſt prætergreſſus. Econtrà Chriſtus, verbum & ſapientia Patris, & præcurſor eiuſdem Baptiſta, quo non maior ex mulieribus ortus eſt, breviſſimis ſpatijs curſus ſuos in terris degendo abſolverunt. Stephanus Protomartyr, & Iacobus Apoſtolus, cum ipſis exordijs ſuis, fines quoq; ſuos coniunxerunt. Quia verò fidelium Doctorum, ſicut & aliorum præſtantium virorum obitus, Eccleſiæ Chriſti plerunque calamitoſi ſunt, ideoq; pro longiore illorum vitâ, & incolumitate, devotè Auditoribus orandum.

2. Pro piis Doctoribus Deo gratia agenda ſunt.

Eſaia 3.2.

v. 2. *Dimiſit me ſuper montem excelſum.)* Hic Mons viſionis, Mons Templi Hieroſolymitani fuit, ſed totā Chriſti Eccleſiā nobis deſignat. Inter alia namque nomina, quæ Eccleſiæ in ſcripturis tribuuntur, qualia ſunt, quod *vinea* appellatur Eſa. 5. 2. Pſalm. 80. 9. Matth. 20. 1. *Ager.* Matth. 13. 24. *Hortus.* Cant. 4. 12. *Fons ſignatus.* Ibidem. *Columba.* Cant. 6. 8. Familiariſſimè quoq; *Monti, Domui, & Civitati ſuprà Montem extructæ aſſimilatur.* Quos proximos Titulos Dominus ad hanc nobiliſſimam viſionem elegit. Eſt enim Eccleſia, ille Mons Domini, de quo Eſaias. *Erit in noviſſimis diebus, firmus fiet mons Domus Domini, in vertice montiū & elevabitur ſuper colles.* Et ibidem mox: *Venite & adſcendamus ad montem Domini, ad Domum Dei Iacob.* De eodem Monte loquitur Domi-

III. Eccleſia eſt Mons & Civitas Domini.

Eſa. 2. 2. *verſ. 3.* *Pſalm. 2. 6.*

Pſalm.2.6. nus ipſe Pſalm. 2. *Ego conſtitui Regem meum ſuper Sion, montem ſanctum meum.*
Pſalm.48.2. Et Pſalmus 48. 2. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Civitate Dei noſtri, in*
monte ſancto eius. Mons Sion pulcerrima portio, gaudium univerſæ terræ. Ad latus A-
quilonare, ſita eſt Civitas Regis Magni. Et alibi ſæpiùs mentio fit Montis Domini:
qui typus fuit Eccleſiæ Catholicæ. Similiter Eccleſia, *Domus & Civitas Domini*
Eſa.2.v.3. frequenter appellatur. Citato loco Eſaiæ: *Venite & aſcendamus ad domum Dei Ia-*
1.Timoth.3.v.15. *cob.* Sic Apoſtolus: *Scias, quomodo oporteat, in domo Dei converſari, quæ eſt Eccle-*
ſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et Author Epiſtolæ ad Hebræos:
Hebr.3.11. *Moſes fidelis erat in tota domo Dei, tanquam famulus, &c. Chriſtus verò tanquam filius*
in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei, vſque ad finem firmam
retineamus. Communiſſimum autem eſt nomen *Civitatis*, quo Eccleſia, tùm
propter amplitudinem, tùm propter firmitatem & invictum robur inſigniri
Pſalm.46.5. ſolet. Sic enim Pſalm. 46. *Rivuli fluminis lætificant Civitatem Dei, ſanctas ha-*
bitationes Altiſſimi, Deus in medio eius, non commovebitur, adiuvabit eam Deus, ante
Pſalm.48.2. *auroram.* Et Pſalm. 48. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in civitate Dei no-*
ſtri. Et v. 9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini exercituum, in Civi-*
Pſalm.101.8. *tate Dei noſtri, Deus fundavit eam in æternùm.* Pſalm. 101. 8. *In matutino exter-*
mino omnes peccatores terræ, vt diſperderem de Civitate Domini, omnes operantes iniqui-
Eſaia 60.14. *tatem.* Eſaias, de Eccleſia Chriſti vaticinans, ita loquitur. *Curvi venient ad te*
Eſaia 62.12. *filij eorum, qui te humiliaverunt, &c. & vocabunt te Civitatem Domini.* Et cap. 62. *Tu*
vocaberis quæſita civitas (loquitur cum Eccleſia) *& non derelicta.* Hi ſunt tituli
Eccleſiæ Catholicæ (inter plurimos alios) quod vocatur Mons Domini, Do-
mus Domini, Civitas Domini, quos titulos Dominus, in hac viſione primarios
eſſe, & iiſdem ipſis conditionem & ſtatum Eccleſiæ, antè oculos noſtros de-
1. Eccleſia celſitudo & dignitas. pingere voluit. Nam montis celſitudo, Eccleſiæ celſitudinem & dignita-
tem, explicat, qua cum nulla alia totius Mundi ſtructura comparari poteſt:
Eſaia 2.1. ſiquidem Mons Domini, ſecundum Eſaiæ vaticinium, omnibus alijs multò
2. Eiuſdem gloria. eſt excelſior. Quæ ipſa ratio, eiuſdem quoq; nobilitatem, famam atque glo-
riam commendat. Quemadmodum enim elevati montis vertex, de longè
Matth.5.15. conſpicuus eſt; quemadmodum etiam Domus aut Civitas, in editi montis ca-
cumine ſita, latere non poteſt, (ipſo etiam Salvatore teſte) ſed procul con-
tuentibus ſeſe conſpiciendam præbet, ſic maximus Eccleſiæ ſplendor, radios
ſuos, vſq; ad extremos orbis fines diſpergit, nec vlla ſub cœlo gens eſt, aut na-
3. Eccleſia robur & firmitas. tio, quæ de Chriſtianorum Religione & cultu, famam non perceperit. Iidem
porrò tituli, Eccleſiæ robur, & invictam firmitatem demonſtrant. Ea namq;
loca, quæ & ſitus natura, & artis operibus munita ſunt, tutiſſima creduntur.
Matth.16.18. Eccleſia verò, Domus ſeu Civitas eſt, in altiſſimi montis vertice collocata, vn-
de tantam munitionis certitudinem habet, vt neque inferorum portas, con-
tra eam valere poſſe, Salvator teſtetur, ipſe exercituum Dominus. Vanæ igi-
tur ſunt machinationes, vaniſſimi conatus, omnium perſequutorum, Hære-
ticorum, ipſius diaboli, qui vel armis, vel pravis opinionibus, hãc arcem, ever-
Pſalm.46.3. ſam cupiunt, quæ inſuperabili petræ ſuperſtructa, caput invictum & inſupe-
rabile, inter nubila condit. *Propterea non timebimus, ſi vel terra loco ſuo moveretur,*
& montes præcipitarentur in medium maris, &c. Dominus exercituum nobiſcũ,
verſ.22. inſuperabilis munitio nobis, Deus Iacob. Et rurſus in eodem Pſalm. v. 22. *Do-*
minus exercituum nobiſcum, inſuperabilis munitio eſt nobis Deus Iacob.

II. v. 3. *Et ecce vir, cuius ſpecies.)* Quartus locus eſt de Architecto Eccleſiæ. Hic
Chriſtus Architectus Eccleſia ſua. namque vir, demonſtrator Ezechielis, non alius eſt, quàm filius Dei, ipſe fun-
dator, & Architectus ſuæ Eccleſiæ, de quo ſic Paulus: *Fundamentum aliud ne-*
1.Cor.3.11. *mo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Et Petrus ex ſcri-
1.Petr.2.6. pturis: *Ecce pono in Sion lapidem Angularem, electum, pretioſum: Lapis quem repro-*
baverunt ædificantes, hic factus eſt in caput Anguli: Sed quis, ſiue qualis ſit hic vir,
hâc eâdem Propheticâ viſione explicatur. Dicitur enim fuiſſe *ſpecies eius, quaſi*
ſpecies æris. Vbi primùm *æris* durabilitas, robur & fortitudo nota eſt. Quid
enim

Digitized by Google

enim durabiliùs, quid fortius, aut robuſtius ſit Deo, qui Deus ſæculorum, *Chriſtus verus*
Deus omnipotens eſt: Chriſtus enim filius eſt Dei viui. Eſt Deus benedictus *DEVS.*
in ſecula. Deinde *vir* dicitur: Chriſtus enim Architectus & Dominus Ec- *Matth.16.16.*
cleſiæ ſuæ, non tantum Deus, ſed in Perſonæ vnitate, ſimul quoque verus *Actor.9. 20.*
Homo eſt, ideò vir dicitur, quæ humana Chriſti Natura, non tantum de ſe- *Rom.9.5.*
mine Mulieris, de ſemine benedicto Abrahami, de filio Dauidis, de filio virgi- *Chriſtus verus homo.*
nis, de viro, quem Mulier circumdatura eſſet, & alijs id genus innumeris va- *Geneſ.3.15.*
ticinijs, ſed quibuſdam etiam viſionibus in V. T. ſanctis Dei hominibus ad- *Geneſ.12.7.* *2.Sam.7.12.*
umbrata eſt. Qualis Abrahamo facta eſt, cum haberet peregrinos obvios. *Eſa. 7.14.*
Qualis Iacobo, luctanti cum viro integram noctem. Et qualis Danieli, cùm *Ierem.31.22.*
videret Filium Hominis, appropinquãtem ad antiquum dierum. Talis etiam *Geneſ.17.1.*
eſt viſio noſtri Ezechielis, qui videt virum in Templo viſionis. Sed iſthæc *Geneſ.32.30.* *Daniel.9.18.*
omnia illuſtriora facta ſunt in N. T. ubi viſus eſt filius Dei in Carne, quùm
verbum æternum patris ex Maria virgine Caro factum eſt, auditæ ſunt
Conciones eius, ſub aſpectum omnium venerunt miracula ipſius, omnes
Actiones & paſſiones, quibus veriſſimus Homo compertus & comprobatus
eſt, vnde filius Hominis familiariter in ſcripturis N. Teſtament. appellatur: *Chriſtus ſegregatus à peccatoribus.*
Præterea, licet hoc in loco ſimpliciter & nudè dicatur, ſpeciem iſtius viri fuiſ-
ſe, ut ſpeciem æris, id tamen ego interpretandum judico, ex viſione cap. 1. v. 7.
vbi ſpecies iſthæc æris, fuiſſe dicitur, vt ſpecies æris ſiue Chalybis diligentiſſi-
mè perpoliti כְּנְחֹשֶׁת קָלָל **wie ein Ståhliner / wol Balirter hellglantzender Spiegel.** Quę ſpecies, non tantùm puritatem & innocentiam Chriſti
Saluatoris exprimit: vtpote, qui vacuus ab omni culpa, nullius erroris accu-
ſari potuit, ſed ſimul etiam gloriam & Maieſtatem eiuſdem depingit. Iſthic
namque ſplendor is ipſius eſt, de quo Iohannes conteſtatur: vidimus gloriam *Iohan.1.14.*
eius, gloriam, quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

v. 3. *Funiculus lineus in manu eius.)* De Perſona Chriſti vidimus: hæc ad *V.*
officium pertinent. Oſtendunt enim, Chriſtum Menſuratorem ſiue judicem *Chriſtus Iudex.*
eſſe in ſua Eccleſia. Stateram namque & perticam habet, quibus omnia, mi-
nima maxima metitur. *Neque enim pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium de-* *Iohan.5. 22.*
dit filio. Et rurſus ibidem: *poteſtatem dedit ei Iudicium facere, quia FILIVS* *v.27.*
HOMINIS EST. Statuit nimirùm pater iudicare orbem, per virum, per quem *Actor.17.31.*
decreverat. Ille vir eſt Chriſtus, *futurus Iudex vivorum & mortuorum.* *2.Timoth. 4. 1.*

v. 3. *Stabat autem in porta.)* Hoc etiam ad officium Chriſti pertinet: per *VI.*
ipſum nimirùm aditum nobis ad Patrem patere, ipſo hiſce verbis atteſtante: *Chriſtus oſtium ad patrem.*
Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Et rurſus: *Ego* *Iohan.14.6.*
oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur. Et initio eius capitis: *Amen dico vobis,* *Iohan.10.9.*
qui non intrat per oſtium, in ovile ovium, ſed aſcendit aliundè, is fur eſt & latro. Hic igi-
tur vir, ſtans in porta Templi, eſt Chriſtus Dominus noſter, *per quem acceſ-* *Rom.5.2.*
ſum habemus, per fidem in gratiam, per quem acceſſum habemus ad patrem.
Adeamus igitur cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur & gra- *Hebr.4.16.*
tiam inveniamus. Non enim difficilis, neque moroſus eſt hic oſtiarius, *ſed fa-* *Matth.11.28.*
cilis & mitis corde: venite, inquit, *ad me omnes:* & quàm ſit εὐπρόσοδος ipſe hiſce *Iohan.6.37.*
verbis explicat: *venientem ad me, non eijciam forâs.*

v. 4. *Fili hominis, vide oculis tuis.)* Septimus locus eſt, de diligentia & ſtu- *VII.*
dio rebus divinis adhibendo. Videmus enim, quot verbis, quantoque ſtudio *Diligentia in rebus divinis, quanta locanda?*
demonſtrator Ezechielis, ad diligentiam & ſtudium excitârit Prophetam. *Fili*
Hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſten-
dam tibi. Quicquid agis, prudenter agas, & ſedulò: ſecundum Apoſtoli moni-
tum: *Studio non pigri, ſpiritu ferventes.* Habentes enim donationes, ſecundũ gra- *Rom.12.11.*
tiam differentes, eaſdẽ ſinguli, ad Divini numinis gloriã (vnde profectæ ſunt)
& proximi vtilitatem adiungamus, *ſive miniſterium in miniſtrando: ſive qui docet* *Rom.12.7.*
in doctrina: qui exhortatur in exhortando: qui tribuit in ſimplicitate: qui praeeſt in ſol-
licitudine. Contra: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter,* ſive remiſsè. *Ierem.48.10.*

Nam

Nam vox Hebræa eſt רְמִיָּה quæ remiſſionem & negligentiam ſignificat,
Proverb.10.4. quod ex Antitheſi Solomonis evidenter clarum eſt. Prov. 10. 4. *Paupertatem operatur manus remiſſa : manus autem ſedulorum parat divitias.* Sicut autem in omnibus functionum muneribus, diligentiam & ſedulitatem adhibere decet, ita maximam & ſummam omnium adhibere decet in meditationibus, contemplationibus, & ſtudijs rerum divinarum. Hîc omnium Theologiæ ſtudioſorum, hîc omnium Miniſtrorum verbi, Aures, hæ voces dominicæ, perpetuò circumſonent: *Fili Hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi: & pone cor tuum, intende animum tuum ad omnia, quæ ego oſtendam tibi. Quia ut oſtendantur*
Matth.11.15. & 13. v.9.43. Marc.4.v.9.23. & 7.16. & 8.18. Luc.8.8. & 14.35. Item Apocal.2. v. 7.11.17.29. & 3.v. 6.13.22. & 13.9.
tibi, adductus es huc. Hoc eſt officium tuum: hæc omnis tua cura ſit, hæc unica ſollicitudo. Circumſonent verba Salvatoris; ſæpiſſimè in Evangelicis concionibus repetitâ: *Qui habet aures ad audiendum audiat:* Ita, *qui habet oculos ad videndum, videat,* legat, volvat & revolvat Scripturas S. qui Cor habet ad intelligendum, intelligat, ſcrutetur, meditetur Scripturas ſacras: breviter omnes vires, nervos omnes intendat ad omnia, quæ revelantur & oſtenduntur nobis in Scripturâ ſacra. *Qui legit* (inquit alibi Salvator) *intelligat.* Quæ res diligentiam, ſedulitatem, ſtudium indefeſſum, pias & nunquam intermiſſas preces flagitat. Nam animus remiſſus & vagabundus, ad medullas Scripturarum, nunquam penetrabit. Qua de re diligenter commentantur, Syraci-
Syrach.39.1. des, cap. 39. *Qui animum ſuum eò applicuit, ut diſcat Legem Dei, neceſſe eſt, ut ſapientiam antiquorum ſcriptorum exquirat, & in lectione Prophetarum verſetur, &c.* Et David in Pſal. 119. Qua de re alibi copioſiùs. Inde facilè colligi poteſt, ſi in alijs omnibus muneribus expediundis maledictus eſt, qui opus Domini facit remiſsè, ut ex Ieremiâ didicimus; quid benedictionis expectare poſſint, qui vel in Scholis verſantes, Theologiæ ſtudioſi, vel jam publicis muneribus præfecti, & conſtituti miniſtri verbi, in opere Domini, & ſtudio rerum divinarum remiſſi ſunt & negligentes? Quam ſententiam diligenter debent attendere, qui tempus ſtudijs ſacris debitum, vel otio, vel voluptatum delitijs, vel rei familiaris occupationibus, vel commeſſationibus, & compotationibus vel ludis, vel quibuſcunque aliis vanis negotijs attribuunt: Quibus, quicquid aliud agere, ἔργον eſt: Rebus ſacris incumbere, πάρεργον. Niſi cum diebus dominicis, ex obvio quocunque Poſtillatore, ſermo ad populum eſt recitandus. Prophetæ itaque Exemplo, de diligentia & officio noſtro admoniti eodem diligenter & vbique defungamur.

VIII. Diligentia in officio exequendo.

v.4. *Annuncia omnia, quæ tu vides domui Iſraël.*) Superior locus fuit de diligentiâ in ſtudijs ſacris adhibenda, & acquirenda ſapientia divina: Iam præſens hic octavus in ordine agit, de officio faciendo, & ad uſum transferendis ijs, quæ ex ſcripturis ſacris, diligenti & pio ſtudio percepta & hauſta ſunt. Nimirùm non ad noſtros duntaxat vſus acquiſita nobis cognitio rerum faciat, ſed ad aliorum inſtructionem, informationem, ædificationem & ſalutem, omnem notitiam, omnes vires & facultates noſtras accommodemus.
Matth.10.27. *Annuncia omnia, quæ vides, domui Iſrael. Quod dico vobis* (præcipit diſcipulis Salvator ſuis) *in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.*
1.Timoth.4.16. Eundem in finem, Paulus Timotheum ſuum, hiſce verbis inſtruit. *Attende tibi & doctrinæ, perſta in illis: Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos, qui te*
2.Timoth.4.2. *audiunt.* Et rurſus alibi. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrina.* Eundem in finem, ex Saulo Paulum, ex perſequutore Apoſtolum fecit Chriſtus; ut ipſe hiſce verbis eidem explicat: *In hoc apparui tibi, ut conſtituam te Miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti.* Ob-
Actor.26.16. ſerva; non ſatis erat Paulum vidiſſe; ſed teſtari debuit, de ijs, quæ viderat) Et ſequitur ibi: *Et nunc mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad DEVM, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſor-*
Iohan.12.28. *tem inter ſanctificatos per fidem, quæ eſt in me.* Quemadmodum igitur, quando Chriſto

Digitized by Google

Chriſto prædicante & orante, vox de Cœlo venit: clarificavi te, & iterum clarificabo: Chriſtus ita eſt interpretatus: Non propter me, hæc vox venit, ſed propter vos: Ita quilibet Miniſter verbi aut Paſtor Eccleſiæ, ſi quæcunq; dona SS. acceperit, ſi monſtrata & revelata ipſi fuerint myſteria ſcripturarum: id ſibi obtigiſſe ſciat, non propter ipſum, ſed propter domum Iſraël, hoc eſt propter auditores ipſius. Nam vt oſtendantur tibi, adductus es huc: Tu *annuncia omnia, quæ vides, domui Iſraël.* Quæcunque igitur Theologiæ Studioſus aut verbi miniſter, diligenti ſtudio & aſſiduitate aſſequutus fuerit, iſthæc omnia, ad ſummam ſalutem & felicitatem auditorum applicabit, ſuoq; miniſterio, Numinis benedictionem, pijs votis ſeriò precabitur. *Diligenter* autem hoc loco obſervandum eſt, tàm in contemplationis, quàm in renunciationis mandato, *univerſalitatem vrgeri: Fili hominis, pone cor tuum in O M N I A, quæ ego oſtendam tibi:* Et rurſus*: Annuncia O M N I A, quæ vides, domui Iſraël.* Sicut igitur Eccleſiæ miniſter, omnium ſcripturarum, diligens ſcrutator, ita omnium ſcripturarum, diligens annunciator eſſe debet. Monſtrata autem eſt Prophetæ noſtro, non tantùm ſtructura tẽpli, altaris, exedrarum, & reliquarum partium: ſed in mandatis quoq; datum, vt Hebræorum peccata, ſcelera, & abominationes, graviſſimè reprehenderet; *Fili Hominis* (infra cap. 44. 5.) *pone cor tuum, & vide oculis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te, &c. Et dices ad rebellem domum Iſraël: Hæc dicit Dominus D E V S: Sufficiant vobis, omnes abominationes veſtræ, ô domus Iſraël, &c. Et diſſolvitis pactum meum, in omnibus abominationibus veſtris.* Et quæ ſequuntur. Eadem ratione verbi miniſter, non *Evangelium* tantùm, ſed & *Legem*, adeoque omnia, quæ audiverit, & viderit in verbo Domini, omnia annunciaverit domui Iſraël. *Bonus pater familiâs, vetera & nova, de Theſauro ſuo profert:* Et fidelis miniſter, *Evangelica* & *Legalia. Inſta opportunè & importunè*, dicit Paulus. *Porrò*, ſi ad vniverſum genus revocemus argumentum, omnibus, maximè præceptoribus, & publicis ſcholarum Profeſſionibus, elegantem exhortationem & methodum profitendi, præſcribit præſens locus Propheticus: *Annuncia omnia, quæ vides:* Alijs quoq; communica, in aliorum quoque vſus & commoditates transfer, quibus tu muneribus aut donis præſtanter excellis. Sunt enim invidi ſimul & ſuperbi, atque arrogantes homines, qui ſuam ipſorum tranſmarinam eruditionem admirantes, inter omnes, & ab omnibus coli & adorari volunt, obſcuri interim, intricati & invidi doctores: Illud vbique Axioma ſequentes: *Obſcura rem, & magnæ eris exiſtimationis:* Quin verò ex hoc loco noſtro Prophetico Ænigmatici eiuſmodi doctores ſciant: Quicquid noverint, eum in finem ipſis oſtenſa eſſe, vt annuncient & oſtendant alijs. In eoſdem quadrat illud Poëtæ: *Scire tuũ nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter.* Fidelis Præceptor aut Profeſſor; ita erga diſcipulos ſuos affectus eſt, vt ſi vna hora, omnẽ ſuam ſcientiã illis cõmunicare, explicare, & infundere poſſet de omni ſtudio ſuo nihil faceret reliquũ. Invidus igitur Præceptor aut Profeſſor, iſthoc honoris titulo eſt indign⁹.

Officium fidelis Eccleſiæ miniſtri.

Ezech. 44. 5.

Matth. 13. 52.
2. Timoth. 4. 2.

Officium fidelis Præceptoris.

Poſtremò obiter hoc loco notanda eſt Phraſis Prophetica, quà per Iſraëlem, non Iacobi tantùm poſteritas, ſed vniverſalis Chriſti Eccleſia intelligitur. Annuncia domui *Iſraël.* Iam dudum autem monſtravimus, hanc viſionem non de externo templo Hieroſolymitano, ſed de Catholica Chriſti Eccleſia accipiendam eſſe. Quæ obſervata Phraſis, magnam lucem, plurimis Prophetarum vaticinijs affert, quæ de Iſraële loquentes, Eccleſiam novi Teſtamenti intelligunt. Neglecta verò, vt Iudæi faciunt, miras ſcripturæ tenebras & cæcitatem offundit. Nam hæc ipſa cauſa eſt, propter quam Iudæi in ſcripturis ita cæcutiunt, & omnia carnaliter interpretantur. Ad confutandum illos, & præſens, & alij id genus ſcripturarum loci, diligenter ſunt attendendi. Inter plurimos autem eminet Pauli pronunciatum, quo tàm ex Gentibus, quàm Iudæis *fideles*, Iſraëlitas appellat; Rom. 11. ita loquens: *Cæcitas ex*

IX. Iſraël pro Eccleſia.

Rom. 11. 25.

tas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret: & ſic omnis Iſraël *ſalvus fieret.* Hactenus de locis Exordij: revertimur ad Textum.

TEXTVS.

v. 5. *Et ecce, murus forinſecus.)* Poſt Exordium, *Narratio* ſequitur viſionis, in qua deſcriptio eſt Templi, quod monſtratum eſt Prophetæ noſtro Ezechieli. Ea deſcriptio, licet plurima habeat, quæ non abſona & diſcrepantia videntur à Templo Hieroſolymitano; plurima tamen viciſſim ocurrunt, quæ iſthuic nequeunt accommodari. Porrò quia contemplatione & collatione Hieroſolymitani Templi, plurimæ huius præſentis deſcriptionis partes eleganter explicari & intelligi poſſunt: Ideò me operæ pretium facturum eſſe judicavi, ſi quaſi Sciographiam aliquam Templi Hieroſolymitani ante oculos noſtros depingerem: ita namque Typum quaſi & exemplar nos habituros ſperavi, ad quod viſionem noſtram Propheticam conferentes, & ſimilitudines, & diſſimilitudines nullo labore deprehenderemus.

I. De loco Templi.

Topographia Templi Hieroſolymitani. *2.Sam.24.18.*

Locus igitur Templi Hieroſolymitani, deſignatus eſt à Davide, Patre Solomonis, iſthac ratione: cùm numerando populum, iram Dei contra ſe graviſſimam excitaſſet, ita, vt vnico Triduo, ſeptuaginta millia virorum, lue peſtifera caderent; David, monitu Gadis Prophetæ, iuſſus eſt in area Aravnæ Iebuſæi altare extruere & offerre Holocauſta: Quod ſacrificium non tantùm acceptavit Dominus, ſed igne cœlitus miſſo, ſuper altare holocauſti, beneplaciti & clementis ſuæ voluntatis declarationem apertè teſtificatus eſt: ſublatâ quoque populi pœnâ. Quibus omnibus eruditus David, intellexit, illum eſſe locum, quem Dominus, domui ſuæ ædificandæ elegiſſet. Sic enim 1. Paralip. 22. v. 1. Dixitq; David: *Hæc eſt domus Dei, & hoc altare, in holocauſtum Iſraëlis,* hoc eſt, nunc demùm intelligo, hunc eſſe locum, quem Deus, quieti ſuæ, & cultui ordinario deſtinavit. Hic autē locus, & hęc Area Aravnæ, fuit in Monte Morija; Sic enim 2. Paralip. 3. 1. legimus: *Et cepit Solomon ædificare domum Domini in Ieruſalem, in monte Morija, qui monſtratus fuerat David, Patri eius in loco, quem paraverat David, in area Ornan Iebuſæi: ſigno videlicet ignis, cælitus demiſſi.*

1.Paralip.2.26. *1.Paralip.22.1.* *2.Paralip.3.1.*

1. Typorum Conſenſus. *Gen.22.v.2.&14.*

In qua Topographia, hæc peculiariter notanda ſunt: *Primùm:* Templum Hieroſolymitanum, in eo ipſo monte extruendum fuiſſe, in quo Abrahamus olim, filium ſuum Iſaacum immolaturus erat. Eleganti typorum conſenſu. Quemadmodum enim Iſaac, typus fuit Chriſti, vnigeniti & vnicè chari filij Dei, qui crucem ſuam portans, pro peccatis totius mundi fuit immolatus: Sic omnis cultus Leviticus, qui in templo Ieroſolymitano quotidiè obſervatus, Deoque exhibitus fuit, typum & ſignificationem habuit ſacrificij, quod Chriſtus obtulit, non tantùm pro lue peſtifera, diſpellenda, ſed pro omni morbo peccatoq́ue humani generis expurgando. Locus igitur Templi Hieroſolymitani fuit mons Morija. Geneſ. 22. v. 2. & 14.

2. Aravna diverſa nomina.

Secundò obſervandum eſt, hunc Iebuſæum, cuius Aream Altari extruendo emit David, binomium, vel etiam trinomium fuiſſe. Nam 2. Samuel. 24. v. 18. vocatur in Hebræo textu אֲרַנְיָה Arania in ſequentibus verſibus vocatur ibidem ſepties אֲרַוְנָה Aravna, quæ diverſitas, ex facilima conſonantium permutatione, & ſcribarum negligentia oboriri potuit. Sed idem Aravna, in priore & poſteriore Paralipomenon, vocatur אָרְנָן Ornan. 1. Paralip. 21. v. 18. 20. 21. 23. 25. 28. Et poſteriore Paralip. 3. v. 1. Cuius ipſius nominis, facilis eſt origo ex Aravna. Quæ nominis diverſitas ideò notanda eſt, ne vel confundantur, vel ignorantiæ dubijs hiſtoriæ involvantur. Frequentiſſimum enim eſt in ſcripturis, quod vel duo, vel plura nomina ijſdem perſonis attribu-

Digitized by Google

attribuuntur. Id quod pluribus exemplis monſtrare præſentis non eſt loci. Sed hoc cum reliquis connotandum.

Tertium, quod in hac Templi Topographia obſervandum dixi, eſt collatio & conciliatio ἐναντιοφανῶς pretij, quo David Aream iſtam Aravnæ emiſſe ſcribitur. Nam 2. Samuel. 24. ſcribitur, Davidem emiſſe Aream & boves Aravnæ ad Holocauſtum *ſiclis quinquaginta:* ſed priori Paralipom. cap. 21. ita legitur: Dedit ergo, David Ornan pro Loco ſiclos auri juſtiſſimi ponderis *ſexcentos.* Quæritur igitur, cur ibi quinquaginta tantum, hic verò, Sexcentorum ſiclorum, pretium fuiſſe ſcribatur? Reſp. In ſiclorum diverſitate, quorum alios communes, alios Regios, ſanctuarij alios fuiſſe novimus, iſtorum quidem locorum concordantia quærenda non eſt: ſed obſervatis cuiuſque loci circumſtantijs, res pulcrè expedita redditur. In loco enim Samuelis ſacrificium deſcribitur, quod David inter anguſtias ſævientis peſtis obtulit Domino. Illud holocauſtum, cùm Aravna gratuito offerret Davidi, boves videlicet ſuos & aratri ligna, & Aream extruendo Altari, David autem gratis accipere recuſaſſet *(Non enim offeram* (inquit) *DEO meo, ſine meis impenſis)* æſtimato itaque pretio, & boves, & ligna, & Aream emit, *quinquaginta ſiclis.* Poſteaquam verò igne cœlitùs demiſſo, & ſanata lue, David intellexiſſet, hunc ipſum eſſe locum, quem Dominus, ad ædificandum Domum ſuam, elegiſſet: Iam exigua illa Area, quæ Altari ceſſerat, non contentus eſſe David voluit, ſed totum illum Montem Morija emit ab Iebuſæo Ornan, *ſexcentis Siclis*, quorum in Paralipom. fit mentio. Quam locorum expoſitionem, Textus ipſi, probè ponderati, ſuppeditant. Nam in priori loco Samuelis, boum & Areæ Altaris, expreſſa fit mentio: In poſteriore verò diſertè ponitur, dediſſe Davidem Ornan pro loco (nimirum totius Montis) Auri ſiclos ſexcentos. Et eandem expoſitionem confirmat alius locus Paralipomenωn poſteriorum cap. 3. vbi hæc leguntur. *Et cœpit Salomon ædificare Domum Domini in Ieruſalem, in monte Morija, qui demonſtratus fuerat Davidi Patri eius, in loco, quem paraverat David, in Area Ornan Iebuſæi.*

3. Conciliatio locorum in ſpeciem pugnantium. 2. Samuel. 24. 24. 1. Paralip. 21. 25. 2. Sam. 24. 24. 2. Paralip. 3. 1.

II. DE MATERIA, IMPENSIS, *& operis Fabricæ.*

Deſignato, dictis miraculis, Templi loco, David, licet ſtructurâ ipſi interdictum erat, eò quòd vir bellator multis alijs occupatus eſſet, multumque ſanguinis profudiſſet, impenſas tamen futuræ ædificationi omnibus viribus præparavit. Collegit autem iſtas impenſas triplici ratione, partim ex divitijs Regijs, partim ex peculio, partim denique ex ſpontanea populi collatione. In ſumma Kikari auri *centies octies mille Kikarim* 108000. cum dextante. 1. Paralipom. 22. verſ. 14. & 29. verſ. 4. 7. Kikari Argenti *Millies, decies ſepties mille Kikarim* 1017000. 1. Paralip. 22. v. 14. & 29. v. 4. 7.

1. Paralip. 29. 2.

Æris & ferri copiam ſine pondere, Ligni quoque Cedrini per Tyrios & Sidonios Hieroſolymas deportati, innumerabilem multitudinem, præter lapides, & alias res oĩs generis & plurimas, & pretioſiſsimas. Quibus omnibus collectis, in ſolennibus comitijs, & Filium Salomonem Regem declaravit, & totam congregationem, vt eidem in Domo Domini extruenda fideles operas præſtarent, ſummâ diligentia exhortatus eſt. Davide itaque mortuo, Salomon ædificationem exorſus, primum omnium inter proſelytas, qui in omni terra Iſrael reperiebantur, operas tribuit. Eorum cùm numerarentur *centies quinquagies ter mille ſexcenti viri*, ſic inter eos operas partitus eſt, vt *ſeptuagies mille* viros, Baiulos faceret, *Octagies mille*, lapicidas, Et *ter mille denique* atq; ſexcentos, præpoſitos ſive ἐργοδιώκτας. 2. Paralip. 2.

NB. Kikar vulgare 60. libras continebat. Kikar ſanctuarii, duplum, libras videlicet 120.

2. Paralip. 2.

Proſelytarum numerus.

Cumprimis autem revocavit ex Tyro nobiliſſimum & præſtantiſſimum

HIRAM.

artificem HIRAMVM, qui ex Hebræis quidem Parentibus oriundus erat,

1. Hirami diverſa nomina.

multo autem tempore, ſicut etiam maiores eius, Tyri vixerat. 1. Reg. 7. 13. 2. Paralipom. 2. 13. De illo Hiramo hoc obiter notandum, non vnam in eius

ἐναντιοφανὲς & eiuſdem conciliatio.

genere deſcribendo obiectam videri ἀντιλογίαν. Primum enim nominis apparet diverſitas. Nam 1. Regum 7. 13. appellatur Hiram: *Miſit quoque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro:* ſed 2. Paralipom. 2. 13. Tyri Rex Churamus,

2. Paral. 4. v. 11. 16

loquitur de Churamo. Sed ſciendum, quanquam Hiram & Churam nomina parum diſcriminis habeant, vnde Rex ipſe Tyri, & Churam 1. Regum. 5. 1. & Chirom, ibid. verſ. 10. & Churam appellarur Paral. Sicut & Artifex Chirom & Chiram. 1. Regum. 7. 40. & Churam vocatur: in Paralipomenis tamen, per Churamum, non nobilem illum artificem, ſed ipſius Regis Parentem, qui & ipſe Churam, ſicut Filius appellabatur, intelligendum eſſe: id quod Rex ipſe clariſſimis verbis exponit: ſic enim 2. Paralipom. 2. verſ. 13. וְעַתָּה שָׁלַחְתִּי אִישׁ חָכָם יוֹדֵעַ בִּינָה לְחוּרָם אָבִי׃ *Et nunc mihi virum ſapientem, ſcientem intelligentiam, Churamo patri meo.* Hoc eſt: **Er iſt meines Herꝛn Vatters künſtlicher berühmbter Bawmeiſter geweßt.** Quanquam Hiramus nobilis ſit, & præſtantiſſimus Artifex, in omni admirabili opere mirabiliter excellens, quam ob cauſàm, non tàm mihi hactenus charus fuit, quàm commendatiſſimus, & gratiſſimus olim Patri meo Churamo:

2. Paralip. 4. 16.

quia tamen eiuſdem illius operam, ad ædificandum Domum Domino Deo tuo, requiris, ecce, ſicut reliqua omnia, quæ petijſti, ita hunc quoque artifi-

2. Hirami tribus.

cem, lubenti promptoq; animo tibi remitto. Ita præter nominum conciliationem, ſimul etiam iſte locus 2. Paralip. 2. 13. explicatus eſt, vocarur חוּרָם אָבִיו hoc eſt, Churam Patris eius. Hiſce ita explicatis, alia ἀντιλογία obiicirur, de genere ſeu tribu Hirami, maiorum. Nam proximo citato capite Paralipomenωn, Mater ipſius expreſsè ſcribitur fuiſſe de filiabus Dan, ſed 1. Reg. 7. 14. appellatur tribus Nephthali. Ad cuius rei conciliationem ſciendum, maternam tribum Daniticam fuiſſe: id enim apertè docent Paralipomena, *Filius mulieris, de Filiabus Dan.* Quod autem in priori Regum ſeptimo v. 14. dicitur, *Hiram filius mulieris viduæ, de tribu Nephthali*, id non de materna, ſed paterna Tribu accipiendum, quod in Hebræo textu ſatis clarum apparet. Sic enim ad verbum: *Filius mulieris viduæ ipſe, de tribu Nephthali.* Vbi nihil de tribu

3. Hirami Patria.

matris, ſed de eiuſdem tantùm viduitatis ſtatu exponitur, ipſe verò viduæ filius, de tribu Nephthali oriundus erat. Sed confeſtim amplius obijcitur: Si hoc? Cur tàm in Regum hiſtoria, quàm in Chronicis, pater eius vir *Tyrius* appellatur? Reſpondetur, Patrem Hirami, vel alios etiam maiores; Tyrios fuiſſe, non origine, ſed plurium annorum incolatus nomine. Eam ob cauſàm dixit Rex, hunc eundem Hiramum, etiam Domino Parenti ſuo charum & artificioſiſſimum Architectum fuiſſe. Correſpondet etiam Hirami vocatio, ab Salomone facta: ſic enim 1. Regum. 7. 13. *Miſit quoque Rex Salomon, & TVLIT Hiram de Tyro*, quaſi iure aliquo citationis, veluti Hebræum ex Hebræis. Quicquid ſit, Hiramum ex diverſis tribubus, Dan & Nephthali, originem ſuam duxiſſe, certum eſt, adeoque Parens ipſius Nephthalæus, Daniticam duxit vxorem, quæ forſan cauſa fuerit, quod ex Hebræa gente diſcedens, hoſpitium in Tyro quæſierit, excellenti interim, & ingenio præditus, & multiplici atque admirabili artificio præſtans. Adeò ferè ſemper vbique verum eſt. Nullum ſuperlativum eſſe ſolum. Et quod temerè ſæpius, atque inconſideratè maiores in ſeſe admittunt, non rarò luit poſteritas. Deſerit enim Hebræam gentem terramque parens Hirami, eiuſdem ipſâ culpâ iam & ipſe Tyri vivit, publico Dei verbo cultuque deſtitutus. Mirandâ tamen Domini ſapientiâ, & paternâ benignitate factum eſt, quòd Hiramus non tantùm in patriam, atque avitam terram, ſed ad ipſam ſtructuram

Domus

Domus Domini, præſtantiſſimus Artifex fuit revocatus. Qua occaſione & ipſe proculdubio, & omnis poſteritas ipſius, ſi qua fuit, quaſi poſtliminio, ad gentem & terram ſanctam reverſus eſt. *Satis de Hiramo; Architecto Templi Hieroſolymitani.*

DE IPSA DISPOSITIONE ET *proportione Domus.*

Deſignato Ædis loco, collectis impenſis, tributis operis, & primario conducto Tyrio Architecto, Hiramo, felix initium ſtructuræ factum eſt. Primùm omnium autem in monte Moria area complanata eſt, in qua ipſum Templum, ſeu Domus Domini excitanda eſſet. Vbi initiò notandum eſt, per Templum ſive Domum Domini, non vbiq; ipſum duntaxat Templum, ſive ædem ſacram, in qua ſanctum, & Sanctum Sanctorum fuit, intelligi debere, ſed interdum eadem vox *Domus Domini*, comprehendit etiam Atria, comprehendit Exedras, Thalamos, cubicula, ad omnis generis vſus & theſauros Domus Domini extructa: quin etiam totum interdum montem Morija comprehendit, cui Domus Domini cum omnibus ſuis reliquis ædificijs ſuper extructa fuit. Colligitur autem & comprobatur hæc notatio, ex illis hiſtoriæ verbis, quibus Salomon dicitur feciſſe Altare æneum, Mare æneũ, duodecim ſuperimpoſitum bobus, item decem baſes, & decem Conchas, ſive labra, baſibus impoſita, Lebetes, item Tridentes, & alia omnia vaſa *in Domo Domini*, 2. Chron. 4. 16. Item cap. 5. 1. & alibi ſæpiùs. Quorum tamen alia in ipſam Domum, hoc eſt, in ipſum Templum, ſive ædem ſacram inferri, propter magnitudinem ſuam, neque potuerunt, neque propter vſum debuerunt, alia in alijs cubiculis ſive Exedris Atriorum aſſervata & cuſtodita ſunt. Quæ obſervatio, multis locis, tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti, magnam lucem affert. Quæ enim in Templo geſta eſſe ſcribuntur, ea non ſtatim, in ipſa Domo Domini, atque æde ſacra, geſta eſſe, putandum: in alijs enim & alijs partibus, ſive Atrijs Templi, ſeu Domus Domini & geri potuerunt, & geſta ſunt. Exemplum vnum & alterum videamus. Inter alia opera Domus Domini, feciſſe quoque ſcribitur Salomon, Altare æneum, cuius tàm longitudo, quàm latitudo viginti cubitorum, altitudo decem cubitorum fuerit. Hoc Altare ipſi Templo inferri non potuit, cuius ipſius latitudo, viginti cubitorum non fuit amplior: quomodo igitur in Templo locari potuiſſet altare, eiuſdem cum Templo latitudinis? Flammas præterea Holocauſtorum contuere, quæ ſuper Altare decem cubitos altum evolantes, totam Domum, Auro vndique obductam, brevi non tantùm fuligine & fumo obduxiſſent, ſed & ipſam Domum, fuſis incendijs abſumpſiſſent. Stetit igitur hoc Altare æneum, nõ in ipſa Domo, ad capiendum illud nimis anguſta, ſed ante Domum Domini, in Sacerdotum Atrio, ſub dio, vbi & ſacrificiorum faciendorum, maior commoditas, & innocens flammarum libertas, liberaque earundem innocentia fuit. Hinc intelligi poſſunt verba Salvatoris, qui hiſtoriam cædis Zachariæ, filij Ioiadæ enarrans *inter Altare & ædem* illum perijſſe dicit. Atqui Paralipomena, eadem illa, in Atrio Domus Domini geſta eſſe referunt. *Cùm populus coniuraſſet adverſus Zachariam, filium Ioiadæ, miſerunt lapides, iuxta Regis imperium, in Atrio Domus Domini, & interfecerunt eum.* Eodem facit locus. Ezechiel. 8. 16. *Et introduxit me in Atrium Domus Domini interius, & ecce in oſtio Templi Domini, inter porticum & Altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad orientem; & adorabant ad ortum Solis.* Et ille Ioëlis. 2. 17. *Inter veſtibulum ſive porticum, & Altare, plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini.* Vide 2. Chron. 8. 24. & 15. 8.

Domus Domini.

Luc. 11. 51.

2. Paralip. 24. 21.

Digitized by Google

Idem facilè iudicari poteſt de Lacu ſive Mari æneo, quod fecit Salomon in Domo Domini, quod, cùm in diametro decem cubitos haberet, per portam Templi, quæ quinq; cubitos, non amplius lata fuit, non tantùm non inferri, ſed quoquo modo illatum, vnâ cum Altari, totam ferè Domum, vt nullum propè vel pedis veſtigium vacuum redderetur, complevíſſet: taceo, quotidinas, & multiplices lotiones, quæ in Domo tota deaurata, inconvenienter maximè, factæ fuiſſent. Idem de decem Conchis ſive labris, ſuis rotis inſtructis baſibus impoſitis, ſentiendum eſt, quæ omnia & plurima alia, licet in Atrijs, in cubiculis & Exedris Atriorũ, locata diſpoſitaq; fuerint, nihilominus tamen in Templo, ſeu Domo Domini fuiſſe, rectè dicuntur. Quæ obſervatio ad plurimos locos tam Veteris quàm N. Teſtamenti rectiùs intelligendos vtilis & accommodata eſt futura. Iam ipſam ſtructuram Templi, contemplabimur.

Complanatâ igitur Areâ Montis hac magnitudine ſive amplitudine, Templi ſtructura cœpta eſt. Ad Domum ipſam (cuius longitudo, ab ortu in occaſum porrigebatur) area longior, quàm latior eſt ſelecta, lõga nimirũ cubitos ſexaginta, ſed non amplius, viginti lata. Super hanc Aream eiuſdem illius longitudinis & latitudinis Domus ſive Templum excitatum eſt, ad altitudinem triginta cubitorum. *Proportio* igitur longitudinis Domus, ad eiuſdem al-

1. Reg. 6. 2. 2. Paral. 3. 3. titudinem, *Dupla* fuit, ad latitudinem *Tripla*, 1. Reg. 6. 2. 2. Paral. 3. 3.

Porticus. Ante Domum ortũ verſus, Porticus fuit, cuius longitudo cum Domus latitudine æquiparabatur, cubitorum nimirùm viginti, latitudo autem cu-

1. Reg. 6. 3. 2. Paral. 3. 4. bitorum decem. 1. Reg. 6. 3. Altitudo autem huius porticus cubitorum fuit centum & viginti, *proportionis* nimirùm *duplæ*, ad totius Domus longitudinem.

Porrò, Domus bifariam diſtinguebatur. Nam intima eius pars occaſum

1. Reg. 6. 20. verſus, longa cubitos 20. totidem lata, ſecundum ipſius Domus latitudinem, & totidem alta (*figura nimirùm tota cubica*) Oraculo, ſive Adyto deputata eſt. Atque hæc pars, *Oraculum* dicebatur, ſive *Adytum*, ſive *Sanctum Sanctorum*: Hebraicè communiter דָּבַר à דְּבִיר loquutus eſt: quia ibi ſuæ ſe voluntatis explicabat Dominus: & *Sanctum Sanctorum*, quia locus ille propter Domini præſentiam omnium ſanctiſſimus habitus eſt.

Reliqua pars Domus, quadraginta adhuc cubitos longa, & lata viginti, generaliter Domus ſeu Templum dicebatur, Hebraicè vt plurimùm הֵיכָל

1. Reg. 6. 17. hoc eſt *palatium*: & notanter הַדְּבִיר הֵיכַל Palatiũ ſeu Templum Domus.

Partes Domus Domini principales. Adeoque totius ſtructuræ, tres primariæ partes fuerunt. *Prima*, verſus ortum, porticus, Hebraicè אוּלָם ſive אֻלָם, quod ſignificat Cameram, aut porticum, à fortitudine nomine ducto: nam אוּל fortitudinem ſignificat, inde & hoc nomen אוּלָם quod porticus, totius reliquæ ſtructuræ fortalitium quaſi & robur ſit.

Media pars fuit הֵיכָל Area, ſive Palatium Templi. *Tertia* & intima, atque ſanctiſſima omnium, inde & Sanctum Sanctorum. Hebr. דְּבִיר Oraculum. Hæc diſpoſitio fuit & proportio totius Domus, ſive ædis ſacræ.

Fundamentum. His ita deſcriptis, ædificij fundamenta iacta ſunt, maximis lapidibus &

1. Reg. 5. 17. pretioſis ad fundamentum 1. Reg. 5. quorum alij decem, alij octo cubitorum

1. Reg. 7. 10. erant. 1. Reg. 7.

Parietes & circuitus Templi. Supra Fundamentum iactum, muri ſive parietes Domus excitati ſunt, perpendiculares quidem, ſed non eiuſdem in altitudine craſſitudinis. Muri namque ad quinos cubitos aſſurgentis craſſitudo, extrinſecus, vno cubito diminuta eſt, quæ contractura craſſitudinis circum circa Domum, tres quaſi gradus conſtituit, qui (contractionis gradus) cubilia præſtarent ſubſtructionum ſive contignationum trabibus, quæ tribus lateribus Domus circumdandæ eſſent. Nam circum circa Domum

(excepta

Digitized by Google

(excepta parte Orientali, vbi porticus erat.) Trium contignationum circuitus circumijciendus fuit, ita quidem, vt iſtius circuitus trabes incumberent, non autem inhærerent, Templi muris. Incubuerunt igitur iſtis proiecturis, quæ ex contracta muri craſſitudine extrinſecùs enatæ ſunt, ex altera parte in libero ſolo erectis columnis, ſive trabibus arrectariis. Fuit autem infimæ contignationis latitudo *quinque* cubitorum, trabium iſtam contignationem efficientium longitudo, ſex cubitorum: Nam extremo cubitó, incubuerunt primo gradui proiecturæ. Mediæ contignationis latitudo, *Sex* cubitorum fuit. Trabes igitur ſupernæ, cubitorum ſeptem: Nam & illæ extremo cubito incubuerunt muri proiecturæ, & Medianæ contignationis proiecturæ mediæ, quæ trabium maiorem longitudinem requirebat. Tertiæ & ſupremæ contignationis latitudo, *Septem* cubitorum fuit. Trabes igitur ſupremas, octo cubitorum fuiſſe neceſſe eſt, vt extremo cubito ſuprema proiecturæ, ex tertia contractura muri exortæ, incumberent. Quæ deſcriptio, triplicis circuitus, vel tabulati, tota deſumitur ex 1. Reg. 6. verſ. 5. & 6. Qui verſus difficilioris ſunt intellectus, niſi hæc præſens deſcriptio diligenter notetur. Iſtas autem proiecturas, trabium cubilibus inſervientes, eam ob cauſam ita fieri neceſſe fuit, quia in erectione Templi, neque malleus, neque ſecuris, neque vllum aliud inſtrumentum, quod ad dolandum, aut cædendum lapides adhiberi ſolet, debuit exaudiri, vt proximo ſtatim ſequente verſu eiuſdem capitis dilucidè explicatur. *Eiuſmodi igitur proiecturas eſſe oportuit, quibus commodiſſimè omnium contignationum trabes ſuper imponi poſſent.* Non enim Muro inhærere debuerunt. **Sie haben nicht eingemaurt ſein ſollen**: ſicuti vltima verba verſ. 6. dicti capitis oſtendunt: ne hærerent muris Domus. Quis autem triplicis huius contabulati vſus fuerit, vtrùm nuda deambulatoria fuerint circa domum, an ſua quoque conclavia habuerint illæ contignationes, ad omnis generis, vel Theſauros reponendum, vel inſtrumenta Domus aſſervandum, de eo non ſatis conſtat. Niſi quòd ex 1. Reg. 6. v. 8. coniectura ſumitur, ſingulas contignationum ſua cubicula habuiſſe, vbi dicitur: Portam, ad Alæ ſive circuitus medianam contignationem, fuiſſe in latere Domus dextero, hoc eſt, ad porticum, verſus meridiem quâ per cochleas adſcendebatur ad medianam contignationem, & à mediana, ad tertiana, ſcil. cubicula. Ex illo namque multitudinis nomine, אֶ—הַשְּׁלִשִׁים, plures ibi cellulas, pluraque conclavia fuiſſe, colligitur.

1. Reg. 6. v. 5. 6. — *1. Reg. 6. v. 6.* — *vid. Ezech. 41. v. 6*

DE FENESTRIS.

Triplex iſte circuitus, quindecim altitudinis Templi cubitos occupavit, ſupra illos quindecim Altitudinis cubitos, feneſtras fieri, Dominus mandaverat, proſpectui accommodatas & clauſas. Hebr. שְׁקֻפִים אֲטֻמִים. Id quod aliqui intelligunt de feneſtris vel vitro, vel alia materia diaphana pellucida conſtantibus, perpetuò clauſis: aliqui accipiunt de figura feneſtrarum, quæ foris lata, intrinſecus anguſta ſit, vel contra. Legitur citato loco, & apud noſtrum Ezechielem cap. 40. 16. & 41. v. 16. & 26.

1. Reg. 6. 4.

DE PORTIS TEMPLI.

Ipſam Domum, in Sanctum ſive palatium הֵיכָל, & Sanctum Sanctorum דְּבִיר appellatum, diſtinctam fuiſſe ſupra audivimus, vtraque pars per parietes interiectos, ſuas ianuas ſive portas habuit. Porta דְּבִיר ſive Adyti deſcribitur 1. Reg. 6. 31. *Et oſtiò Adyti fecit fores, ex lignis olivæ ſuperliminare, cum poſtibus Quinta.* Quæ verba hunc habent ſenſum, portam, quæ in Adytum ducebat, tantæ fuiſſe latitudinis, vt quintæ parietis parti reſpondetet, hoc

1. Reg. 6. 31.

Digitized by Google

ret, hoc eſt quatuor cubitis. Tota enim latitudo viginti cubitorum fuit, cuius quinta pars eſt cubitorum quatuor.

Porta verò Templi, in eodem cap. 1. Reg. 6. v. 33. deſcribitur: eamque fuiſſe factam narratur ex lignis oligineis è quarta ſcil. parietis, פְּאַת רְבִעִית hoc eſt, latitudinis fuiſſe quinque cubitorum: hæc enim quarta pars eſt totius latitudinis cubitorum, viginti. Quæ verba, antiquus interpres reddidit, *factos fuiſſe poſtes quadrangulatos.* Sed ex illa interpretatione verum ſenſum nunquam eliciemus.

DE ORNAMENTIS DOMVS.

Totum ædificium ſurrexit lapide cæſo, ſed ab intus lapideos illos parietes, ſicut & pavimentum ſancti ſanctorum, lignis Cedrinis: pavimentum autem Domus, lignis abiegnis: tùm verò Domum ipſam totam, ſicut & porticum, intrinſecùs totā optimo obduxit auro, vbiq; inciſis imaginibus Cherubinis, palmis item & aperturis florum. 1. Reg. 6. verſibus 15. 16. 22. 30: 2. Paralip. 3. v. 4. 5. 8. Adeoque tota illa ſtructura, & ad ornatum elegantiſſima, & ad pretium longè omnium ſumptuoſiſſima & nobiliſſima fuit.

DE ATRIIS.

Domum jam vidimus, cum porticu ſua & triplici circumiecto ambitu. Sed cùm ſupra demonſtratum ſit, multa præclariſſima opera Salomonis, in ipſam Domum inferri non potuiſſe, ſicut & eadem illa, ad ſacrificia peragendum, & ad capiendum tantum, tamque numeroſiſſimum populum, nimis anguſta fuiſſet: Ideò de Atrijs quoque videndum eſt, quæ omnibus iſtis inſervire neceſſitatibus debuerunt. *Eſt* autem *Atrium, ſub aperto cælo, muris concluſa area.* Primùm itaque plura fuiſſe circa Domum Domini Atria, vel ex Eſaia conſtat, vbi Dominus, populum ſuum hypocriſi & ſcelere pollutum
Eſa. 1. 12. hiſce verbis reprehendit: *Quis quæſivit hoc de manu veſtra, vt conculcaretis Atria*
1. Paralip. 28. 12. *mea.* Et ex iſtis verbis Chronicorum. *Denique* (tradidit David Salomoni filio ſuo) *ſtructuram omnium, quæ penes eum, per ſpiritum, de Atrijs Domus Iehovæ.* Plura igitur fuiſſe Atria, certum eſt. Quot autem illa, & qualia fuerint, ex diverſis ſcripturæ locis eſt inveſtigandum.

Et ſanè in opere ſive ſtructura Salomonis, duplicis Atrij, ſive duorum
1. Regum. 6. 36. Atriorum fit mentio. Sic enim 1. Regum 6. *Poſtea ædificavit Atrium interius, tribus ordinibus lapidum cæſorum, & ordine ſectarum Cedrorum,* hoc eſt, lapideum murum, quo concluſerat Atrium, obtexit ligno Cedrino. Et ſequenti cap.
1. Regum. 7. 12. 7. verſ. 12. *Denique Atrio magno circumquaq;, tres erant ordines cæſi lapidis, & ordo trabium Cedrinarum, ſimiliter Atrio Domus Domini interiori, & porticui eiuſdem Domus.* Interius igitur & exterius Atrium à Salomone adornatum eſt. Vtriuſque illius Atrij mentio fit 2. Paralipom. 4. *Fecit quoque Salomon Atrium Sa-*
2. Paralip. 4. 9. *cerdotum, & Atrium auxilij magnum.* Hebr. חֲצַר הַכֹּהֲנִים וְהָעֲזָרָה הַגְּדוֹלָה Sacerdotum Atrium ſuperius fuit, & proximum Templo, in quo illi ſacrificia obtulerunt, & reliquis ſuis miniſterijs defuncti ſunt. Auxilij Atrium, fuit locus exterior, iſque ampliſſimus, in quo populus, adorandum, & ad implorandum auxilium divinum conveniebat, is quia innumeroſiſſimus erat, Atrium quoque maximum & ampliſſimum eſſe, neceſſe fuit: & ab orationibus, quibus auxilium divinum ibi implorabant, auxilij nomen ſortitum eſt.

Suggeſtum ſive Cathedra Salomonis, in Atrio populi. 2. Paralip. 6. 13. Hoc fuit populi Atrium. In huius Atrij medio, Salomon ſuggeſtum ſeu Cathedram æream fecit, quinque cubitos longam, quinque latam, altam cubitos tres, in eoque flexis genibus conſiſtens, in Domus inauguratione devotè precatus eſt, Deoque populoque benedicens.

Hoc

Digitized by Google

Hoc populi Atrium, licet à Salomone vnum & ſimplex ædificatum intelligatur, in quo tàm viri, quàm fœminæ, diſcreto tamen ordine, ad cultus preceſque peragendum, congregarentur, inſequutis tamen temporibus, vel quòd multitudo hominum creſceret, vel ordo turbari ex negligentia cæpiſſet, intermiſſo muro, in duo diſtinctum colligitur, in quorum altero viri, in altero mulieres convenirent. De illa diſtinctione Atrij Iſraëlitici, accipiunt interpretes locum 2. Paral. 20. *Tunc ſtans Ioſaphat in congregatione Iudæ & Hieruſalem, apud Domum Domini ante Atrium novum.* Quod novum Atrium intelligunt, de diſtinctione Atrij Iſraelitici. *Atrium Mulierum.* *2. Paral. 20. v. 5.*

Præter hæc Atria, Sacerdotum videlicet, & Iſraëlis duplex, aliud adhuc fuit, Atrium ſcilicet prophanum, ſive gentilium. Cùm enim ad ſuperiora, non niſi Hebræis, iiſq; ſanctis ſeu puris accedere licuiſſet, hoc ſuperadditum eſt, in quod non tantùm pollutis Hebræis, ſed quibuſcunque etiam alienigenis & gentibus accedere, & Deum Iſraëlis precari conceſſum fuit. Qua de re Salomon, in præfatione ſua inaugurationis Domus ita habet: *Quin etiam ipſi extraneo, qui non fuerit de populo tuo Iſraël, ſed venerit de terra longinqua, propter nomen tuum (Audient enim de nomine magno tuo, & de manu tua robuſta, & Brachio extento) cùm adveniens oraverit verſus domũ hanc* אֶל־הַבַּיִת הַזֶּה *Tu auſcultato è cœlis, de loco habitationis tuæ, & facito, ſecundum omne, prout clamaverit ad te extraneus iſte, vt experiantur omnes populi terræ nomen tuum, ad timendum te, ſicut populus tuus Iſraël.* *Atrium prophanum ſive gentilium.*

Qui locus, & omnes id genus alij, diligenter notandus eſt, ad confutandum abſolutum decretum Calvinianorum, quod vel inde quoq; ſtabilire nituntur, quia in Vet. Teſtam. Dominus, vni & ſoli populo Hebræo nomen ſuum manifeſtaverit, reliquas omnes gentes reprobarit. Quod ſomnium vaniſſimum eſſe, vel hinc apertiſſimè conſtat, quod in Templo Hieroſolymitano, advenis & alienigenis quibuſvis, qui Deum Iſraëlis invocare voluerunt, proprius locus, & ſingulare Atrium attributum fuit, vbi convenire, & preces ſuas Deo fundere potuerunt, ac debuerunt. Et ſignificanter notanda ſunt verba Salomonis, quibus precatur Dominum, promptus exaudire velit advenas, vt vniverſæ gentes divinam benignitatem & miſericordiam experiantur, eaque bonitate illectæ cognoſcant, timeant, & revereantur Dominum, non minùs, quàm ipſe populus Dei Iſraëliticus. *Vt experiantur* (inquit) *Omnes populi terræ nomen tuum, ad timendum te, SICVT populus TVVS ISRAEL.* Licet igitur publici cultus privilegium habuerint Iſraëlitę, non ideò tamen abſoluto decreto excluſæ & reiectæ fuerunt gentes, quibus nihilominùs ad verum Deum, & cultum ipſius aditus patuit liberrimus, vt quicunq; vellent, poſſent etiam cognoſcere & revereri verum Deum Iſraëlis. Huc eleganter facit locus Eſaiæ Cap. 56. *Non dicat Filius advena, qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus à populo ſuo, &c. Quia hæc dicit Dominus, dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus*, hoc eſt, Advenam ſive alienigenam ex gentibus converſum, maiori favore, clementia & benignitate complectar, quam quemvis alium, ex media ſtirpe Iſraëlitica oriundum. Et ibidem: v. 7. *Domus mea, domus Orationis vocabitur, cunctis populis.* Id quod Chriſtus ad Templum Hieroſolymitanum applicans, vendentes inde & ementes eijciendo, ait: *Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus Orationis vocabitur OMNIBVS GENTIBVS? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Reſpondit etiam eventus vaticinijs, nam ſemper aliqui ex gentibus Iſraelitis ſeſe, in fidei & cultus vnitate, coniunxerunt. Adeò vt Salomonis tempore, centies quinquagies ter mille, & ſexcenti proſelytæ inter Hebræos reperti fuerint. Sic etiam Chriſti temporibus, in Templo præſentes fuerunt quidam Græci, qui, vt adorarent Dominum, in feſto paſchatis adſcenderunt Hieroſolymas. Hiſce Græcis, & alijs omnibus alienigenis, locus fuit in Atrio gentilium. Ex hoc eodem Atrio, *Abſolutum Decretum Calvinianorum evaneſcit.* *Eſa. 56. 3.* *Marc. 11. 17.* *Numerus Proſelytarum.* *2. Paral. 2. 17.* *Iohan. 12. 20.*

Iohan.2.14. Matth.21.12. Marc.11.15. Iohan.8.3.

Chriſtus eiecit vendentes & ementes. In hoc eodem Atrio, Chriſtus abſolvit adulteram. Hanc enim ἐπαυτοφώρῳ adulterantem deprehenſam, adeoque adulterio pollutam, in locum ſanctum adducere non licuiſſet, Iohan.8.3.

Quod extra hæc Atria fuit, generali appellatione Mons Domini vocabatur. Iam ſi de differentia horum Atriorum, vt & aliorum Templi locorum quæratur, quæ, quibus habita ſunt ſanctiora, facilis eſt reſponſio, ea nimirum ſemper loca alijs ſanctiora fuiſſe habita, quæ ipſi oraculo fuerunt viciniora. Hoc namque omnium ſanctiſſimum fuit. Proximum ſucceſſit, הֵיכָל ſive palatium Templi, vnde & illa pars ſanctum appellabatur. Hinc Atrium Sacerdotũ, & in ipſo Atrio illa portio, quæ fuit inter porticum & Altare, vnde Chriſtus, cædem Zachariæ ex illa cauſa amplificare voluit, quòd occiſus eſſet inter porticum & Altare. Hinc Atrium Iſraëlis ſeu populi, Atrium exterius nominatum. Et hoc diſtincto, in virorum & fœminarum Atrium, virorum, quod Templo propius eſſet, ſanctius habitum eſt. Sed hæc omnia loca habebantur ſancta. Solum Gentium Atrium habebatur prophanũ, hoc eſt, omnibus, tàm Iudæis, quàm gentibus, tàm pollutis, quàm puris in illud Atrium aditus concedebatur. Quanquam Chriſtus ementes & vendentes, nummularios item & id genus alios prophanos & avaritiâ pollutos, contractus ibi celebrantes eiecerit, addito Epiphonemate, quod Scriptum eſſet, Domum iſtam eſſe Domum precationis, quam ipſi ſpeluncam latronum feciſſet.

DE EXEDRIS, SIVE THALAMIS Atriorum, & totius Domus.

In opificio & ſtructura Salomonis, vel nihil omninò, vel exiguum ſanè de Exedris habemus, vt in præcedentibus, digito indice, de conclavibus circuitus domus monſtratum eſt: Sed dubium eſſe nullum poteſt, quin Salomon Domum ſeu Templum extruendo, & Atria illa gemina adornando, plurima quoque conclavia ſeu cubicula, plurimas Exedras ac Thalamos, tùm pro habitationibus Sacerdotum & Levitarum, tùm pro theſauris, vaſis quoque, & omnis generis inſtrumentis atque ſupellectibilibus Templi adſervandis & cuſtodiendis extruxerit, quorum vſu neque Sacerdotes, neque cultus ipſe, carere potuiſſet. Quæ omnis res dilucidior eſt, ex mandato Davidis, qui Filio Salomoni, omnis ſtructuræ accuratiſſimum Exemplar ſeu delineationem, quam in ædificando ſequeretur, deſcriptum reliquit, ſic enim legimus: *Tradidit David Salomoni filio ſuo, ſtructuram porticus, & domiciliorum eius, & Gazophylaciorum eius, & cœnaculorum eius, & cubiculorum interiorum eius, loci etiam operculi propitiatorij. Deniq; ſtructuram omnium, quæ penes eum per ſpiritum (hoc eſt, quæ per Spiritum ipſi revelata & demonſtrata erant) de Atrijs Domus Domini, & de omnibus domibus circumquaq; pro theſauris Domus Dei, & pro theſauris rerum ſacrarum, item pro diſtributionibus Sacerdotũ & Levitarum, & pro omni opere ad miniſterium Domus Domini, ac pro omnibus inſtrumentis ad miniſterium Domus Domini.* Hoc mandatum, cùm Salomon in Templi ſtructura diligenter & accuratè ſequutus eſſet, manifeſtũ eſt, totam Domum, cum porticu ſua & cum Atrijs, cum domibus, ſeu thalami & Exedris, vbique adornatam abſolutamque fuiſſe. Plurimæ igitur Exedræ, ſeu thalami fuerunt in Atrio Sacerdotum, quorum vſus, & Sacerdotum, Levitarumq; habitationibus, & ſuppellectilibus Templi ceſſerat, in alijs Atrijs, ad alios vſus, aliæ. Harum Exedrarum mentio fit. 1. Paral.9.26. *Quatuor illis Levitis primarijs concreditus erat, omnis numerus Ianitorum* (quorum vt præcedente verſ.22. Legitur, erant ducenti duodecim) *& erant ſuper Exedras, & theſauros Domus Domini.* Et ibidem verſ.33. *Hi ſunt Principes cantorum, per familias Levitarum, qui in Exedris morabantur, vt die ac nocte, iugiter ſuo miniſterio deſervirent.*

1. Paral.28,11.

1. Paral.9.26.

virent. Et rurſus 1. Paralip. 23. *Leviter erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum Domus Domini, in Atrijs, & in Exedris.* 1. Paral. 23. 28.

Cùm autem theſaurorum Domus Domini mentio fit, non aurum tantùm & argentum intelligitur, ſed omnis generis oblationes, de vino, oleo, ſimila, & id genus alia, quæ in certis cubiculis, atque conclavibus, ad vſum cultumque divinum adſeruabantur. Sic enim legimus, 1. Paralip. 9. *Ex Levitis etiam conſtituti ſunt ſuper inſtrumenta ſacra, alij ſuper ſimilam, & vinum, & oleum, & thus, & aromata.* Hi theſauri quoque fuerunt Domus Domini. *De theſauris Domus Domini.* 1. Paral. 9. 29.

Elegans locus extat Ierem. 35. cap. qui ex ijs, quæ iam dicta ſunt, magnam lucem accipit: Vbi mandat Dominus Prophetæ, vt introducat Rechabitas in Domum Domini, in aliquam Exedram theſaurorum, præbeatque illis bibendum vinum: Et ſequitur v. 4. *Introduxiſſe eos Prophetam in Domum Domini, ad Gazophylacium, ſive Exedram filiorum Hanan, quæ Exedra fuerit iuxta Exedram Principum theſaurorum.* Quæ verba ex ſuperioribus, omnia perſpicua & plana ſunt. Licet enim Rechabitæ, introducti dicantur in Domum Domini, non tamen in ipſam ædem ſacram introducti fuerunt, ſed in aliquam theſaurorum Exedram, eam videlicet, in qua vini theſaurus, propè ad Exedram, ſupremi theſaurorum Principis, cuſtodiebatur. Ierem. 35. 2.

Proximo ſequente cap. 36. Ierem. rurſus duarum Exedrarum mentio fit, quarum altera fuit, Gamariæ, filij Saphan ſcribæ, in qua Baruch legit ſermones, voluminis Ieremiæ, verſ. 10. Altera fuit Eliſamæ ſcribæ, ſed hæc, vt circumſtantiæ volunt, in Domo Regis. Ierem. 36. 10. Ierem. 36. v. 12. 20. 21.

Sic 2. Paralip. 31. 11. Mandato Ezechiæ Exedræ, ſive Gazophylacia extructa ſunt, ad aſſervandum copias primitiarum, quas populus, ex omnibus terræ proventibus abundantiſſimas offerebant. 2. Paral. 31. 11.

2. Regum cap. 23. verſ. 11. De Ioſia legitur, quòd abſtulerit Equos, quos dederant Reges Iuda Soli in introitu Templi Domini, iuxta Exedram Nathanmélech Eunuchi. 2. Reg. 23. 21.

Arias Montanus in ſuo Ariel, hoc eſt, in libro de Fabrica Templi ex Miſnaioth, hoc eſt, ex libro Antiquitatum Hebræorum, alias etiam nominat Exedras: Exempli gratia: *Exedram ſeparatorum*, hoc eſt, Cantorum, *Exedram Foci*, in qua Sacerdotes, in atrio nudis pedibus incedere ſoliti, calefierent, *Exedram Iugulationis*, in qua certi columnarum ordines erant, infixis vncinis, quibus ſacrificiorum carnes ſuſpendebantur. *Exedras lignorum*, quibus ſacrificiorum ignes fovebantur, *Exedram ſeu Aulam magnam*, in qua de cauſis ſacris iudicatum conveniebatur, præſide Sacerdote maximo, poſteris temporibus סַנְהֶדְרִין ſive Synedrium dictam: Nominat præterea Exedram, vbi Sacerdotes ante diem expiationis verſabantur: Item *Exedram ſupellectilis* votivæ: *Exedram* oblatæ pecuniæ: Et *Exedram Eleemoſynarum.* Sed quid opus eſt plures enumerare, ſatis hinc conſtat, in Atrijs Templi, plures fuiſſe Exedras, ſive conclavia, ad alios & alios vſus deputata. *Variæ Exedræ Miſnaioth*

DE SVPELLECTILE *ſacra.*

Hactenus de ipſa Templi ſtructura, de Atrijs, & Atriorum Exedris: iam de Templi, adeoque totius Domus ſupellectile. Sed primariam tantum recitabimus.

1. In ſancto igitur Sanctorum דְּבִיר, hoc eſt, in Adyto ſive Oraculo Templi, fuit *Arca fœderis Domini*, quam Salomon ex Sionis tentorio (quod David Arcæ paraverat, in Civitate ſua, antequam ex domo Obed Edom illam tranſtuliſſet: 2. Sam. 6. 17. 1. Paral. 15. v. 1. 3. & Cap. 16. 1. Et 2. Paral. 1. 4.) in hanc domum *Supellex ſancti Sanctorum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

1.Reg.8.6.

mum ab ſe ædificatam tranſtulit, 1.Reg.8.6. Quam arcam duo Cherubim, expenſis alis, quibus totum Adytum complectebantur, ſupernè tegebant, 1.Reg.6.23.& ſeqq. Et nihil erat in Arca, præter duas Tabulas lapideas Decalogi.1.Reg.8.9.Quod autem Hebr.9.4.legitur, fuiſſe ibi vrnam auream Mannæ, virgam Aaronis, & Tabulas Teſtamenti, id intelligendum eſt de Tabernaculo, (ἐν ἐκλειψ̃) non de proximo nomine Arcæ. Vide Exod.16.35. & Numer. 17.verſ.19.

Supellex Templi Anterioris.

II. In anteriori Templo, quæ pars ſancta dicebatur, Hebr. הֵיכָל primùm fuit *Altare Thymiamatis*, totum obductum auro, iuxta parietem & velum, quod Sanctum Sanctorum, ab anteriore Templo diſcernebat. Hoc Altare, vocatur quidem ab antiquo interprete Altare Oraculi. 1.Reg.6.22. Et in Hebr. textu legitur: Altare אֲשֶׁר־לַדְּבִיר, hoc eſt, Altare, quod ad Adytum. Sed indè non ſequitur, vt aliqui opinantur, hoc Altare Thymiamatis, in ipſo Adyto, ſive Oraculo locatum fuiſſe, ſed poſitum erat, ad exteriorem parietem Oraculi, è regione portæ Templi, ante ipſum oraculum. Quam veram textus ſententiam, elegantiſſimè reddidit Lutherus: **Darzu auch den gantzen Altar für dem Chor/ vberzog er mit Golde.**

Refutatur opinio Aria Montani.

In hoc eodem anteriori Templo, quod הֵיכָל dicebatur, poſiti erant decem lychnuchi, ſive candelabra aurea, fabrefacta ad formam eius, quod Dominus Moſi in deſerto parandum oſtenderat. Exod.25.31. Quorum Candelabrorum, quinque ad dextram, quinque ad ſiniſtram Templi locabantur, cum floribus, lucernis, & emunctorijs ſuis. 1. Reg.7.49. 2. Chron.4.7. Cùm autem Candelabrum illud ita fabrefactum eſſet, vt ex erecto ſcapo vbique tres rami egrederentur, adeoque totum Candelabrum ſeptem lampadibus fulgeret, facilè inde apparet, hæc decem Candelabra, 70. lampadibus Templum colluſtraſſe, pulcerrimo & iucundiſſimo contuentium ſpectaculo.

In eodem præterea Templo, הֵיכָל, poſitæ erant decem Menſæ, itidem quinque ad dextram, ad ſiniſtram quinque, quibus à Sabbatho ad Sabbathum imponebantur panes faciei: **Schawbrot.** Ideò ſic dicti, quod eſſent ante faciem Domini: 2.Paralip.4.8. Quarum ſingulæ denis crateris inſtructæ. Fecit enim Crateras aureos centum. Si examinamus, 1. Reg.7.v.48. deprehendimus & Salomonē menſam auream ad panes faciei feciſſe, ſed, vbi locata fuerit, non invenio: credo autem, ex analogia Tabernaculi, locatam iuxta Altare Thymiamatis.

2.Chron.4.19.

Suppellex Atrii Sacerdotum. 1.Reg.7.15. 2.Paral.3.15. Columnæ Salomonis.

III. In Atrio Sacerdotum, fuerunt primò, *Columnæ Salomonis*, quas ante ipſam Domum erexit, ſpectanda altitudine, & arte mirabili. 1.Reg.7.15. & 2. Chron.3.15. Quarum alteram, dextram ſeu meridiem verſus, vocavit Iachin יָכִין à Rad. כּוּן perficiet ſeu ſtabiliet; alteram verò, verſus ſiniſtram ſeu Septentrionem, vocavit Boaz, hoc eſt, Sortalitium. Propheticis nimirùm nominibus, Prophetæ comprecationem, & votum perpetuæ felicitatis exponens. Altitudo columnarum dictis in locis deſcribitur; Et ibi quidem octodecim cubitorum: In Paralipomenis verò cubitorum triginta quinque, verbis quidem diſcrepantibus, ſed ſenſu eodem. Nam in Regum libris, de cubito ſacro ſermo eſt, qui duplus eſt ad communem. Qua conſideratione habita, octodecim illis duplicatis triginta ſex faciunt, ipſum illum numerum, qui in Chronicis legitur, ſuperaddito vnico, qui vel Baſi vel coronamento potuit adnumerari.

Altare Holocauſtorum.

2. In Atrio porrò Sacerdotum primario fuit ſpectandum *Altare æneum Holocauſtorum*, viginti cubitorum longitudine, viginti cubitorum latitudine, eâdem videlicet cum tota Domo, altitudine verò decem cubitorum, 2. Paralipom.4.v.1.

2.Paral.4.1.

Mare æneum.

3. *Lacus* ſeu *mare æneum* ibi fuit, duodecim Bobus ſuperimpoſitum, per diametrum cubitos *decem*, in circumferentia cubitos *triginta*, in altitudine cubitos

bitos

Digitized by Google

bitos *quinque* continens: vnde ex proportione circumferentiæ ad diametrum, quæ tripla ſeſquiſeptima eſt, colligitur, Labrum lacus ſeu maris non vndiquaque rotundum, aut circulare fuiſſe, ſed ad latera nonnihil compreſſum: alioquin enim triginta vnius cubitorum fuiſſet circumferentia, niſi ſentire malimus, integro numero expreſſo, redundantem compendij grâtiâ relictum fuiſſe. Sicut dicimus, ſeptuaginta interpretes, quorum tamen ſeptuaginta duos fuiſſe conſtat. *Capacitas* huius maris fuit, vt 1. Reg. 7.26. ſcribitur, *bis mille Bathorum*. Sed 2. Paralip. 4.5. dicitur fuiſſe *ter mille Bathorum*. Quæ diſſonantia, vel ex differentia bathorum componenda eſt, vel; quod ex Hebræo textu Paralipomenωn ſatis dilucidè patet, hæc eſt ſententia: Quod totius quidem Maris capacitas, tanta fuerit, vt ſi ad ſummum compleretur, ter mille Bathos caperet. Sic enim ibi legitur, *comprehendens Bathos, ter mille continebat*: hoc eſt, tota, vel omnis capacitas, ter mille caperet. Sed ad vſus tantùm bis mille inferebantur. De *Actu* igitur loquitur Hiſtoria Regum, *de potentiâ*, Paralipomena.

1. Reg. 7.23.
2. Paral. 4.2.
Epiphan. fol. 481.
Conciliatio duorum locorum.
1. Reg. 7.26.
2. Paral. 4.5.

Vel (quod expendendum diligenter pijs lectoribus relinquo) Cùm Bath & Epha, eadem planè menſura ſint, niſi quòd illud nomen liquidis, hoc verò aridis tribui ſolet: Sicut Corus vel Homer etiam ſunt aridorum, interim tamen hæc liquidis etiam tribuuntur: nam 1. Reg. 5.11. ita legimus: *Salomon dabat Hiramo* (Tyrio Regi) *vicies mille Coros tritici, pro familia eius & viginti Coros puriſſimi Olei*: vbi tàm liquidis, quàm aridis Cori nomen tributum videmus. Si idem de Batho ſentiamus, facilis erit duorum locorum, 1. Reg. 7.26. & 2. Paralip. 4.5. conciliatio: quorum illo, Mare æneum bis mille, hoc verò, ter mille Bathos continuiſſe ſcribitur. Quoniam enim arida, cumulatè menſurari multoties conſueverunt (Auffgehauffet) cumulus autem ex aridis additus, mediæ parti totius excepti, æqualis ſit (hoc eſt, aridorum menſura cumulata, eſt ſeſqui liquidorum, Ein Simri auffgehaufften Meels / Getraids / ꝛc. iſt anderhalben geſtrichens.) Si igitur locum Paralipomenωn, de aridorum Bathis, ijsque cumulatis, accipiamus, tùm eleganter ter mille Bathi aridorum, reſpōdent bis mille Bathis liquidorum, quos hiſtoria Regum metitur. Hic lacus, ſive mare æneum, poſitum erat, ad latus Altaris dextrum, ad orientem è regione Meridiei.

1. Reg. 7. v. 39.

4. In hoc eodem Atrio Sacerdotum, *decem quoque labra* fuerunt (ſeu decem luteres) decem baſibus impoſita (quarum baſium ſingulæ, quaternis rotis volubiles erant) capientia quadragenos Bathos, quinque ad dextrum, & quinque ad ſiniſtrum latus diſpoſita. 1. Reg. 7. v. 38. 2. Paral. 4.6.

Decem Luteres.
2. Paral. 4.6.

Vſus labrorum & Maris iſtius ænei hic fuit, vt in labris, quæ ſuper baſes, rotis verſatiles, poſita, de loco in locum facilè transferri potuerunt, omnes Holocauſtorum carnes lavarentur: ex mari verò lavarentur Sacerdotes. 2. Paral. 4.6. Refert hoc loco Arias Montanus ex libris Miſnaioth, hoc eſt, antiquarum traditionum, Fuiſſe in Atrio Sacerdotum puteum, mobili operculo obduratum, in quem miniſtrantes aquam, & ſanguinem oblationū effunderent, & effuſa, per canalem, vſque in torrentem Cedron effluxiſſe. Qua de re in ſacris (quod ſciam) nihil extat, ſed veriſimile eſt, puritatis & mundiciei cauſa, tale aliquid fabrefactum fuiſſe.

Vſus maris & labrorum.

5. Denique, ad portas Atriorum *Gazophylacia* fuerunt, quibus oblationes, & Eleemoſynæ colligebantur. Peculiariter autem talis arca deſcribitur, quam Ioiada Sacerdos præparaverit, facto in operculo foramine, vt, quod quisq; vellet, inferre poſſet, poſuitq; eam iuxta Altare Domini dextrorſum, qua ingreditur quisque Domum Iehovæ, hoc eſt, ad dextrum poſtem portæ Atrij Sacerdotum, vbi Altare erat: Sed arca erat extrinſecus, in fine Atrij magni Iſraëlitarum, quouſque toti Iſraëli pervenire licebat. Quam ob cauſam in Chronicis, eadem arca poſita fuiſſe ſcribitur, *iuxta portam Domus Domini* (id eſt, Atrij Sacerdotum) *forinſecus*. *Poſtea*, diſtinctis Atrijs, veriſimile eſt, plures eiuſmodi

Gazophylacia.
2. Reg. 12.9.
2. Chron. 24.8.

Areas,

Digitized by Google

Arias, in pluribus etiam portis propoſitas fuiſſe, vt non tàm viris, quàm fœminis, tùm alienigenis quoque, oblationes offerre opportunum & commodum eſſet. Talis arca fuit Gazophylacium illud, in quod vidua, duo minuta

Marc.12.41.
Luc.21.1.

iniecit, cuius oblationem Chriſtus, aliorum omnium oblationibus prætulit. De huiuſmodi oblationibus, Chriſtus loquitur, reprehendens Phariſæorum avaritiam, quòd oblationibus inhiántes, mandatum Dei de parentibus honorandis, iuvandiſque impiè ſolverent. Matth.15. & Marci 7. *dicitis* inquit Chri-

Matth.15.5.
Marc.7.11.

ſtus) *Si dixerit homo patri vel matri, Corban* (quod eſt donum) *quodcunq; ex me tibi proderit: & vltra non dimittitis eum, quicquam facere patri ſuo aut matri ſuæ.* Hoc eſt, vos Phariſæi, immenſum avaritiâ hiantes, perſuadetis liberis ſeu filijs, vt liberaliter offerant in Gazophylacia, ea namque te placari Deum & liberis & parentibus, adeoque liberos ab alijs pietatis officijs adverſus parentes, redditis immunes, cùm potius ex divino præcepto, oblationibus illis parentum ſuorum indigenti neceſſitati ſuccurrere debuiſſent. *Hæc de Gazophylacijs.*

Varia ſupellex & omnis generis theſauri.

6. Reliqua omnis ſupellex, vt lebetes, crateres, labra, cacabi, calices, hydriæ, phialæ, ſuſcinæ, cultri, tridentes, cochlearia, trullæ, thuribula, pelvices, inſtrumenta muſica quoque, & alia vaſa, tum etiam theſauri Domus Domini, vt aurum, argentum, vinum, oleum, ſimila, ligna, & quæcunque id generis alia fuerunt, iſthæc, inquam, omnia in ſuis certis Exedris & Gazophylacijs diſtributa, adſervataq; fuerunt, vt in ſuperioribus prolixè demonſtratum eſt.

De Tabernaculo Teſtimonii.

Hiſtoria Tentorii & Arcæ.

7. Poſtremò: cùm hactenus totam Domum cum Atrijs & Exedris ſuis luſtrati, omnia quoque ſupellectilia perſcrutati ſimus, nihil autem de Tabernaculo Teſtimonij invenerimus, quod Moſes, Domini iuſſu, præparaverat, non immeritò quæri poteſt, vbi manſerit Tabernaculum illud Tentorij? Eam quæſtionem vt dilucidè intelligamus, operæ pretium eſt, vt hiſtoriam Tentorij & Arcæ Domini breviſſime percurramus. *Tentorium* igitur illud & *Arca*, quam Moſes in deſerto paraverat, poſt ingreſſum Hebræorum in terram

Ioſ.4.19.

Chanaan, in *Gilgal* ſunt collocata. Ioſ.4.19.

Arca in Gilgal permanet.
Capitur à Philiſtæis.
1.Samuel.4.11.
1.Sam.5.1.
1.Sam.5.10.
1.Samuel.6.v.1.
1.Samuel.6.v.12.

In Gilgal permanſit Arca & Tentorium, donec inde in *Silo* tranſlata ſunt, Joſuæ cap.18.1. Ibi perdurante Arca, omnia illa geſta ſunt, quæ ſub iudicibus, ſub Eli, & ſub Samuele geſta narrantur, vſq; dum à Philiſtæis caperetur. Quam cùm in Templum Dagonis intuliſſent, eiuſque præſentia, non tantum Dagon, loco lapſus, cervicem manusque fregiſſet, ſed ipſi quoque Philiſtæi locis naturæ ſecretioribus afflicti fuiſſent, vbiq; locorum pertæſi, Arca novo plauſtro, quòd duæ vaccæ lactantes trahebant (poſteaquam ſeptem menſes in Philiſthæorum agro commorata fuiſſet) cum certis muneribus, in agrum Bethſemitarum tranſlata eſt, quam Bethſemitæ, magno gaudio & exultatione exceperunt. Quanquam aliqui eorum, quod ex temeritate Arcam imprudentius adſpexiſſent, morte mulctarentur. Sic ergo à Philiſthæis, in Bethſemiticum agrum remiſſa fuit tum temporis Arca Domini.

Manet in Kiriath-Iearim in domo Aminadab.
1.Sam.7.1.

De hoc reditu Arcæ, poſteaquam cives Kiriath Iearim certiores ſunt redditi, confeſtim illam ex agro Bethſemitico, in civitatem ſuam, in domum Aminadab receperunt, vbi per plures quievit annos, donec per Davidem, inde Hieroſolymas in Civitatem Sionis tranſlata eſt.

Transfertur Hieroſolymas.
2.Sam.6.1.
1.Paral.capp.13.15 16.
Difficultas tranſlationis.
Et mora in domo Obed-Edom.
2.Sam.6.11.

Hic enim, confirmato Regno, Comitijs habitis ex Vrbe Iearim, Hieroſolymas tranſtulit. In cuius tranſlatione cum bis peccatum eſſet, ſemel, quod Sacerdotes, vt officium poſtulaverat, non portaſſent Arcam, ſed plauſtro vectandam impoſuiſſent, & iterum, quod Vza, candem nutantem, imprudenter attigiſſet, eamque ob cauſam morte mulctatus eſſet divinitus: Eo caſu conſternatus David, non auſus eſt eam id temporis Hieroſolymas perferre, ſed in medio itinere, commendavit illam Obed-Edom Gitthæo. Cùm autem exactis tribus menſibus, quibus Arca Domini in Domo Obed-Edom Gitthæi cõſederat, benedictionem intellexiſſet, qua tàm hoſpes Arcæ, quàm omnis domus

Digitized by Google

mus ipſius cumulabatur, ibi repetitis conſilijs, eam inde Hieroſolymas vſque
in Civitatem ſuam, quæ fuit Sion, in tentorium, quod illic ei paraverat, ma- *Venit Sionem.*
gna cum ſolennitate, maximoq; gaudio & exultatione, traduxit. Vbi, cùm Da- *2.Sam.6.17.*
vid, coràm divinâ maieſtate ſe humilians, non tantùm regiam chlamydē, lin- *1.Paral.15.1. & 16.1.*
teo ſuperiniecto amiculo, tegeret, ſed & ipſe inter tripudiantes ſaltaret, ab *2.Paral.1.4.*
vxore ſua Michal ſuperbè, ſed ad illum quod attinebat, fruſtrà deriſus eſt: Ipſa *1.Paral.15.27.*
verò, propter ſummum illum, in Deum & maritum Regem, contemptum, & *2.Sam.6. 20.* *1.Paral.15.29.*
faſtum perpetuæ affecta eſt probro ſterilitatis. *2.Sam.6.23.*

In hoc Tentorio & Civitate Davidis, vſque poſt eiuſdem mortem Arca *Infertur in Templum Salomonis.*
Domini remanſit, donec, ædificato Templo, Salomon in maxima, & ſolenni
eius inauguratione ex Tentorio Davidis, in ædem ab ſe ædificatam transfe- *1.Reg.8.1.*
rens, in ſanctum ſanctorum collocavit. *Hactenus hiſtoria Arcæ Domini*: vbi *2.Paral.5.2.*
illa fuerit, inde à Moſis temporibus, vſque ad extructum Templum Sa-
lomonis.

Sed vbi *Tentorium Moſis? Tentorium conventus, ſive Tabernaculum?* Cu- *Hiſtoria Tabernaculi.*
ius inveſtigandi gratiâ in hanc omnem Narrationem ingreſſi ſumus? Reſpon-
dent Paralipomena, aduſque eadem ipſa illa tempora Salomonis Tentorium,
conventus, ſive Tabernaculum fuiſſe in *Gibeon*, vbi quoque ſolennia DEO
feſta celebrabantur: nam 2. Paralip. 1. verſ. 2. Salomon in Regno confirmatus, *1.Reg.3.4.*
publicis actis Comitijs ſolenni comitatu aſcendit in Excelſum, quod erat in *2.Paral.1.2.*
Gibeon: *quia ibi* (vt verſus 3. loquitur) *erat Tentorium conventus Dei, quod fece-* אֹהֶל־מוֹעֵד.
rat Moſe ſervus Domini in deſerto. Ibidem quoque coram Tabernaculo fuit *Al-*
tare æneum, quod fecerat Bezaleel, filius Vri, filius Hur. Ibidem precatus eſt
Salomon Rex Dominum, vt ad regendum populum, ſapientiam ſibi, & dexte- *1.Reg.3.5.*
ritatem largiretur, quæ petitio, non tantùm acceptata à Domino, ſed plurimis *2.Paral.1.7.*
etiam, & maximis muneribus à Domino cumulata fuit. Cùm igitur ex hiſce *NB. Populus, DEVM in Tabernaculo, Arca vacuo coluit.*
& proximè præcedentibus conſtet, iam inde à pluribus annis, Arcam Domini,
& in Kiriath-Iearim, & Hieroſolymis in Tentorio Davidis reſediſſe, nihilomi-
nus autem ſolenniſſima feſta, in Gibeone, ad Tentorium Moſis, celebrata fuiſ-
ſe, conſequitur inde, toto illo tempore Iſraëlitas, Deum in Tabernaculo, Ar-
ca vacuo coluiſſe, coluiſſe etiam Hieroſolymis, ad fœderis Arcam, extra Ten-
torium. Sic enim 1. Reg. 3. legimus: Quòd, poſteaquam Salomon, Gibeone *1.Reg.3.4.*
ſua ſacrificia abſolviſſet, & ibidem ampliſſimis Domini promiſſis ditatus, Hie-
roſolymas reverſus eſſet, etiam illic, Hieroſolymis videlicet, ſtans coram Arca
fœderis Domini, & Holocauſta, & Euchariſtica obtulerit, 1. Reg. 3. 15. Et hæc *1.Reg.3.15.*
etiam ſunt inter Excelſa, in quibus Salomonis temporibus, populus ſcribitur
ſacrificaſſe. Sed permanſit ne hoc Tentorium Moſis, in Gibeon? aut quor- *1.Reg.3.v.2.14.*
ſum tandem tranſlatum eſt? Hanc quæſtionem ſolvunt Paralipomena. Quæ *2.Par.5.5.*
paucis quidem, ſed dilucidè exponunt, eodem illo tempore, quo Salomon ex
Tentorio Davidis, in ſanctum ſanctorum, nuper extructum, Arcam tranſtulit,
eodem, inquam, ipſo tempore, omnibus ſenioribus in Iſraël comitantibus, &
Tentorium ſive Tabernaculum Moſis, omniaque vaſa ſacra, quæ erant in
Tentorio, per Sacerdotes & Levitas, Hieroſolymas in Templum Salomonis
tranſlata fuiſſe. Quo cum congruit, quod 1. Reg. 6. 4. legimus, Vbi apertis, & *1.Reg.6.4.*
dilucidis verbis deſcribitur, vno eodemque tempore, eâdemque ſolennita-
te, & Arcam, & Tentorium conventus, omnia quoque vaſa ſacra, quæ in Ten-
torio fuerint, per Sacerdotes & Levitas, in Templum Salomonis tranſlata fu-
iſſe: Sed iam ſupra, apertiſſimis rationibus iiſque invictis probatum eſt, Sa-
lomonis tempore, Arcam iam inde à Davidis temporibus Hieroſolymis fu- *Tabernaculum infertur Templo Salomonis.*
iſſe: Tentorium verò Gibeone. Eodem igitur & vno tempore, tàm Arca, quàm
Tentorium, cum omnibus vaſis ſacris Templo illata ſunt, die nimirùm inau-
gurationis Templi, ſed diverſis ex locis. Arca nimirùm, ex Civitate Davidis,
quæ erat Sion, è Tentorio, quod David illi, antequam illam ex Vrbe Iearim

Digitized by Google

transferret, paraverat, 1. Regum 6. verſ. 1. 2. Samuel. 6. v. 17. 1. Paralip. 15. 1. & 16. 1. Tabernaculum vero, ſive Tentorium conventus, Gibeone Hieroſolymas translatum eſt, 2. Paralip. 1. verſ. 3. Hactenus tranſlatio Tabernaculi, in Templum Salomonis. Vbi autem, vel quibus thalamis ſive Exedris diſpoſitum fuerit Tabernaculum, eius ſcriptura nihil meminit. Cum enim extructo Templo, vſus Tabernaculi iam ceſſaret, parum intereſt, quibus etiam cellulis, partes Tabernaculi adſervarentur. *Satis etiam de Tabernaculo.*

Inventarium Arcæ.

Sed antequam Templo excedamus, Coronidis vice, vnicam adhuc quæſtionem delibabimus. Dum enim Arcam & Tabernaculum contemplamur, ſemel atq; iterùm, hoc Arcæ Inventarium (vt dicitur) ſive Catalogum contentorum in Arca legimus. *Nihil erat in Arca, niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Iſrael, cum egrederentur de terra AEgypti.* 1. Reg. 8. 9. 2. Paral. 5. 10. Quod ſi hæc conferamus, cum Hebr. 9. 3. (vbi ita legitur: *In ſecundo Tabernaculo, quod dicitur ſanctum ſanctorum, erat aureum Thuribulum, & Arca Teſtamenti, circumtecta ex omni parte auro, in qua vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti, ſuperq; eam erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium*) non exigua videbitur apparere diſſonantia. Nam hiſtoria Regum & Paralipomenon, NIHIL dicunt fuiſſe in Arca, niſi duas lapideas Tabulas Legis. Sed Epiſtola ad Hebræos meminit inſuper, vrnæ aureæ, habentis Manna, & virgæ Aaronis. Sed cavendum, ne quæ diſtincta ſunt confundamus. Fuerunt quidem & virga & vrna aurea, in ſancto ſanctorum, *ad Arcam*, ſed non *in ipſa Arca*. Vt videre eſt, Exod. 16. 34. *Et repoſuit Aaron* (vrnam Mannæ) *coram Teſtimonio* לִפְנֵי הָעֵדֻת לְמִשְׁמָרֶת *ad obſervandum*: hoc eſt, coram Arca, in ſancto ſanctorum. Similiter de virga refloreſcente Aaronis, ſic legimus, Numer. 17. v. 10. *Repone virgam Aaronis* coram Teſtimonio, לִפְנֵי הָעֵדוּת לְמִשְׁמֶרֶת *in ſignum filijs Rebellionis*. Ex quibus conſtat, & vrnam Mannæ, & virgam Aaronis, in *ſancto ſanctorum* quidem, non autem *in Arca Teſtimonij*, ſed ante ſive iuxta illam repoſita fuiſſe. Hinc apparet, Epiſtolæ ad Hebr. textum, diverſa continere, & relativum (*in qua*) non ad proximam vocem Arcæ, ſed ad ſuperiorem, σκηνῆς ſcilicet referendam eſſe. Cuius rei non vnum ſaltem in ſcripturis exemplum extat. Et ne quis exiſtimare poſſit quia virga Aaronis & vrna Mannæ, *coram Teſtimonio* repoſita fuerunt, eam eſſe vim phraſeos, vt in ipſam Arcam, ad Tabulas teſtimonij repoſita ſint, ſciendum eſt, Dominum ibidem in depoſitione duodecim virgarum ſecundum familias Hebræorum eâdem planè phraſi, ijſdemq; verbis vſum eſſe. Sic enim dicit Moſi: *Accipies duodecim virgas, & repones eas in tentorio conventus, coram teſtimonio*, Hebr. לִפְנֵי הָעֵדוּת. Non quiſquam autem credet, duodecim illas virgas, quæ diremptum lites & murmura, de Sacerdotio, ad reflorefcendum illuc repoſitæ fuerunt, in ipſam Arcam Teſtimonij repoſitas fuiſſe, ſed poſitæ fuerunt in ſancto ſanctorum coram Teſtimonio, ſive coram Arca Teſtimonij, vt dictum eſt. Sic benè diſtincta, ſecum ipſa concordabit ſcriptura.

Exod. 16. 34.

Num. 17. 10.

Num. 17. 19.

DESCRIPTIO TEMPLI Ezechielis.

Vſus contemplationis Templi Hieroſolymitani.

Hactenus *Templum Hieroſolymitanum*, in monte Morija ædificatum, cum Atrijs, Exedris ſive cellulis atq; ſupellectibilibus ſuis contemplati ſumus, Iam ad *viſionem noſtram Propheticam* revertimur, ad quam rectius, & planius intelligendam, Exemplar Hieroſolymitani Templi, ante oculos noſtros, mentemq; propoſitum plurimum non tantum ponderis, atque perſpicuitatis, ſed etiam brevitatis & compendij eſt allaturum. Multo rectius enim atq; expeditius intelligere

telligere poterimus Prophetam Ezechielem, qui in hac viſione ſua deſcribenda, vbiq; ad Templum Hieroſolymitanum reſpiciens, multa breviter & conciſè dicit, quæ rerum intelligenti ſatis aperta ſunt, ei verò, qui Templum Hieroſolymitanum nunquam vidit, tanquam in aliena regione verſanti, omnia obſcura, impedita & intricata ſunt. Sed vt operæ compendium faciamus, quod & ipſum ad maiorem perſpicuitatem accommodatum futurum eſt, non, vt hactenus, in reliquorum omnium capitum interpretatione conſuevimus, per ſingula viſionis capita & verſus ordine procedemus: verùm, ſicut in Templi Hieroſolymitani deſcriptione, ea quę hinc inde diſperſa, ad cuiuſq; rei picturã pertinerunt, vndiq; in locum ſuum collegimus, ſic etiam, quia in hac viſione, non omnia ordine perſequitur Propheta noſter, ſed quædam priori loco exponenda, alijs reſervavit, nos ad domum accedentes, quæcunq; ad illas partes, ad quas pervenerimus, luſtrandas pertinebunt, vbicunq; deſcripta extiterint, ſub vnum contuitum adſpectumq; coadcervabimus contemplatoris.

Nova Methodus interpretationis.

Præmiſſo igitur viſionis Exordio, quod in ſuperioribus expoſitum eſt, iam accedimus ad *narrationem*, quam in præcedentibus tripartitam eſſe diximus. Tribus enim prioribus capitibus deſcribitur Templum, quod per viſionem Prophetæ noſtro oblatum eſt, capp. nimirùm 40. 41. & 42. In ſecundo membro narrationis, deſcribitur Templi cultus, cap. 43. & 44. In tertio membro, ipſa Reipublicæ conſtitutio delineatur, capitibus poſtremis. Hæc quidem generalis eſt diſpoſitio, ſed quod ſupra monui, alia & alia, ad hoc vel illud membrũ pertinentia, in alijs quoq; capitibus deſcribuntur. Satis igitur eſt, ſi generalem quandam Methodum obſervatam fuiſſe deprehendamus. Suas etiam cauſas habuit Propheta, quare alijs in locis explicuerit, quę alibi etiam deſcribi potuiſſent. Id quod datis occaſionibus ſum commonefacturus.

I. TEMPLVM.

Accedimus igitur, Deo nos gratioſè deducente, ad Templum Ezechielis, in cuius luſtratione, alia nobis & diverſa via ingrediendum eſt, quàm fecimus in Templi Hieroſolymitani contemplatione. Ibi namque adſtitimus operarijs Salomonis, & primùm in vertice montis Morija complanari vidimus Areã, deputatam ædificando Templo, eandem aream dividi & diſponi vidimus, in ſanctum ſanctorum, in ſanctum, & porticum, Hebr. in דְבִיר׃ הֵיכָל & אוּלָם: Poſtea excitari vidimus Templi parietes, addi internos & externos ornatus, circumijci ambitus, adornari Atria, plurimas hinc inde extrui cellulas & Exedras. Adeoq; de vertice Montis, ad exteriora atria, per declivum deſcendimus: Iam verò, quia cum Propheta noſtro, ex Babylonia ad contemplandum excitatum Templum, adventamus, opus habemus, vt ab infimis Atrijs, ad ſuperiora conſcendamus, donec ad ipſam Domum ſeu Templum Domini, in montis vertice locatum, evadamus.

Primùm igitur memorat Propheta, ſe, poſteaquam in viſionibus Dei, Hieroſolymas, ad montem Templi ſancti, è Babylonia tranſlatus eſſet, vidiſſe principiò, totam Domum ab extra, firmiore muro circumdatam fuiſſe, cap. 40. 5. vbi ex ſuperioribus repetendum, per Domum hoc loco, non tantùm ipſum Templum, ſeu ipſam Domus ſtructuram, ſed totum montem, cum omnibus ſuis Atrijs intelligendum eſſe. Qua phraſi, & loquendi modo etiam hodiè vtimur: Nam arcem nobilis aut Principis cuiuſdam, licet multa intus peculiaria & ſeparata ædificia habeat, generaliter tamen illas omnes ſtructuras & ædificia, vnica voce Domum appellare conſuevimus. **Dieſer Herꝛ/ Grave oder Fürſt/ ꝛc. hat ein ſchön Hauß auff dieſem Berge.** Qua voce omnia comprehendimus, ſive domos, ſive atria, ſive cellulas, & quæcunque murorum ambitu complexa concluduntur. Ita Propheta noſter hoc loco dicit, Domum il-

Domus pro tota ſtructura.

lam viſionis, id eſt, Templum, & vniverſa eiuſdem Atria, omni ex parte, & circumquaq; muro communita fuiſſe. Et hic fuit omnium exterius, ſeu infimus murus, ad montis radices. Quanquam enim verſu ſecundo cap. 40. dixerit, ſe in viſionibus Dei, è Babylonia in terram Iſraëlis translatum, atque ibidem in monte excelſo collocatum fuiſſe, Id tamen generaliter, de tota viſione accipiendum eſt, cuius primaria pars, Templum videlicet, in montis cacumine glorioſè eminebat. Iam ſpecialiter, & per partes oſtendit, quæ ratio fuerit ſingularum. Hunc igitur Murum omnium infimum fuiſſe, tum ex tota deſcriptione, tùm peculiariter verò ex cap. 40. verſ. 6. patet, dum oſtenditur, Prophetam ab hoc muro, ad alia & alia ſuperiora Atria, per ſuos gradus introductum fuiſſe. Hoc vnum eſt.

Porrò, cùm animus, & propoſitum Domini fuerit, in præſentia Prophetæ noſtri, totam Domum, omneſque eius partes metiri velle, propterea initiò ſtatim, definitur menſura calami, quo Menſurator ille, in totius Domus, adeoq; poſtea etiam totius terræ, omniumq; partium ipſius dimenſione, fuerat vſus. Dixit. n. in v. 5. *Ecce murus forinſecus, in circuitu Domus vndiq, & in manu viri, calamꝰ menſuræ ſex cubitorum, in cubito, & palmo.* קְנֵה הַמִּדָּה שֵׁשׁ־אַמּוֹת בָּאַמָּה וָטֹפַח Quæ verba vt rectius intelligamus, & ſimul omnes id genus menſuras, de Hebraicis menſuris hæc ſunt obſervanda.

Digitus. 1. Inter minimas menſuras refertur, *menſura digiti* ea verò inæqualis eſt, nam pollex, reliquos magnitudine ſuperat, ea tamen proportione, vt tres pollices (qui totidem pedis legalis vncias habent) quatuor reliquis æquiparentur. Vnde pollices duodecim, reliquorum autem digitorum ſedecim, faciunt pedem vnum.

Palmus. 2. Proxima menſura eſt, *Palmus* Hebr. טֹפַח: quatuor digitorum menſuram continens. Quam menſuram legimus de fuſura, ſeu craſſitudine maris æ-nei, 1. Reg. 7. 26. & 2. Paral. 4. 5. *Et denſitas eius ſeu craſſities fuit, Palmus.* Et Ier. 52. v. 21. *Craſſitudo eius quatuor digitorum.* Preſente loco, de calamo menſoris, qui fuit ſex cubitorum in cubito & *Palmo*, Ezech. 40. 5. Quatuor autem palmi, ſeu digiti ſedecim, pedem faciunt.

Spithama. 3. Tertiò eſt זֶרֶת, hoc eſt, *palmus expanſus* ſive *Spithama*, Ein Spanne. continens tres palmos, hoc eſt, menſuram 12. digitorum. Hanc menſuram habebimus infra Ezech. 43. 13. *Terminus Altaris, circa labium eius, palmus vnus*, ſcil. expanſus, ſeu *Spithama*. Et Eſai. 40. 12. *Quis menſus eſt cælos palmo?* Ita Goliathi longitudo deſcribitur, *ſex cubitorum, & palmi.* Vbi palmum extenſum ſive Spithamam intelligendam eſſe, ex Hebræa voce זֶרֶת liquidum eſt, 1. Sam. 17. 4.

Cubitus. 4. Quartò eſt אַמָּה, hoc eſt, *cubitus*, continens duas Spithamas, hoc eſt, digitos viginti quatuor.

Cubitum autem duplicem fuiſſe notandum eſt. Alterum communem, habentem duas Spithamas ſeu digitos viginti quatuor, hoc eſt, ſeſquipedem: *Cubitus enim eſt ſeſquipes.* Alterum verò Regium, ſeu Propheticum continentē duas Spithamas & inſuper טֹפַח hoc eſt, digitos quatuor, adeoq; in ſumma, digitos viginti octo. De hoc regio cubito, præſens Ezechielis locus loquitur, *erat in manu viri menſura calami, in cubito & palmo*, hoc eſt, calamus iſte menſorius, conſtabat cubitis Regijs, quorum ſinguli, vno טֹפַח, hoc eſt, quatuor digitis, maiores erant communibus. Et hoc eſt, quod dicitur in textu, calamus erat ſex cubitorum, *In cubito & palmo.* Id quod clariùs etiam patet ex Ezech. 43. 13. Hæ ſunt menſuræ Altaris, iiſdem cubitis, cubito vno quoque, ex cubito & palmo.

Calamus 10½ pedes facit, hoc eſt, decempedam cum ſemipede. 5. Tandem eſt *Calamus*, Radius, ſive Pertica, Hebr. קָנֶה Cuiuſmodi calamum, Architectus vel Menſurator noſter habuit apud Ezechielem, v. 5. *In manu viri calamus menſuræ.* Habuit autem calamus, ſive pertica eiuſmodi, ſex cubitos, ſed eos, qui ſinguli vno palmo, ſeu quatuor digitis maiores erant, quàm cubiti vulgares. Vnde conſequitur, ſicut cubitorum diverſa fuerunt genera,

nera, ſic etiam calamorum. Nam communis calamus ſeu pertica, cubitos communes habuit ſex, hoc eſt, pedes novem: propheticus autem calamus, cubitos habuit ſex & totidem palmos, טְפָחִים. Cùm igitur ſinguli cubiti, noſtri Architecti, ſingulos palmos (4. digitorum) adiunctos habeant, ergò ſinguli tales cubiti, faciunt digitos, viginti octo, hoc eſt, pedem vnum, cum tribus quartis ſeu vncijs novem. Redacturus igitur cubitos Propheticos, in pedes legales, ſic operare: pone numerũ cubitorum, illi ſubijce dimidium, quia cubitus eſt ſeſquipes, & tertiò dimidij dimidium, quia טֶפַח eſt ſeſquipedis dimidium, ſeu pedis pars quarta: collige & habebis quæſitum. Exempli gratia, calamus habet cubitos ſex, hi quot faciunt pedes?

$$\begin{array}{r} 6 \\ 3 \\ 1\frac{1}{2} \\ \hline 10\frac{1}{2} \end{array}$$

Hæc de ratione menſuræ.

Iam *ſtructuram* ipſam videamus. Eam vt tantò diligentius, tantoque exquiſitius contemplari valeamus, hoc ordine progrediemur: Primùm videbimus exteriorem murum ſive ambitum: Secundò Atria luſtrabimus: Tertiò domum ſive Templum ipſum.

I. DE EXTERIORE MVRO.

In muri exterioris contemplatione, hæc examinanda & advertenda ſunt: 1. Murus ipſe. 2. Porta. 3. Thalami, iuxta portam, vtrinque portæ adhærentes. 4. Veſtibula. 5. Feneſtræ. 6. Ornamenta antepagmentorum.

I. Principiò Muri craſſities & altitudo deſcribitur: vtramq; videlicet fuiſſe calami vnius, hoc eſt, ſex cubitorum, ſive pedum decem & ſemis. Murus firmiſſimus. Deſcribitur autem hæc quantitas Cap. 40. v. 5. *Menſus eſt latitudinem artificij* (id eſt muri) *iſtius calamo vno: & altitudinem quoq; calamo vno.* Ad longitudinem autem huius Muri quod attinet; finitur illa Cap. 42. v. 16. & ſeqq. quòd in quadratum fuerit extructus murus, duobus lateribus ad ortum & occaſum duobus, ad Aquilonem & Meridiem ſpectantibus. Longitudo omnium laterum æqualis fuit, ſingulorum videlicet cubiti quingenti. *Hic talis & tantus fuit murus.*

2. Secundò, *Porta*, examinanda eſt. Illam dicit Propheta δίθυρον ſeu biforem fuiſſe, hoc eſt, duas ianuas habuiſſe, quæ clauſæ in medio antepagmento coiverint. Hoc inde ſequitur, quia Cap. 40. v. 6. dicitur: *quòd menſus ſit limen vnum, calamo vno, & limen alterum etiam calamo vno.* Hoc eſt, tota latitudo *Portæ* fuit duorum calamorum, hoc eſt, cubitorum duodecim, ſive pedum viginti & vnius: quæ latitudo poſtes etiam comprehendit: nam ipſum oſtium, ſive apertura luminis, fuit tantum *decem cubitorum*, cap. 40. v. 11. Vtrinq; igitur poſtibus ceſſit cubitus vnus: ſed lumen oſtij fuit 16. cubitorum ſeu pedum 17 $\frac{1}{2}$ **So weit iſt die Port hol geweſt** (vt Architecti loquuntur) Longitudo ſive Altitudo portę (nihil aliud enim eſt Longitudo) fuit cubitorum 13. ver. 11. Adeoq; portæ Altitudo, muri Altitudinem ſuperavit ſeptem cubitis. Quia porrò magna fuit muri craſſities, calami videlicet vnius, ſeu pedum decem & ſemis, vt ſuprà vidimus, eam ob cauſam porta hæc non tantùm ab extra, in frontiſpicio, liminibus & poſtibus ſuis firmata, ſed ab intus etiam correſpondenti liminum robore, conſolidata fuit, eâdem luminis apertura, per muri craſſitiem transfuſa. De hiſce internis liminibus, loquitur verſ. 7. Cap. 40. *Et menſus eſt limen portæ, iuxta veſtibulum portæ intrinſecus calamo vno.* Quanquam enim alterius duntaxat liminis mentionem faciat, alterum tamen ſubintelligendum eſt. Et quia eiuſdem fuerunt magnitudinis (vt in portæ frontiſpicio vidimus (*Menſus eſt limen vnum calamo vno, & limen alterum etiam calamo vno*) ſa-

Digitized by Google

tis fuit, intrinſeci liminis alterius tantùm mentionem feciſſe, altero ſubintellecto. Sed hic ſenſus exprimendus erat, aperturam oſtij, ſeu luminis, ab intus tantam fuiſſe, quanta fuerit in primo muri frontiſpicio, vt dictum eſt.

3. Portam ingreſſis, ex vtroque latere, *thalami*, ſive *conclavia* quædam exedræ occurrebant, quæ hinc & hinc, à dextris, & ſiniſtris muro ſecundum longitudinem adhærentes, conſpiciebantur. In horum thalamorum contemplatione, primùm numerus, deinde magnitudo eorundem, hinc forma, & ſitus expendendus eſt.

Ad *numerum* quod attinet, ſex thalami fuerunt, tres nimirum in vtroq; latere, v.10. thalami portæ, *tres hinc, & tres inde. Menſura* thalamorum vna omnium fuit, eodem verſu 10. Sed definitivè, magnitudo cuiuſque thalami tàm in longitudinem, quàm in latitudinem fuit calami vnius, hoc eſt, ſex cubitorum, verſ. 7. & 12. *Forma* igitur quadrata fuit, & oſtia (quæ, ſinguli thalami, bina habuerunt) ita fabrefacta, vt ſemper *oſtium adverſus oſtium*, v. 13. (פֶּתַח נֶגֶד פָּתַח) hoc eſt, ſecundum lineam rectam, alterum alteri oppoſitum eſſet, adeò, vt ianuis patentibus, ab extremo ad extremum, per omnia intermedia, etiam oculo expeditus radius, ſeu ſimultaneus tranſpectus pateret: **man hat durch alle Gemach zumal hindurch ſehen können / vom euſſerſten biß durchs euſſerſte.** Ad formam, ſive figuram thalamorum refero etiam tectum, quod omnibus thalamis continua ſtructura ſuperimpoſitum erat: cuius hæc fuit ratio (quam hodie etiam Architecti obſervant) vt latitudine & longitudine ſua, non tantùm thalamorum ſtructuram æquaret, ſed vbique ſuas proiecturas haberet (ſuggrundas vel ſuggrundia vocant, græcè *γεῖσα*) quibus ſtillicidia à parietibus arcebantur. Hęc ſuggrundia, quibus thalami hinc & inde, hoc eſt, ab vtraq; extremitate, loricati (ſive armati) erant, fuerunt *cubiti vnius*, hoc eſt, cubitum avertebant ſtillicidium huius extremitatis, cubitum alterius: **Das Vortach hat zu beeden theilen vberauß geſtochen.** cap. 40. 12. Non tamen exiſtimandum eſt, ſingulos thalamos ſingula bina habuiſſe ſuggrundia, ſed terni thalami, vtrinque diſpoſiti, vnico continuato tecto claudebantur, quod in vtraque extremitate ſua habuit ſuggrundia. Hoc demonſtratur ex verſ. 13. Menſum eſſe Architectum illum, longitudinem iſtius tecti, & *fuiſſe menſuram vinginti quinque cubitorum*. Id quod etiam ad ſitum, ſive diſpoſitionem thalamorum iſtorum explicandam pertinet, de qua iam poſtremo loco dicendum reſtat. Ad *ſitum* igitur horum thalamorum quod attinet, *primùm* illi intra murum, verſus Domũ ſeu Templum ædificati, muro adhærebant: hinc v. 7. 8. & 9. vbi de thalamis & porticibus agitur, iterùm atq; iterùm inculcatur, hæc omnia intrinſecus fuiſſe, verſus domum. מִבַּיִת מִבַּיִת מִבַּיִת, hoc eſt, ab intus, ſive intrinſecus. Hoc vnum eſt. *Deinde* ita diſpoſiti fuerunt hi thalami, vt Portæ ingreſſus ex vtroq; latere terni adhærerent, *Tres hinc, tres illinc* ver. 10. *Tandem* neque contigui, neq; continui fuerunt hi thalami, ſed ſingulis ſua intermiſſa fuerunt ſpatia. Quæ ſpatia ternis intermiſſa, cubitos habuerunt quinque. Sic enim verſ. 7. Et thalamus fuit calami vnius longitudine, & calami vnius latitudine: *Et inter thalamos cubiti quinque*. Cùm igitur thalamorum hinc & hinc tres fuerint, colligitur, intermedium ternorum, vtrinque ſuis ſpatijs liberatum fuiſſe. medius thalamus **iſt frey geſtanden**, quæ ambo ſpacia, quia ſimul ſumpta (vt modò dictum eſt) *quinque cubitos* æquarunt, ſequitur, ſingula ſpatia, habuiſſe cubitos duos cum dimidio, hoc eſt, inter ſingulos thalamos, ſpatium fuiſſe duorum cubitorum & ſemis. Ex his probè intellectis, iam reliquæ etiam menſuræ, quarum in deſcriptione *Portæ* huius *Orientalis* mentio fit, faciles ſuos explicatus habent. Quòd enim in verſu 13. dicitur: Menſum fuiſſe Architectum longitudinem tecti, quod thalamis ſupereminebat, & fuiſſe illam cubitorum viginti quinque, id ex præmiſſa Thalamorum deſcriptione & diſpoſitione, liquidiſſimè patet.

Ein Elen / das iſt ein Schuch vnd neun Zoll.

Longitudo tecti thalamorum.

Singuli

Singuli enim Thalami ſingulorum fuerunt calamorum, hoc eſt, cubitorum ſex. Tres igitur Thalami, cubitos faciunt octodecim. Intermiſſa ſpacia, cubitos habuerunt quinque, vt in immediatè præcedentibus dictum eſt. Suggrundia proiecta, cubitos duos, cubitum hinc, & cubitum inde. Qui omnes cubiti in ſummam collecti, cubitos faciunt quinque, quæ eſt longitudo tecti Thalamorum: Pedes nimirùm quadraginta tres, vnciæ novem. *Amplius*, in v. 14. ſcribitur hic Architectus feciſſe frontiſpicia, ſive ſuperliminaria, ſexaginta cubitorum. Quæ ipſa menſura ex præcedentibus perſpicua & plana eſt. Tectum enim Thalamorum, ex vtroque latere habuit cubitos viginti quinque, hoc eſt, ſi ex vtroque latere colligas, cubitos *quinquaginta*: his in intermedio, acceſſit interior Porticus, cuius quantitas tanta fuit, quantum fuit oſtium, ſeu lumen Portæ, hoc eſt, *cubitorum decem*. Totum igitur, frontiſpiciũ, quod & thalamos ex vtroque latere, & porticum interiorem circumibat, longum fuit cubitos *ſexaginta*. Hæc de thalamis, quibus & intelligendis, & explicandis, non nihil fortè conducat, ſi Thalamos & Exedras contemplamur *Aulæ Stutgardianæ*, quæ iuxta portam ingreſſus, ex vtroque latere conſpiciuntur, niſi quod hi continui ſunt, Ezechielis noſtri Thalami, intermiſſis ſpacijs, liberi ſeparatique. **Vnterſchieden vnd frey.**

Longitudo totius frontiſpicii.

IV. Quarto loco ſupereſt, vt, quales fuerint porticus, etiam explicetur. Sciendum autem duas fuiſſe porticus, exteriorem alteram, alteram interiorem. *Exteriorem* deſcribit verſus 6. cap. 40. *Et menſus eſt veſtibulum ipſius portæ intrinſecus, calami vnius.* Hoc ſpatium proximum fuit ad portam ingreſſus, intrinſecus, eiuſdem longitudinis, cum apertura, ſeu lumine ipſius portæ: Latitudinis, introrſum, verſus Domum, calami vnius, ſecundum quantitatem videlicet Thalamorum, quibus ex vtroque latere hæc porticus circumſepta erat. Fuit enim inter portam ipſam, & interiorem porticum, & inter proximos primos vtriuſque lateris Thalamos, ſpatium latius, quàm longius, ſi lineam ingreſſus portæ conſideremus. Sed quantitatis reſpectu, longitudo huius porticus, fuit ſecundum longitudinem muri, ſuis extremitatibus hinc inde Thalamos contingens. Huiuſmodi ſpatium, Græci θυρωρεῖον vocant: ἀπὸ τῆς θύρας & ὄρος, hoc eſt, cuſtos, inſpector: quod portarum cuſtodes ibi commorentur, vel πυλώρειον, eadem ratione, à πύλη porta, & ὄρος inſpector: vel etiam πρόστωον. Nam στοὰ Porticus eſt: hinc Stoici dicti Philoſophi, qui in porticu philoſophabantur. πρόστωον autem locus eſt ante porticum, qui tamen generali ſignificatione, & ipſe quoque porticus, & veſtibulum appellatur, vt hoc ipſo verſu, apud noſtrum Ezechielem. Apud Platonem: ἐν τῷ προστώῳ περιπατοῦντα. Hanc porticum ſub Dio fuiſſe non præter rationem aliquis ſtatuat, quia non tantùm nullius tecti, aut cuiuſcunque alterius ſtructuræ, nulla, ſed ſolius menſuræ mentio fit, verùm etiam in Thalamorum deſcriptionibus, eorundem ſuggrundia, ad hanc porticum pertinentia, vidimus, quibus nihil opus fuiſſet, ſi & Porticus hæc ipſa quoque tecto occluſa fuiſſet. Adde, quod in interiore porticu, vtriuſque lateris, & exterioris verſus Portam, & interioris, verſus Templum ſpectantis frontiſpicia, & elegantiſſima illa, opere & arte elaborata deſcribuntur, quorum altero rurſus nihil opus fuiſſet, ſi hæc exterior porticus, ſuis ſtructuris (quarum tamen, vt dixi, nulla mentio fit) alterum frontiſpicium (exterius videlicet) occupaſſet. Quibus omnibus ſuffragatur luminis copia, quæ non parùm vel diminuta, vel impedita tamen fuiſſet, ſi & hæc pars tecto fuiſſet operta. Statuo igitur hanc exteriorem porticum, ἐν αἰθρίῳ fuiſſe, hoc eſt, ſub aperto cœlo, poſitam ſubdialẽ.

Duæ Porticus, poſt Portam ingreſſus.

Exterior porticus.

Prior porticus ſtatui poſſit ſubdialis.

Interior Porticus cap. 40. verſ. 9. deſcribitur, hiſce verbis. *Menſus eſt veſtibulum portæ, octo cubitorum, cum frontiſpicijs ſuis, binorum cubitorum nempe veſtibulum portæ intrinſecus*, ſive *interius*: Sic ibi. Et hæc fuit porticus interior ſtructuris ſuis, ad ſpeciem & decorem, præ omnibus alijs portæ partibus exornata.

Interior porticus.

Digitized by Google

Magnitudine quoque reliquos omnes Thalamos exuperans: nam ſinguli Thalamorum *ſex* duntaxat cubitos habuerunt, hæc porticus autem, cubitos *octo*. Ex vtroque præterea latere, tùm qua portam ingreſſus, tùm qua Templum & ſuperiora atria reſpiciebat, ſua frontiſpicia, & magnitudine ampliora, tum etiam opere atque arte habuit pretioſiora.

Latitudo portæ.

Ex his iam menſura quoque intelligitur latitudinis portæ, quam eodem cap. verſu 15. deſcriptam habemus, ſic enim ibi: *A fronte autem huius ingreſſus, vſque ad frontem veſtibuli, ad portam interiorem, cubiti fuerunt* quinquaginta. Hoc eſt, ab exteriore facie muri ambientis per portam ambas porticus & totum ambitum, vſque ad portam interiorem, quæ ducit in primum Atrium, ſpatium ſive linea fuit *quinquaginta cubitorum*. Huius autem ſpatij dimidia pars, tota fuit ſubdialis (ἐναίθριος), vt quæ vltra porticum interiorem vſque ad primi Atrij portam currebat: reliquum dimidium, quæ portam continebat, tecta fuit, excepta porticu priore, quam θυρωρεῖον græcè, vel πυλώριον ſive πρόσωον appellari diximus. Hæc autem pars præcisè quoque dimidium, hoc eſt, cubitos viginti quinque continebat: cuius Menſuræ in cap. 40. aliquoties fit mentio, vt v. 21. 25. 29. 33. 36. Nam cùm eadem planè ſtructura, eadem menſura, & forma omnium portarum, omnium atriorum eſſet, ubique portas deſcribendo, eaſdem vbiſque refert menſuras, longitudinem videlicet ſingularum portarum fuiſſe *quinquaginta* cubitorum, latitudinem *viginti quinque*.

Demonſtratio longitudinis portæ.

De *longitudine*, quam ſecundum Thalamorum ſeriem & ipſam quoque muri longitudinem, computandam ſcimus, iam ſupra dictum eſt, illam fuiſſe ſexaginta cubitorum, vel dempto limine portæ ſeu θυρωρείῳ (quod illi æquabatur decem cubitorum ſpacio) cubitorum quinquaginta. Atq; huius numeri, in dictis deſcriptionibus portarum fit mentio.

Demonſtratio latitudinis.

Latitudinem portarum, viginti quinque cubitorum ita colligimus. Muri craſſities eſt calami vnius, hoc eſt, cubitorũ ſex: θυρωρεῖον ſeu πυλώριον, ſeu prior porticus, etiam calami vnius (ſecundum quantitatem Thalami) cubitorum totidem: interior porticus octo cubitorum, frontiſpicia eiuſdem, quatuor cubitorum: ſuggrundia denique (quæ & hîc uult intellecta) cubiti vnius. Qui omnes cubiti in ſummam collecti, faciunt cubitos *viginti quinque*, ſpacium à fronte ambientis muri, vſque ad terminum interioris porticus.

His ita demonſtratis, iam omnem menſuram Portæ, ſive introitus; Thalamorum, item & porticum cognitam habemus, & dum vnam cõtemplamur portam, contemplamur omnes: Nam ad formam & menſuram vnam eandemque omnes fabrefactæ atque extructæ ſunt. *Ex quibus* liquet in verſu 30. cap. 40. eſſe mendum librariorum: ita enim habet: Et veſtibulum per Gyrum, longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine *quinque* cubitorum: cùm ita habere debebat: Ita veſtibulum circum circa longitudine quinquaginta cubitorum, latitudine *viginti quinque* cubitorum. Hoc enunciatum ita demonſtro: Cùm in ſuperioribus verſibus 21. 25. 29. particulariter poſuiſſet, iſtius portæ longitudinem fuiſſe quinquaginta cubitorum, latitudinem, viginti quinque cubitorum: Alterius totidem: Tertiæ totidem: iam in v. 30. inductionis concluſionem ponit: Et ſic *omnium atque ſingularum portarum* longitudo fuit *quinquaginta* cubitorum, latitudo *viginti quinque*. Vnde facilè apparet, non poſſe in concluſione alios eſſe numeros, quàm fuerint in ſingulis inductionis membris. Sed facilis fuit librarij lapſus in ſcribendo *quinq;* pro *quinquaginta*, permutatis inſuper longitudinis & latitudinis appellationibus. Iidem porrò numeri recurrunt, in verſibus 33. & 36. quæ omnia ſententiam amplius & indubitatò concludunt.

Ad *ornamenta* porrò quod attinet, veſtibula & Thalami portarum vbique ſuis feneſtris ab intus verſus Domum patula, atque clariſſimo & inoffenſo lumini vndique liberè illabenti patefacta conſpiciuntur, v. 16. Portò de

voce

Digitized by Google

voce אֶטְמוֹרִין dictum eſt ſupra, in deſcriptione Templi Hieroſolymitani, quod feneſtras ſignificet, vel ab intus, vel ab extra anguſtiores, quibus omnia facilè illuſtrari poſſint. Ornamenta *antepagmentorum, feneſtrarum & frontiſpiciorum,* fuerunt Palmæ, qvibus omnia vndique examinata decorataq; viſuntur. *Hactenus deſcriptio exterioris portæ, cui reliquæ omnes ſunt ſimiles.*

II. ATRIA.

Hactenus primam partem huius deſcriptionis abſolvimus, contemplationem videlicet portarum, cuius Orientalem vidimus in extremo ambitu, ad cuius formam & menſuras reliquæ omnes ſunt fabrefactæ. Superſunt duo membra, deſcriptio videlicet *Atriorum*, & ipſius *Templi*. Iam *Atria* ingredimur. Sunt autem, antequam ad Templum perveniri poſſit, tria Atria. *Primum* ſeu Infimum. *Medium*, & *ſupremum*, quod ante ipſam Domum..

Primum ſive infimum & extremum Atrium deſcribitur cap. 40. à v. 17. vſque ad 28.

Medium, Eodem cap. deſcribitur, à v. 28. vſque ad 44.

Tertium ſeu intimum, ſive ſupremum Atrium, quod ante ipſum Templum, deſcribitur cap. 40. à v. 44. ad 48. *Ordine ſingula videamus.*

I. ATRIVM.

Primum ſeu *infimum Atrium* (vt modò dictum eſt) deſcribitur cap. 40. à v. 17. ad 28. Quod in Templo Salomonis, Atrium populi, ſive maximum appellatum fuit, vt novimus. Et primùm ex ambitu, qui depreſſior erat, ad hoc Atrium extimum, vbique ad portas per *ſeptem gradus* abſcondebatur, qui gradus & ipſi ſua veſtibula, & palmarum ornamenta, ante portas habebant, cap. 40. v. 26. *Atrium infimum.*

Portarum numero *tres* ſunt, *Orientalis, Aquilonaris, Meridionalis.* verſib. 19. 23. 24. Omnes eius formæ, & quantitatis, qualem in exteriore ambitu vnam deſcriptam vidimus. *Magnitudo, ſive latitudo Atrij*, circa medianum Atrium, eſt cubitorum centum: nam à ſingulis dictis portis Atrij, ad ſingulas oppoſitas portas intermediani Atrij, menſus eſt cubitos centum, hoc eſt, pedes noſtros legales centum ſeptuaginta quinque verſib. 19. 23. 27. *Portarum numerus.* *Latitudo Atrii.*

Tertiò totum hoc Atrium, pavimento ſtratum eſt, ſecundum longitudinem portarum ex vtraque parte, propter commodiores purgationes in declive nonnihil depreſſum v. 17. & 18. *Eiuſdem Pavimentum.*

Quartò: triginta in hoc Atrio cellulæ ſunt, in vſus eorum, qui vel ſecundum legem purificantur, vel in alijs præſtandis cultibus, in Templo verſantur. v. 17. Hoc externum ſeu infimum eſt Atrium, ideò ſic dictum, quia ad radices montis primùm, & in declivi occurrit. *Cellulæ.*

II. ATRIVM.

Secundum ſive *intermedium* Atrium, à v. 25. ad 44. deſcribitur. Vbi denuò primùm, ex infimo Atrio ad portas huius Atrij, *gradus* conſpiciuntur, non autem vt ex ambitu in Atrium primum, *ſeptem* tantùm, ſed *octo* gradus ad ſingulas portas. v. 31. 34. & 37. qui itidem ſua veſtibula, palmis exornata habent, *dictis verſibus.* *Atrium medianum.*

Portarum rurſus ſunt *tres*, tribus illis, infimi Atrij, ὀρθογράμμως, hoc eſt, ſecundum lineas rectas oppoſitæ, hoc eſt ita diſpoſitæ, vt Orientalis Orientali, Aquilonaris Aquilpnari, & Meridiana Meridianæ, è regione, directè reſpondeat: Eâdem & illæ, ſpecie, & formâ, qualem in extremo ambitu, Orientalem deſcriptam vidimus. Introductus autem fuit per portam Meridianam v. 28. Inde deductus ad Orientalem v. 32. Hinc ad Aquilonarem v. 35. *Portæ.*

Latitudo

Digitized by Google

Latitudo Atrii mediani.

Latitudo huius *Atrij* eadem eſt, quæ infimi. Omnes enim menſuræ huius, reſpondent menſuris Atrij exterioris v.28.32.35. Sicut igitur ſtructura Portarum, ita quoque ipſius Atrij menſura, prioris menſuræ correſpondet.

Cellulæ.

Præterea Cellulæ quoq; in hoc atrio ſunt, ad ſingula limina portarum, hoc eſt, ſingulis portis, cellularum iſtarum oſtia obvertebantur, verſ. 38. Et vſus harum cellularum, in fine eiuſdem verſus deſcribitur: inſerviunt enim, purgandis & abluendis holocauſtis.

Menſa.

Inſuper in hoc eodem Atrio, aliquot menſæ conſpiciuntur. Octo ad ſingulas portas: Quatuor extra, & quatuor intra: & ita quidem, vt quatuor ad dextram ingreſſus, & ad ſiniſtram quatuor, locatæ ſint. Quarum menſarum vſus eſt, vt ſacrificia in illis mactentur. verſibus 39.40.41.

Sed & præter has menſas, aliæ quatuor, totæ lapideæ, ex lapide cæſo fabrefactæ, per Atrium diſpoſitæ ſunt, quæ deſcribuntur v.42.

Lapides Focarii.

Poſtremò, circum circa in hoc Atrio *lapides Focarij* diſpoſiti ſunt, bini & bini, ad continendum ignem medium, quo ad coquendum carnes ſacras eſt opus, & ad ſuſtinendum, Ollas, Lebetes, & Cacabos, quibus ſacræ carnes coquantur. Notanda autem hoc loco eſt, in textu Hebræo, vox שְׁפַתַּיִם: quę duabus tantùm vicibus, in ſcripturis ſacris occurrit. Semel hoc loco, Ezech. 40.43. Altera vice Pſalm. 68. 14. vbi ſic legimus: *Etiamſi iacueritis inter* שְׁפַתַּיִם hoc eſt, inter lapides focarios, *tamen eritis ſicut alæ columbarum, tectæ argento, & auro fulvo puriſſimo.* Qui locus (cæteroquin non parùm obſcurus) ex hoc Prophetico textu pulcerrimè elucidatur. Vtitur enim ibi loci Propheta ſimilitudine, à lixis & calonibus deſumpta, qui caſtra ſequuntur. Illi vt frigora & cœli iniurias, quoquo modo pellant, ſeque defendant, noctu ſeſe inter lapides focarios, vbi ignes foveri ſolent, abſcondunt, vbi pulvere, cineribus, fumo, & multiplici fuligine commaculantur. Huc reſpiciens Pſaltes, Metaphoricis verbis, multiplices Eccleſię cruces, & afflictiones, & ſimul quoque victorias eiuſdem, in omnibus adverſitatibus deſcribit. Etiamſi, in quiens, perpetuò vobis belligerandum, & excubandum eſt: Quamquam etiam cum lixis & calonibus, inter lapides focarios, cum fumo vobis, & fuligine omnis generis calamitatum decertandum eſt, non quicquam tamen nigredinis inde vel atroris eſtis contracturi, ſed tanta veſtra, in medijs afflictionum caminis, puritas, elegantia, & pulcritudo futura eſt, vt cum nitore columbarum, quibus in puriſſima alarum albedine, aureus commixtus fulgor pulcerrimè emicat, decertare poſſitis: hoc eſt omnes afflictiones, non tantùm fortiter ſuperare poteritis, ſed magnum inde nomen & ſummas etiam comparabitis laudes. Hic eſt ſenſus loci illius in Pſalmo, quem occaſione vocis שְׁפַתַּיִם (quæ hic & ibi, duabus ſolis vicibus occurrit) volui interpretari. Sed hoc obiter, & παρενθετικῶς.

Explicatur locus Pſalm.68.14.

Oblationes & ſacrificia.

Ad textum redimus, & reliquam contemplationem huius Atrij mediani, in quo vnicum adhuc reſtat: Munera videlicet & oblationes, quæ in diſpoſitis menſis, quas vidimus, diſponuntur. Hæc munera & oblationes, in textu Hebraico vocantur קָרְבָּן, quæ vox in libro Leviticorum maximè frequens eſt, & ſignificat *munus* vel *ſacrificium Deo oblatum*, videantur exempla in Levitico. Et deducta eſt vox à radice קָרַב verbo Piel, quod ſignificat *appropinquare*, vel, *fecit appropinquare*, hoc eſt, obtulit Deo in ſacrificium. Eadem voce Chriſtus vſus eſt, Marc. 7.11. quando Sacerdotibus Hieroſolymitanis avaritiam exprobrat, quâ tantâ hiabant, vt liberos ad offerendum ſacrificia invitarent, quibus potiùs parentibus, penuriâ & egeſtate pereuntibus, ſuccurrendum erat. Sic inquiens: *Moſes dixit:* Honora patrem *tuum & matrem tuam, vos autem dicitis, ſi quis dixerit Patri aut Matri ſuæ Corban (hoc eſt donum) quodcunque ex me, tibi proderit: Et vltrà non permittitis eum, quicquam facere Patri ſuo aut Matri.* De quo loco etiam ſupra dictum eſt. Hinc altera quoq; vox deſcendit κορβανᾶ ſigni

Levit. cap.1.v.2.3. 10.14. & 2.v. 1. 2. c.12. & 3. v. 12. & 4.v. 22. 28. 32. & alibi ſæpius.
Locus Marc.7.11. CORBAN.

Græc. κορβᾶν.

Digitized by Google

ſignificans locum ipſum donariorum Matth. 27. 6. Non licet (triginta Argenteos Iudæ) mittere in κορβανᾶν, hoc eſt, in ciſtam ſeu Gazophylacium donorum. **In den Gottesfaſten.** Hæc ſpectanda fuerunt in Atrio mediano.

III. ATRIUM.

Tertium ſive *intimum Atrium*, proximum ante ipſam ædem ſacram, deſcribitur à verſu 44. ad 48. In huius Atrij deſcriptione tantò brevior eſt Propheta noſter, quantò plura iam in ſuperioribus, de reliquis Atrijs nobis cognita ſunt: quibus ea, quæ in hoc tertio Atrio conſpiciuntur, conformia ſunt, vt quæ de portis, de Thalamis, de porticibus dicta ſunt. Illa, quia jam dudum nota ſunt nobis, non repetuntur. *Atrium intimum. 1. Deſcriptio Atrii.*

Nec tamen illa breviloquentia obſcuritate caret. Nam *prima* ſtatim *vox* verſus 44. non exigua luce indiget: qui ita habet in Hebr. *Et ab extra, ad portam interiorem, cubicula Cantorum, in atrio interiore.* Sed quid quæſo illud eſt, quod iſthæc cubicula dicuntur eſſe ab extra ad portam interiorem? Si ab extra? cur portæ interioris opus eſt mentione? Si ab intra ſunt iſthæc cubicula? quid opus eſt mentione locorum exteriorum? *Sic igitur habendum*, quàm primùm quis à porta exteriore (quæ hoc loco eſt Atrij mediani) in intimum Atrium fuit ingreſſus, confeſtim in interiore illo Atrio, ex vtroque latere hæc conclavia diſpoſita habet. Hæc eſt vis illius Phraſeos: *ab extra, ad portam interiorem.*

Secundò, vſus quoque horum conclavium exponitur, eſſe videlicet conclavia Cantorum, **da iſt die Capell.** Diſtinguitur autem inter conclavia. Alterum eſſe ex latere Aquilonari, alterum ex latere Meridiei. Et, Domini ſignificatione, eruditur vates, illud, quod Meridiem ſpectat, Sacerdotibus inſervire, qui adminiſtrant Domum. Alterum verò, quod Aquilonem ſpectat, inſervire Sacerdotibus adminiſtrantibus ad Altare, qui, vt rectiùs dignoſcerentur, deſcribuntur ab avito nomine Zadoc, & ſtirpe Levitica cap. 40. v. 44. 45. & 46. *2. Vſus conclavium. Cantores.*

Vbi loci notanter obſervatur diſcrimen, inter Levitas, & reliquos Sacerdotes, poſteros Aaronis. Scimus enim, ſolum Aaronem, cum poſteritate ſua, ad ſacrificia, & obſervandum cultum Altaris, delectum & confirmatum eſſe. Num. 3. 10. *Aaronem & filios eius conſtitues ſuper cultum Sacerdotij. Externus qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.* Levitæ autem, Dativi fuerunt adminiſtri Sacerdotum, in expediundis omnibus, quæ ad miniſterium & cuſtodiam Domus pertinebant: Num. 3. 9. *Et dabis Levitas Aaroni & filijs eius, atque hi, omninò dati & donati ſint illis, è filijs Iſraëlis.* Quam ob cauſam, hoc loco Ezechielis, etiam *ipſi Levitæ* appellantur quoq; Sacerdotes v. 45. Cubiculum, quod ſpectat verſus Meridiem, eſt *Sacerdotum, obſervantium cuſtodiam Domus.* Hi autem fuerunt Levitæ. Quorum officij ratio *Triplex* fuit. *Primùm* enim curare debuerunt, vt Atria, Exedræ, Templum, res omnes ſanctas, puræ & emundatæ conſervarentur, panes item propoſitionis & placentas, & quæ ſartagine aut cacabis coquerentur, curarent, liquidorum etiam & aridorum, certas obſervarent menſuras. 1. Chron. 23. v. 28. & 29. *Diſcrimen Levitarum & Sacerdotum. Num. 3. 10. NB. Levitæ etiam vocantur Sacerdotes. Officia Levitarum. 1. Curare Domus mundiciem & Sacrificiorum leges.*

Secundum Levitarum *officium* fuit, vt quotidianis Canticis & Hymnis Deum concelebrarent. 1. Chron. 23. 30. Eorumque omnium, qui Muſicis Prophetijs (Prophetæ enim appellantur) præfecti erant, munera & functiones deſcribuntur 1. Chron. 25. *Tertium munus* erat, ianitorum, quorum officia exponuntur. 1. Chronic. 26. Hi omnes in hac viſione Prophetica, appellantur Sacerdotes. Alterum cubiculum inſervire debet *Sacerdotibus, miniſtrantibus ad Altare Domini.* Illos deſcribit 1. A maioribus, Tzadoc & Levi. 2. Deinde ab officio, quòd miniſtrent Domino ad Altare verſ. 46. Hæc de cubiculis Cantorum & Sacerdotum. *2. Canticis celebrare Dominum. Muſici, Prophetæ, 1. Chron. 25. 1. 3. Ianitores agere.*

Tertiò

Digitized by Google

3. *Atrii quantitas.* *Tertiò* in deſcriptione huius Atrij, ſicut in ſuperioribus quoque obſervaverat, eiuſdem etiam *quantitatem* definit: menſum videlicet eſſe Architectum, Atrium hoc, & deprehenſum eſſe, quantitatem eius tàm in longitudinem, quàm latitudinem, fuiſſe *centum cubitorum*, hoc eſt, eſſe *totum quadratum*, centum cubitos longum, centum cubitos latum. v. 47.

N.B. Atrium Tertium, Quadratum

4. *Altare holocauſti.* In medio huius Atrij, ad formam Salomonici Templi, ante ipſam Domum Domini, eſt *Altare holocauſti*, eodem verſ. 47. Sicut eandem planè diſpoſitionem vidimus in Templo Hieroſolymitano. Tum verò ante veſtibulum Templi, in hoc Atrio, duæ quoque columnæ fuerunt, quales etiam ſimiles vidimus, in Templo Hieroſolymitano. *Tantùm etiam de* ſecundo membro *huius deſcriptionis, ſequitur tertium de ipſo Templo.*

III. TEMPLUM.

Accedimus, benigno Numinis ductu, ad *Templum ipſum*, quod poſt tertium Atrium, in montis vertice conſpicua celſitudine eminet. Illius *deſcriptionem*, quia cum Templo Hieroſolymitano plurima concordant, breviter, Deo dante, abſolvere poterimus. Comprehenditur autem hæc deſcriptio à verſ. 48. capitis 40. vſque ad verſ. 15. capitis 42.

Tribuemus autem *totam deſcriptionem* in tria membra. *Primum* continebit Fabricam ipſius Templi, ſive ædis ſacræ, vna cum appendicibus ſuis à v. 48. cap. 40. vſque ad verſ. 12. cap. 41.

Secundum membrum Aulam nobis delineabit, quæ poſt Templum, vſq; ad extremum murum reſidua eſt, à verſu 12. cap. 41. vſque ad eiuſdem capitis finem, vbi tamen poſtremis verſibus, tàm ornamenta, quàm ſupellectilia ipſius Domus deſcribuntur, quæ illuc quoque ſunt referenda.

Tertium membrum conclavia nobis demonſtrabit, quæ in exteriore Atrio, vtrinque ad latus Templi extructa ſunt, verſus ſeptentrionem alia, alia verſus meridiem, ſacris Sacerdotum convivijs, & veſtibus itidem ſacris adſervandis deputata. Ab initio capitis 42. vſque ad verſum 15. eiuſdem.

I. TEMPLUM.

TEMPLUM. Ad *primum* membrum, ipſam nimirùm *Domum* ſive *Templum Domini*, quod attinet, ſcimus, Templum Salomonis in tres partes diſtinctum fuiſſe: In *veſtibulum* videlicet; *Templum* ſeu *Domum mediam*, & *Sanctum Sanctorum*. Hebraicè אוּלָם : הֵיכָל & דְּבִיר. Hæ tres ipſæ partes, monſtratæ quoque ſunt noſtro Ezechieli.

1. *Veſtibulum.* *Primùm* enim menſus eſt demonſtrator *veſtibulum*, & notavit *longitudinem* veſtibuli viginti cubitos, latitudinem vero, cubitos vndecim. cap. 40. v. 49. Scimus autem ex deſcriptione Templi Salomonis, hanc *longitudinem veſtibuli*, ſecundum *Domus latitudinem* intelligendam eſſe: *latitudinem* vero eiuſdem veſtibuli, ipſius *Domus longitudini* acceſſiſſe. Id quod partim ex fabrica Templi Hieroſolymitani manifeſtum eſt, partim ex ſubſequente Ezechielis noſtri collecta συμμετρία adhuc manifeſtius evadet. *Porta veſtibuli* biforis ſive δίθυρος

Porta veſtibuli.

eſt, & ſingularum apertura ſive lumen triū cubitorum: cum antepagmentis autem & poſtibus, ſubliminare eſt *quinque cubitorum hinc, quinq; cubitorum inde*. cap. 46. v. 48. De altitudine ſeu veſtibuli ſeu Templi, nihil habet Propheta noſter. Vnde præſupponendum puto, eaſdem & hic & in Templo Salomonis menſuras intelligendas.

2. *Palatium Templi ſive Sanctum.* *Secunda Templi pars*, הֵיכָל hoc eſt Palatium, quicquid nimirùm inter veſtibulum, & inter Sanctum Sanctorum intermedium eſt, quæ pars ſola interdum *Templum*, interdum *Domus* appellatur. Huius partis magnitudo, in Templo

noſtro viſionis, præciſè reſpondet magnitudini הֵיכָל ſive Palatij in Templo Salomonis. Vtrobique enim eſt longitudine, quadraginta; latitudine viginti cubitorum, cap. 41. v. 2.

Porta huius *mediæ partis*, quæ ex veſtibulo in ipſam Domum deducit, eſt *decem cubitorum*, ſi lumen vel aperturam intelligas: ſin antepagmenta quoq; & poſtes comprehẽdas, frõtes, hinc & inde ſex cubitorũ erunt, hoc eſt, cubitorũ duodecim. (Nam & hæc porta δίθυρος eſt) latitudinis nimirùm tantæ, quantæ debuit eſſe Tabernaculũ, v. 1. & 2. Porta igitur huius Templi, totam latitudinem æquavit Tabernaculi. Ex hiſtoria namque Exodi patet, tabernaculum habere debuiſſe in latitudine octo aſſeres. Exod. 26. v. 22. 23. & 25. qui ſinguli fuerunt *ſesquicubitales*, Ibidem verſ. 16. Et ſic octo aſſeres, æquarunt *cubitos duodecim*: eandem ipſam menſuram, quam habet porta Templi viſionis. *Porta Palatii.*

Tertia Templi pars eſt דְּבִיר ſeu Sanctum Sanctorum, quæ ipſa quoque pars in hoc viſionis Templo præciſè reſpondet, eidem parti Templi Salomonis. Nam & hic & ibi, menſura eſt tàm latitudinis, quàm longitudinis viginti cubitorum: cap. 41. v. 4. *Porrò* interſtitium, ſive interiectum parietem, qui Sanctum Sanctorum à Sancto diſcernebat, dicit fuiſſe duorum cubitorum: *Portam* autem ſex cubitorum, *latitudinem autem Portæ* ſeptem cubitorum, cap. 41. 3. Hoc eſt, vtramque januam trium cubitorum ratione luminis; ſed addito antepagmento, totam latitudinem, ſeptem cubitorum. *Poſtremò* additur menſura parietis ſive muri, qui circum circa Domui ſurgebat, ea fuit ſex cubitorum v. 5. *Hæc fuit menſura Templi, veſtibuli videlicet Sancti, & Sancti Sanctorum, cum circumiecto pariete.* *3. Sanctum Sanctorum.*

Sed & hoc Templum ſuos quoque *ambitus* habuit, ſicut Templum Salomonis, triplici conclavium, ſive thalamorum ordine in altum excitatos, circum circa Domũ, hoc eſt, verſus *meridiem, occaſum, & ſeptentrionem*. Nam ortum verſus, vbi Altare holocauſti, & Atria fuerunt, libera fuit veſtibuli frons, & totius Templi ſtructura. Hi ambitus צְלָעוֹת, hoc eſt, latera appellantur, quia extra Templum lateribus Domus adhæreſcebant. **Es iſt dieſer Dreyfach Vmbgang / zu dreyen Seitten des Tempels erbawet.** Sicut autem in Salomonis, ita quoque in viſionis huius Templo, ambitus circumiectus, non vnam omnium contignationum habuit latitudinem, anguſtiſſima enim fuit *infima*, quatuor videlicet cubitorum, v. 5. *media*, cubitorum quinque. *Suprema* autem contignatio, latitudinem habuit cubitorum ſex, hoc eſt, calami vnius, v. 9. & 10. Ita ſingulæ contignationes ſuperiores proximè inferiorem vno latitudinis cubito ſuperant. Suntq; in ſingulis contignationibus thalami, ſive conclavia triginta, verſ. 8. *Cauſam autem* diverſæ iſtius latitudinis, ex Fabrica Templi Salomonis cognitam habemus. Nam murus Templi ſingularum contignationũ altitudine vno cubito ab extra retractus fuit, craſſitie diminutâ. Qua ratione circumcirca gradum quaſi faciens, non tantùm trabeationes ambitus commodè ſuſtinere potuit, ſed eiuſdem quoq; latitudinem, ſecundum ſingulas contignationes, ſingulis cubitis adauxit. Sic infima contignatio, quatuor cubitorum; Media, quinque; tertia ſex cubitorum latitudinem nacta eſt. Qua de re plura in Fabrica Salomonis ſupra. Exterior porrò murus, qui circumcirca ambitum claudebat, & aream puram ſpectabat, fuit cubitorum quinque, v. 9. Hanc omnem ſtructuram circumibat Area pura quinque cubitorum, vnde aditus patebat in aſcenſus contignationum, *altera* ianua verſus meridiem, *altera* verſus ſeptentrionem ſpectante, cap. 41. v. 11. *Ambitus Templi.* *Contignationum diverſa latitudo.* *Cauſa diverſitatis.*

Hæc Area in verſ. 9. & 11. מֻנָּח, hoc eſt, derelicta, ſive deſerta, hoc eſt, pura & vacua appellatur: & extra hunc locum nullibi vox iſthæc reperitur. *Area pura.*

Tandem præter hanc Aream puram, quæ januas aſcenſus in contignationis ambitus præbebat, alia inſuper Area, vſque ad Atrij murum excurrebat, cui *extrinſecus* (quod ſuo loco videbimus) thalami adhærebant, Sacerdo- *Area Sacerdotum.*

D tum

tum vſibus conſecrati. Hæc Area, latitudinem habuit viginti cubitorum, cap. 41. v. 10. & 42. v. 3. Hactenus Templum.

II. AVLA POSTICA.

AVLA POSTICA.

Secundo loco, deducit nos Propheta in poſteriorem Templi Aulam, quæ à Templo verſus Mare, hoc eſt, verſus occidentem reſtabat. Hæc Aula deſcribitur, cap. 41. v. 12. 15, Cuius hæc fuit *forma:* in ſpatio illo, quod à Templo ad poſteriorem vſque totius ſtructuræ murum reliquum fuit, ædificium conſpiciebatur, cuius latitudo, *ſeptuaginta* cubitorum; longitudo cubitorum *Nonaginta: Murus* autem iſtius ædificij, circumcirca quinque cubitorum fuit, in quo ædificio, ex vtroque latere conclavia, & thalami conſpiciebantur, quæ אַתִּיקִים appellantur, v. 15. & 16. In verſu autem 15. vitioſè ſcriptum eſt per Vav, & א in fine abundat. Quater duntaxat legitur hæc vox, & tantum in his duobus capitibus Ezechielis, cap. 41. v. 15. & 16. & cap. 42. v. 3. bis. In medio illius ædifi[illegible] *palatium* fuit, ſive *Aula media*, in cuius conſpectu frontiſpicia cubiculorum, circumcirca pulcerrimè exornata fuerunt, cap. 41. 15. Qua occaſione ornamenta deſcribuntur, tàm ipſius Templi, quàm iſtius ædificij Aulæ poſticæ, à verſ. 16. vſque ad 21. Omnia nimirum obtecta, ſive contabulata fuiſſe ligno, omnia etiã fuiſſe exornata *picturis Cherubinis & palmis*, ita quidẽ, vt inter ſingulas duas palmas ſinguli Cherubim fuerint, qui ſinguli duas facies habuerint, alteram hominis, alteram iuvenis Leonis, quarum altera, ad illam, altera ad hanc palmam reſpexerit. *Dictis verſibus.*

Poſtremò quædam adhuc de Portis Templi, & Sancti Sanctorum adduntur, tum, quæ ad formam & menſuram illarum, tum, quæ ad ornamenta earundem portarum pertinent cap. 41. à v. 21, vſque ad capitis finem. Ad formam portarum quod attinet, tàm Templo הֵיכָל, quam Sancto Sanctorum binæ fuerunt ianuæ, & illarum ſingulis binæ valvulæ verſatiles verſ. 23. & 24. Omnia exornata imaginibus Cherubinis, & palmis.

Ad magnitudinem portarum quod attinet, dicit verſus 21. cap. 41. Limen Templi fuiſſe *poſtis quadrati*. Quæ phraſis, ſicuti in templo quoque Salomonis expoſitum eſt, non ad formam, ſive figuram, ſed ad menſuram, ſive quantitatem portæ referenda eſt: & hunc habet ſenſum, *portam, ſeu ianuam Templi, fuiſſe quartam partem totius latitudinis.* Fuit autem latitudo Templi, vt ſcimus, viginti cubitorum. Porta igitur vna cubitorum quinque: Ambæ, cubitorum decem, ſicut expreſſis verbis habet cap. 41. v. 2. Videantur ea, quæ ſupra diximus de Templo Salomonis, quibus hæc correſpondent: v. 21. Aſpectus huius, ſicut aſpectus illius. Quod non tantùm ad formam, ſed etiam ad quantitatem referendum. Quod autem cap. 41. v. 1. dicitur, limina Templi fuiſſe ſex cubitorum, id cum antepagmentis eſt compenſandum.

Templum cum appendicibus ſuis quadratum.

Ex quibus omnibus iam, & totius Templi cum appendicibus ſuis, & totius Aulæ poſticæ, menſura & quantitas pateſcit, à Propheta noſtro cap. 41. v. 15. & 16. collecta. Quorum omnium ſumma huc redit, quod, ſicut tertium Atrium, totum quadratum fuit, hoc eſt, centum cubitos longum, centum cubitos latum: ita Templum quoque, cum appendicibus & Aulis ſuis *totum quadratum* fuit, hoc eſt, centum cubitos longum, centum cubitos latum. Et ſimili

Aula poſtica quadrata.

planè ratione Aula poſtica, *tota quadrata.* Centum cubitos longa, centum lata. Adeoque tria quadrata ſpatia, continuo ſeſe conſequuntur. *Atrium tertium, Templum* cum appendicibus, *Aula poſtica.* Singulorum menſuras iucunda contemplatione colligere poſſumus.

I. De *tertio Atrio* ſupra dictum eſt, quod centum cubitos longum, centum cubitos latum fuerit.

II. De *Templo & Appendicibus* ipſius res ita patet:

Menſura Templi & appendicum ſecundum *latitudinem.*

Latitudo

Latitudo Templi eſt.	20	*cubitorũ.*
Craſſities muri 6. cubitorum, facit ex vturoque latere.	12	
Latitudo ambitus 4. cubit. facit ex vtroque latere.	8	
Paries ambitus 5. cub. facit ex vtroque latere.	10	
Area pura præbens ianuas 5. cub. facit.	10	
Reliqua Area vſque ad murum 20. cubit. facit vtrinque.	40	
Summa	100	*cubiti:*

Menſura Templi & appendicum ſecundum *longitudinem.*

Craſſities Muri primi, in fronte veſtibuli, ſeu porticus.	6	*cubitorũ.*
Latitudo porticus ſive veſtibuli.	11	
Craſſities muri הֵיכָל	6	
Longitudo הֵיכָל	40	
Murus interſtitij inter הֵיכָל & דְּבִיר .	2	
Sanctum Sanctorum.	20	
Murus extremus.	6	
Ambitus.	4	
Paries extremus.	5	
Summa	100	*cubiti.*

Hoc eſt *ſecundum ſpatium quadratum*, quod Templum cum Appendicibus ſuis occupat, ex toto æquale Atrio tertio, quod Atrium hoc Templi quadratum proximè ſequitur. Supereſt *tertium quadratum*, Aula nimirùm poſtica, cuius quadraturam ita demonſtramus, ex cap. 41. v. 12.

Ædificium Aulæ poſticæ, latum.	70	cubit.
Murus ædificij circũ circa 5. cubit. ergò ex vtroq; later.	10	
Area pura, ſicut antea vidimus circa Templum.	20	
Summa	100	cub.

Hæc eſt longitudo illius Aulæ, à Templo, vſque, ad extremum murum, verſus occidentem.

Menſura verò Aulæ, à Meridie in Septentrionem, expeditiùs patet:

AEdificium illud longum eſt.	90	*cub.*
Murus 5. cubitorum, ergo ex vtroque latere.	10	
Summa	100	*cub.*

Eſt igitur & Aula poſtica tota *quadrata:* adeoque, vt antea diximus, tria quadrata ſpacia, continuò ſibi iuncta ſunt. 1. *Atrium tertium.* 2. *Templum cum Appendicibus.* 3. *Aula poſtica.*

III. CONCLAVIA TEMPLO Collateralia.

Tertium *Membrum* ſupereſt, quod in Templi deſcriptione explicandum diximus, demonſtrans nobis *Conclavia Templo lateralia*, ſed in Atrio exteriore. Illa deſcriptio continetur cap. 42. à v. 1. vſque ad verſum 15. Eam bimembrem faciemus. *Primò* enim fabrica & ſitus iſtorum conclavium deſcribitur à verſ. 1. vſque ad 13. *Poſteà* eorundem vſus explicatur à verſ. 13. ad 15. *videamus vtrunque.*

Prmùm itaque conclavia iſthæc, in Atrio exteriore diſpoſita fuiſſe, hinc & hinc ex vtroque latere Templi, (interiectis tamen appendicibus & Aulis, quas in interiori Atrio, ſecus Templum, hinc & hinc conteplati fuimus) id ex textu apertè patet: dicit enim cap. 42. 1. Se, poſteaquam interiora ædificia omnia contemplatus fuiſſet, per Architectum demonſtratorem *eductum fuiſſe, in Atrium exterius*, via Aquilonari. Quod ipſum ex ſequentibus aliquoties conſtat, dum exteriora hæc ædificia, cùm interioribus, adeoq; cum ipſo Templo, ſitus ratione, conferuntur. *Hoc vnum eſt.* *1. Situs:*

Secundò fabrica & ſtructura iſtorum conclavium delineatur. Dicuntur autem ſecundum longitudinem diſpoſita fuiſſe, centum cubitis, ſecundum longitu- *2. Structura.*

longitudinem nimirùm ſpatij, quod Templum cum ſuis appendicibus interiùs occupavit. Latitudine autem ſua occuparunt cubitos quinquaginta. cap.42.2. Et hæc vt dilucidius intelligamus, in proximo ſequente verſ. 3. per ἐπεξήγησιν additur, diſpoſita fuiſſe hæc conclavia ſive thalamos, è regione viginti illorum cubitorum, Atrij interioris. Quibus verbis reſpicit Propheta ad Aream illam alteram vacuam, quam in interiori ſpatio, Templo & appendicibus eiuſdem, vndique circumiectam vidimus. E regione igitur iſtius Areæ jam in exteriore Atrio hæc conclavia fuerunt. Ex altera vero parte, Aream ſtratam habuerunt, partem videlicet reliquam Atrij exterioris verſ.3.

Interim de illo ſpatio quinquaginta cubitorum, Area decem cubitorum, ambulacro ceſſit, eâ parte, quâ Atrium interius reſpiciebat, ex quo ad cellas aditus patebat, viâ vnius cubiti. v.4.

3. Structuræ forma.

Tertiò, ad *formam iſtius ſtructuræ* quod attinet, cubicula cubiculis, ſive Exedræ Exedris imminebant, triplici ordine: ita quidem, vt ſupremi ordinis Exedræ, altitudine eſſent contractiore, ne videlicet, ſi in maiorem altitudinem extollerentur, libero proſpectui Templi impedimentum occurreret. Inde factum eſt, vt ſupremæ contignationis conclavia, ſuis columnis cæteras Exedrarum columnas non æquarent, eamque ipſam ob cauſam, *infimæ & mediæ contignationis Exedræ*, vt verſ.5. loquitur, *ædificia fuerunt*, hoc eſt, ad vſum & habitationem accommoda, ſuperioris autem ordinis Exedræ, ad hunc vſum aptæ non fuerunt. verſ.3.4.5.6.

4. Area quinquaginta cubitorum.

Quartò, ab hoc ædificio cellularum, uſque ad murum claudentem, fuerũt *quinquaginta* cubiti: Dudùm .n. didicimus, tàm mediani, quàm infimi Atrij latitudinem, centum cubitorum fuiſſe. Cum igitur cellularum ſtructura cum ambulacro quinquaginta cubitos occuparit, ſequitur ex centum cubitis, quinquaginta Atrij reſiduos fuiſſe, quod ſpatium à fronte cellularum, vſque ad exterius Atrium, intermiſſo in tranſverſum maceriæ ſepto, clauſum fuiſſe docet, verſ.7. Hoc eſt, à cellulis, per reliquam vacuitatem Atrij, vſque ad murũ, tranſverſum interiectum fuit ſepimentum. In Hebr. eſt גָּדֵר, quod ſignificat, murum, ſepem, maceriam, ex quavis materia.


Hæc eſt deſcriptio cellularum lateralium, quæ in mediano Atrio Templo è regione reſpondebant. Sed qualia ex parte Aquilonis iam deſcripta ſunt, eâdem planè formâ, eâdemque menſurâ, ex latere quoque Meridiei totidem conſpiciebantur. Nam eò deductus per demonſtratorem ſuum Ezechiel, eadem ibi deprehendit, quæ hîc viderat. cap.42. à verſ.9, ad verſ.13.

NB. Collateralia Templi ſpatia quadrata.

In his porro collateralibus Exedris, hoc diligenter denuò & ſtudioſè obſervandum eſt, vtramque illam partem mediani Atrij, vbi ex vtroque Templi latere cellulæ illæ collaterales diſpoſitæ erant, etiam fuiſſe *ſpatia quadrata*, Quod & ipſum cum admiratione notat Propheta noſter Ezechiel, dicens in verſ.8. dicti cap. *Et ecce ante faciem Templi centum cubiti.* Hoc eſt, ex vtroque latere Templi, ſpatia centum cubitorum: quod tàm de longitudine quàm de latitudine illarum partium dictum eſt. Nam longitudinem iſtius ædificij centum cubitorum fuiſſe, ſecundum longitudinem nimirum ipſius Templi, ex verſu 1. & ſecundo audivimus. Latitudo etiam totius ſpatij, tùm ex ſuperioribus menſuris, tum ex ipſa hac cellularum deſcriptione eſt manifeſta. Nam ipſa fabrica, cum ambulacro, habuit cubitos quinquaginta, reliqua Area, intermiſſa ſepe, concluſa totidem. Vnde totum ſpatium evincitur quadratum. Hinc conſequitur, rurſus *duo alia quadrata* ſecus Templum fuiſſe: Alterum habens cellulas *Aquilonares*: alterum *Meridionales*: Et ſic quinque iuſta quadrata copulata ſunt, crucis formam exhibentia, & medium obtinet *Templum*.

Admirare cum Propheta, ſpatia quadrata.

Ad vſum harum Cellularum quod attinet: deſcribitur ille cap. 42. v. 13. & 14 Qui *triplex* fuit. Primùm enim inſerviunt hæ cellulæ, rebus ſacris cuſtodiendis, hoc eſt, aſſervandis muneribus & ſacrificiis cibariis, quæ pro peccato & delictis offerebantur. *Secundus vſus* eſt, quòd in iiſdem cellulis, comedunt Sacerdotes res ſacras. Adeò vt in loco ſancto, ſancta habeantur convivia. *Tertius vſus.* Quòd in aliquibus illarum adſervantur, veſtes ſacræ, quas induere ibi debuerunt ſacerdotes, quando Domino appropinquare, & cultus ſacros perficere voluerunt, eaſdemque ibidem rurſus exuere, è loco ſacro, ad populum progreſſuri. *Vſus Cellularum.*



Poſtremo loco, primi Atrii, adeoque totius ſtructuræ magnitudo (excepto poſtremo ambitu) deſcribitur à verſ. 15. cap. 42. vſque ad eiuſdem finem. Poſteaquam enim demonſtrator Prophetæ noſtri, omnes menſuras Domus *interioris* abſolviſſet, deduxit illum, per portam Orientalem, vſque ad murum Atrii primi. Illum circum circa menſus, deprehendit latera fuiſſe quingentorum cubitorum. Vtrùm autem hoc loco, Ezechiel. 42. v. 16. 17. 18. 19. latera atrii infimi, quæ menſus eſt demonſtrator, quingentorum *calamorum*, an verò quingentorum *cubitorum* intelligenda ſint? Id verò definire, nonnullæ eſt difficultatis. Negari enim non poteſt, Hebræum Textum aliquam facere calamorum mentionem, ſed vtrùm illi de quantitate lateris accipiendi ſint, quòd ſit quingentorum *calamorum*, vel menſurandi aliquam aliam circumſtantiam explicent, id demonſtrare opus, is labor eſt. *Verum enim verò*, omnem difficultatem iſtam *Geometrica Symmetria* dilucidè explicare poteſt. *Conſtat* enim ex ſuperioribus, tertium atrium, *per centum cubitos, quadratum eſſe.* Ezech. 40. 47. *Deinde* amplius conſtat; mediani atrii latitudinem etiam *centum* cubitorum eſſe. Ibid. v. 27. Infimi denique atrii latitudinem cubitorum totidem. Ibid. v. 23. Ex quibus Geometrica ratione irrefutabiliter ſequitur, extremi atrii latus quingentorum *cubitorum*, nequaquam autem *calamorum* eſſe poſſe. Deſcribe enim quadratum *centum cubitorum*: Tale enim, ac tantum eſt Atrium tertium ſeu intimum. Huic circumſcribe aliud, cuius latera, à priore illo quadrato, *centum cubitos*, vndique diſtent, tanta enim eſt latitudo Atrii mediani, vtique latus huius ſecundi Quadrati, erit *cubitorum* trecentorum. Huic ſecundo, circumſcribe tertium quadratum, cuius latera, à ſecundo rurſum *centum cubitis* diſtent: tanta enim latitudo quoque eſt infimi atrii, manifeſtum evadit, huius tertii quadrati latus, quingentorum *cubitorum* eſſe, nequaquam autem quingentorum *calamorum*, quos Geometricæ rationes procul removent. *Sed hoc ipſum etiam* quingentos videlicet *cubitos*, non *calamos*, intelligendos eſſe ex ipſo noſtro Ezechiele manifeſtum eſſe poteſt. Nam cap. 45. v. 2. vbi eandem hanc ſanctuarii magnitudinem deſcribit, & in poſteriorj membro latitudinem extremi ambitus definit, expreſſam mentionem facit *cubitorum*. *Ex hoc ſpatio*, inquit, *erũt quinquaginta cubiti in ſuburbana*, ſeu *Ambitũ.* Vnde ex Regula interpretationis generali, quę ἀπὸ κοινοῦ tàm antecedentia, quàm conſequentia judicare docet, facilè intelligitur, vbique ibi, de cubitis, nõ de calamis, ſermonem eſſe. Adtextũ porrò Hebræũ Ezech. 42. v. 16. quod attinet, ita ſanè ibi legitur; *Et menſus eſt* חֲמֵשׁ־אֵמּוֹת קָנִים *quin-gent-cubitos calamus:* vbi puncta *vocalia* ſunt vocis מֵאוֹת hoc eſt, centum, ſed *literæ* ſunt vocis אַמּוֹת hoc eſt, cubitos: ita quidem, vt compoſita vox, punctorum vocalium ratione, *numerum*, literarum autem reſpectu, *menſuræ quantitatem*

Primi Atrii magnitudo.

N B. Quæſtio: vtrum la tu atrii infimi quingentorum ſit calamorum, ſeu quingentorum CVBITORVM!

Geometriæ vſus.

Regula interpretationis, ἀπὸ κοινοῦ.

Explicatio Textus Hebræi.

N B. Vox Hebræa compoſita eſt.

tem

tem declaret,adeoque verſ. illius 16.hic ſit ſenſus: *menſus eſt quingentos,cubitos, calamis,in calamis menſura*:hoc eſt. Menſus eſt longitudinē lateris,quingentos. Menſus autem eſt calamis, & iis ipſis calamis, cuiuſmodi calamo menſuratorem hunc ſupra cap. 40.v.3.inſtructum fuiſſe ſcripſi. Eadēm ratione ſequentes etiam verſus 17. 18. & 19. intelligendi ſunt. *Et menſus eſt contra ventum Aquilonis, quingentos* (ſcilicet cubitos) *calamis, in calamo menſura.* Et cæt. Denique & illud obſervandum, antiquum interpretem, licèt in præcedentibus quingentos calamos poſuiſſet, viceſimo tamen vltimo verſu cap. 42. in concluſione menſurationis, cubitos reponere, quod, quomodo concordet, ipſi committitur, deliberandum.

Antiqua translatio ſibi ipſi contraria.

Ex his denique, omnium poſtrema verba cap. 42. hæc, *ad diſtinguendum inter Sanctum & Prophanum*, etiam liquida & manifeſta ſunt. Non enim hoc duntaxat volunt, quòd hic murus diſtinxerit Templum cum Atriis ſuis, ab omnibus extraneis prophanis locis, ſed etiam ab ipſo extremo ambitu, qui & ipſe prophanus habebatur, vtpote in quem gentibus etiam confluere licebat. Qua de re copioſiùs dixi, in de ſcriptione Templi Hieroſolymitani.

Atque hæc de deſcriptione Templi Ezechielis.

II. CVLTVS.

Secundum vaticinii membrum.

Abſolvimus, per Dei gratiam, Fabricam ſive ſtructuram Templi Ezechielis. Iam conſequens eſt, vt de cultu quoq; dicamus, quod propoſiti Argumenti eſt ſecundum membrum. Diximus enim totum hoc vaticinium tribus membris abſolvi: Quorum primum, tribus capitibus comprehenſum, cap. videlicet 40. 41. & 42. hactenus examinavimus: Secundum eſt hoc præſens, cuius explicationem jam ingredimur, deſcriptum capitibus 43. & 44. Hinc reſtabit tertium, de diviſione terræ & conſtitutione πολιτίας, quatuor poſtremis capitibus deſcriptum, de quo Deo dante ſuo loco.

Summa & methodus.

Iam eiuſdem auxilio, conſiderabimus *cultum*, quem in deſcripto illo Templo obſervandum eſſe, Dominus ipſe concionatur. Is, vt dicere cepimus, hiſce duobus cap. 43. & 44. diligenter & ordine deſcribitur, hâc obſervatâ methodo.

Primùm, Domini ad Templum ſuum ad ventantis gloria, & Maieſtas deſcribitur, cap. 43. à verſ. 1. vſque ad verſ. 7.

Secundo loco, cultus, hoc eſt, promiſſiones divinæ, & officia explicantur à v. 7. cap. 43. vſq; ad finem cap. 44. Et hoc fit duobus modis. Primò *verbis*, verſibus videlicet 7. 8. 9. cap. 43. Et *Typis*, qui triplices proponuntur: *Primus* eſt Templum ipſum, hactenus ſuis dimenſionibus, & fabricis diligentiſſimè deſcriptum à verſu 10. vſq; ad 13. *Secudus* Typus eſt Altare holocauſti, quod deſcribitur à verſ. 13. vſque ad finem capitis 43. *Tertius* typus eſt Sacerdotum, quorum officia & miniſteria deſcribuntur cap: 44. Ordine ſingula videamus.

CAPVT XLIII.

I. Gloria & Maieſtas adventantis Domini.

In hoc & ſequente proximo XLIV. capite, deſcribitur cultus Dei, vt diximus. Primùm omnium autem deſcribitur, *gloria & maieſtas Dei* ad ventantis ad Templum ſuum. Supra enim cap. 9. v. 3. & cap. 10. 4. audivimus, quomodo Propheta noſter viderit Dominum *diſcedentem* à Templo ſuo, & derelinquentem ſceleratum populum Hebræum, jam in *fine vaticiniorum*, poſtquam deſcripſit Templum Propheticum, *Novi Teſtamenti Typum*, jam rurſus deſcribitur Adventus Dei ad Templum ſuum, ab initio cap. 43. vſque ad v. 7. Sunt autem huius deſcriptionis, iſthæc membra.

1. Vbi apparuerit gloria Domini.

Primò: vbi viderit adventare Domini gloriam, videlicet ad portam illam *Orientalem* extremi ambitus reductus, quæ adventantibus ad Templum prima occurrebat. Illam portam deſcriptam vidimus, ſup. cap. 40. 6.

Secundò

Digitized by Google

Secundò, gloria & Maieſtas ipſa deſcribitur, quæ nam, & qualis illa fuerit. *Primùm, enim,* inquit: *Ecce, gloria Dei Iſraëlis veniebat* בא *via orientali:* Et addit *ſecundò,* ſonũ adventantis Domini fuiſſe *ſimilem, ſono aquarũ multarũ.* Sicut ſupra 1. 24. Et circumcirca fuiſſe clariſſimum ſplendorem, ſicut ſupra 1. 27. Et hæc in verſ. 2. *Tertiò* addit, qualis illa gloria fuerit: Gloria nimirùm, prorſus ſimilis iſti gloriæ, quam viderat Propheta, Domini diſcedentis à Templo ſuo, quam circumſtantiam περιφραστικῶς effert Ezechiel, dicens: *hanc gloriam, ſimilem fuiſſe, illi, quam idem viderat, poſteaquam veniſſet, ex mandato Domini, annunciatum devaſtationem vrbis.* Iſtam autem viſionem deſcriptam habuimus ſupra cap. 10. *Quartò* ait, viſiones iſtas, hoc eſt, omnes partes viſionis fuiſſe ſimiles illi viſioni, quam viderat juxta fluvium Chobar. Quam præclaram, & gloriæ & majeſtatis plenam viſionem habuimus *capite primo* Ezechielis. *Qualis illa fuerit.*

Tertia circumſtantia huius viſionis eſt, quorſum conceſſerit hæc Domini gloria, ad ipſam videlicet Domum ſeu Templum, quod totum Domini gloria repletum eſt, v. 4. & 5. Ipſe verò Propheta, qui ad conſpectum tantæ gloriæ, humum ſtratus erat, per ſpiritum, in intimum Templi Atrium ſublatus eſt, vt quæ Dominus ipſi propoſiturus eſſet, perciperet, aſtante viro demonſtratore, v. 5. & 6. *Hactenus deſcriptio Maieſtatis,* *3. Quorſum conceſſerit.*

II. Cultus Templi.

v. 7. *Dicebat autem ad me)* Secundum membrum huius partis, *cultum Templi,* adeoque beneficia Domini explicat, quibus cultores ſuos ſit cumulaturus. à verſ. 7. huius capitis vſque ad finem cap. ſeq. Eam rem explicat Dominus duobus modis. 1. *Primùm* apertis verbis, verſ. 7. 8. 9. 2. *Dehinc* tribus *Typis, Templi, Altaris* Holocauſti & *Sacerdotii.* De quibus ſuo loco. *1. Explicatio plana.*

Ad priorem illam & planam explicationem, quod attinet, habet illa hæc tria: 1. *Promiſſionem* gratioſæ, & continuæ præſentiæ, v. 7. 9. habitabo inter eos in ſeculum. 2. *Promiſſionem* Remiſſionis peccatorom, quia, vt tres iſti verſus omnes loquuntur, peccatores in gratiam recepturus eſt. 3. *Repromiſſionem* ſive reſtipulationem. Loquitur enim Dominus de ſtudiis ſanctificationis, quam ſanctificati cultores ſint inchoaturi. Confuſi enim propter præcedentes admiſſas iniquitates, nunquam porrò, neque ſeipſos, neque ſanctum Dei Templum, aut terram ſanctam, in qua habitaturus eſt Dominus, repetitis peccatis, polluturi.

Ad verba textus quot attinet, primùm in verſu 7. hoc eſt notandum, *Locum ſolii & locum plantarum pedis,* ſignificare Hieroſolymas, ſive Templum Domini, & Novi Teſtam. Eccleſiam. Hanc enim in hac viſione deſcribi, jam dudum nobis conſtat.

Deinde, in verſu 8. Quod commutatis verbis dicitur, Reges Hebræorum non poſituros porrò *ſua limina, ad limina Domini, neq; poſtes ſuos ad poſtes Domini, neq; interiecturos parietem, &c.* hunc habet ſenſum, cultores iſtius Templi nunquam quicquam ex privato arbitratu, cultui divino admixturos, neque peccatis ſuis ſeceſſionem, aut diviſionem amplius à Domino facturos, ſed omnia ſua ſtudia, conatus omnes, divino beneplacito accommodaturos eſſe.

Quod tandem in verſu 7. & 9. dicitur, *pollui Templum Domini, & nomen ſanctitatis eius, in fornicationibus Regum, & in cadaveribus Regum ipſorum in excelſis:* Id primùm de ſpiritualibus fornicationibus, hoc eſt, de *Idololatriis* eſt intelligendum; per cadavera autem excelſorum, immaniſſima illa ſacra intelliguntur, quibus liberos ſuos Idolis vivos cremabant. Quod autem Diabolica illa ſacra dicuntur *cadavera Regum,* vel ideò factum eſt, quod Regum authoritate, & Exemplis reliqui peccarent, ſicuti de Manaſſe relatum eſt: vel quòd gentilium idola, Ammonitarum maximè, etiam ipſa *Reges* appellarentur. Inde *Molech,* Levit. 18. 21. & 20. v. 2. 5. 1. Reg. 11. 7. 2. Reg. 23. 11. Quod ipſum etiam *Milcom.* 1. Reg. 11. v. 5. 33. 2. Reg. 23. 14. Et *Malcham*, Amos 5. 26. *Hæc eſt explicatio cultus ſeu privilegiorum Templi Domini, verbis ſimplicibus facta.* *2. Paral. 33. 6.*

Digitized by Google

2. Explicatio Typica.

v. 10: *Tu autem fili hominis) Alterum* explicationis genus eſt Typicum, quo videlicet Dominus typis iſtius Templi, res ſacras & ſpiritualia beneficia Novi Teſtamen. interpretatur. Typorum autem, numero *tres* ſunt. *Templi* primus, *ſecundus* Altaris Holocauſti, *Tertius* Sacerdotii. De Templi typo agitur v. 10. vſque ad 13. De Altari à v. 13. vſq; ad finem capitis 43. De Sacerdotio tandem cap. ſequente 44.

Typus Templi

v. 10. Ad *Templum* quod attinet, audimus concionem & mandatum Domini, quo inſtruit Prophetam, vt *demonſtret Domui Iſraëlis Domum ſive Templum viſionis*, addito fine duplici, vt confundantur in iniquitatibus ſuis, & metiantur diſpoſitionem Domus. Quam ſententiam brevem & ſuccinctam, in verſu ſequente 11. per Exegeſin pluribus interpretatur. *Cùm*, inquit, *confuſi fuerint, ab omnibus operibus ſuis*, hoc eſt, cùm pœnitentiam egerint, ab omnibus admiſſis peccatis: tunc demonſtra illis formam & diſpoſitionem Domus, *demonſtra exitus & aditus, explica illis, omnes leges & ſtatuta Domus, & deſcribe ante oculos ipſorum, vt obſeruent omnem formam, omniaq; ſtatuta eius & faciant ea.* Quibus verbis iterum intelligimus, quæ ſumma & exquiſita diligentia, à Propheta noſtro poſtulata ſit, eaq; duplex, *vt videlicet* & ipſe omnem ſtructuram & diſpoſitionem Domus, probè intelligat. *Deinde* eandem omnem formam, diſpoſitionem, omnemque legem, omniaque ſtatuta Domus, pœnitentiam agentibus explicet, inculcet, ante oculos deſcribat, depingat, & modis omnibus notificet, atque imprimat. Quamobrem, neq; nos diligentiæ & ſtudii noſtri pigeat, quòd in contemplanda hac domo poſuimus, neq; porrò pigeat, quod eſt ponendum: quando videlicet eruendæ erunt, ſpirituales ſignificationes, huius Domus, quibus Dominus, beneficia & ſpiritualia ſua χαρίσματα nobis depingit. *De qua re, ſuo loco plura.*

Diligentia in huius Templi contemplatione ponenda.

Superna & cœleſtia meditanda.

verſ. 12. *Hac eſt lex ipſius Domus*) Mandavit Prophetæ, vt populo Legem & ſtatuta Domus explicet, eius rei in hoc verſu Dominus ipſe exemplum præbet, quòd videlicet terminus eius, in monte, & locus circa circum ſanctiſſimus. Elevanda nimirùm mens è cæno lutoq; huius mundi, & in verticem montis Domini emergendum. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Omnis etiam illa vicinia ſancta eſt, in colis. Igitur, in tota ſancta Domo, ſanctè eſt converſandum. *Mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immũditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, avaritiam, quæ eſt ſervitus ſimulacrorum.* Ille namque in Tabernaculo & in monte ſancto Domini eſt habitaturus, *qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, & linguâ ſuâ non detraxit.* Hæc Lex eſt Domus Domini.

Coloſſ. 3. 1.

Eſa. 6. v. 4.

Pſalm. 15. 1.

Typus Altaris.

v. 13. *Hæ ſunt menſuræ Altaris*) In typica concione, *ſecundum Membrum* eſt, de Altari Holocauſti, cuius primùm Fabrica deſcribitur, à verſ. 13. vſq; ad 18. Deinde eiuſdem vſus, à verſ. 18. ad finem.

Deſcriptio menſuræ.

verſ. 13. *Hæ ſunt menſuræ Altaris, iiſdem cubitis*) Sicut ab initio deſcriptionis Templi, primùm omnium menſuras definivit, cubitos nimirùm & calamos, cap 40. 5. Ita in dimenſione Altaris, primùm quoque menſuras determinat, quibus vſus ſit demonſtrator: Et dicit, vſum illum eſſe *iiſdem cubitis*, quibus videlicet in dimenſionibus Templi vſus fuerat. Diximus autem in verſ. 5. cap. 40. vſum fuiſſe Demonſtratorem cubitis regiis, quorum ſinguli vno טֶפַח, hoc eſt, palmo, ſive quatuor digitis, communi cubito maiores erant. Id quod præſente loco, per Exegeſin interpretando, ſubiicit, dicens: Hæ ſunt menſuræ Altaris, in iiſdem cubitis, *cubito cubito & palmo*, hoc eſt, vno quoque cubito & palmo. Videantur ea, quæ ad initium huius deſcriptionis de menſuris annotata ſunt.

DESCRI-

Digitized by Google

DESCRIPTIO ALTARIS.

Ad *Altare* ipſum quod attinet, Primùm Baſis vnius cubiti fuit, & cubiti *Baſis.*
vnius latitudo. Hæc autem Baſis in Hebræo vocatur חֵיק *Sinus*, quia ſuper baſin, tanquam in ſinu, reliquum Altaris corpus ſuperincumbit. Fuit autem hæc baſis vnius cubiti in altitudine, & vnius cubiti in latitudine. Quanquam enim Hebręus textus altitudinis non faciat mentionem, ſed ſimpliciter dicat, *& baſis cubitalis, & cubitalis latitudo*, non aliter tamen, quàm de altitudine poteſt aut debet intelligi. Sicut etiam Lutherus eleganter reddidit: **Sein Fus iſt einer Elen hoch.** Et additur: *Et terminus eius, verſus labrum eius, circumquaque Spithama vna*, hoc eſt, baſis illa, in exteriori ſuperficie, coronam habuit vnius Spithamæ. **Es iſt ein Krantz rings herumb gefloſſen / einer Spannen hoch.** Et mox concludit deſcriptionem Baſis, dicens: *Et hic Gibbus* גַּב *Altaris.* Quod enim ſinum antea appellavit, idem iam *Gibbum* ſeu *dorſum* vocat. Baſis enim, ceu dorſo incumbens, ſinu ſuo excipit, & fovet quaſi, quod ſuper ædificatum eſt, Altare. *Atrium inferius.*

v.14. *Et à baſi terræ, vſque ad Atrium inferius duo cubiti, & latitudo vnius cubiti: Et ab atrio minore vſq; ad atrium maius, quatuor cubiti, latitudo cubitalis*, verſ.15. *Sic ipſe Harel quatuor cubitorum. Et ab Ariel ſurſum, cornua quatuor, &c.* Ex quibus verbis hæc reliqua Altaris Fabrica colligitur. *Principiò* Baſin habuit, ſicut dictum eſt, circum circa. *Deinde* à Baſi, tanquam è ſinu ſuo, ſurgit Altare, in altitudinem duorum cubitorum, ibi retracto pariete circum circa, *Atrium inferius efficitur*: **Ein Platz oder Abſatz.** Ab hoc Atrio, ſive retractione inferiore, rurſum ſurgit Altare, in altitudinem quatuor cubitos. Quæ pars Altaris, *Harel*, ſive *Harel.*
Mons *Domini* dicta eſt. Suprema Altaris ſuperficies dicitur *Ariel*, hoc eſt, *Leo* *Ariel.*
Domini: quod ignis, inſtar Leonis, Holocauſta abſumat. Atque hic Ariel *duodecim* cubitos, in *quadrato* habet, & in quatuor ſuis Angulis quatuor erecta *Cornua.* Connumeratâ verò supremâ quoque retracturâ, ſive ſuperiore Atrio *Cornua.*
totum quadratum fit, *quatuordecim* cubitorum. *Inde ſequitur* inferius Atrium in longitudine habere, *cubitos ſedecim*, ipſam Baſin verò *octodecim*, Tota verò *Altitudo* Altaris, eſt ſeptem cubitorum. Nam Baſis vnum habet *cubitum*, inde vſque ad primam retractionem ſunt cubiti *duo*, inde ad ſummitatem *quatuor*, *Magnitudo Altaris.*
Summa ſeptem. Eſt autem cubitus regius, ſeu Propheticus (quod ſæpè iam dictum eſt) *Seſquipes &* טֶפַח, hoc eſt, ſeſquipes & quatuor digiti, vel tres vnciæ pedis. Aut *brevius*: cubitus Propheticus, facit pedem vnum & vncias novem. *Hinc emergit* ARIEL, viginti vnius pedum in quadrato: HAREL, longus pedes viginti quatuor & ſemis, *Altus* ſeptem: *Longitudo* Baſis pedum triginta vnius & ſemis. *Totius Altaris Altitudo*, pedum duodecim, vnciarum trium.

Regulam practicam, convertendi cubitos Propheticos in Pedes, etiam alibi tradidimus: Sed ad dimetiendum Altaris magnitudinem, libenter eam hîc repetimus.

Cubitus communis eſt ſeſquipes;
Cubitus Propheticus eſt ſeſquipes & palmus,
hoc eſt, ſeſquipes, & pedis quadrans.

Inde praxis manifeſta eſt, ut converſurus cubitos propheticos in pedes.

Primùm ponas numerum cubitorum integrum.
Huic ſubycias, integri dimidium.
Et tandem dimidy ſemiſſem, vel totius Quadrantem.

Exemplum. Baſis eſt octodecim cubitorum. Quæritur: Quot pedum?

1.	*Primùm pone pedes integros*	18.
2.	*Totidem ſemipedes qui faciunt integros*	9.
3.	*Totidem quadrantes qui faciunt integros*	$4\frac{1}{2}$
		$31\frac{1}{2}$

v.13. *Et*



Expiatio Altaris. v.18. *Et dixit ad me, fili hominis.*) Deſcriptionem *Altaris* vidimus, iam eiuſdem etiam expiationem, & reliqua officia, ſive cultus videamus, qui in hoc Altari fuerint præſtandi. Duorum igitur membrorum, eſt hæc reliqua pars huius capitis 43. à verſ. 18. vſque ad finem. *Primùm* enim deſcribitur *Expiatio* Altaris, à verſ. 18. vſque ad 27.

Deinde, poſtremo capitis verſu, quotidianum Altaris *officium* ſeu *cultus*, verſu videlicet 27. videamus vtrumq;.

verſ. 18. *Propoſitionem* habet proximè ſequentis deſcriptionis, quomodo ſit expiandum Altare, & inſtituendus, atque obſervandus cultus.

1. De Sacerdotibus. v. 19. *Dabis itaque Sacerdotibus Levitis.*) Hoc prius membrum eſt de expiatione. In quo primùm *Sacerdotes* nominantur, quibus munus illud ſit iniungendum. Oportet illos eſſe de Sacerdotibus Leviticis, & quidem de ſemine *Tzadoc*: *Hiſtoria Abiathar & Tzadoc.* Nota autem eſt hiſtoria de Sacerdotibus *Abiathar & Tzadoc.* Cum jam ſenuiſſet Rex David, Abiathar Sacerdos, cum Ioabo Filio Sarviæ, id ſtudebant, vt Adonias in Regno Patri Davidi ſuccederet. Tzadoc verò Sacerdos, & Nathan Propheta, eò rem direxerūt, vt nō Adoniæ, ſed Salomoni Regnū confirmaretur, quod & factum eſt. Quæ omnes res geſtæ, 1. Reg. 1. copiosè deſcribuntur. Inde factum, vt, Davide vita functo, & Salomone, rerum Gubernacula, iam tenente, Adonia verò Imperium affectante, mortis ſententiam in fratrem Adoniam, pronunciaret Salomon. *Hodiè morte afficietur Adonias*, 1. Reg. 2. v. 24. Abiathar autem Sacerdoti hæc lata eſt ſententia à Rege: *Vade in Anathoth, ad Agrum tuum: nam vir mortis quidem es, ſed hodie non interficiam te, quia portaſti Arcam Domini Dei coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini. Tzadoc autem Sacerdotem poſuit, loco Abiathar.* 1. Reg. 2. v. 36. Videantur ibi plura. Huc

ta. Huc reſpiciens Dominus apud Ezechielem noſtrum, dicit, ad officium huius Altaris, conſtituendos eſſe Sacerdotes de ſemine *Tzadoc*, nullos videlicet *Apoſtatas*, aut *ſeditioſos*, qualis Abiathar fuit; ſed conſtantes, & fidos, qualis erga Salomonem fuit Tzadoc. Quod ipſum quoq; nomen iuſtum, & integrum ſignificat. Tales nimirum Sacerdotes ad Altare hoc Ezechielis requiruntur. *Qua de re ſuo loco plura.*

Abiathar.

2. De ſacrificio Expiationis.

v. 19. *Ad miniſtrandum mihi iuvencum.*) De Sacerdotibus dictum eſt, iam de ipſo *ſacrificio expiationis* ſequitur: Illud oportuit eſſe *Iuvencum filium bovis*, **Ein jung Farren oder Stierkalb.** Sed hunc non ſolum fuiſſe offerendum, verùm cum hirco & ariete, id patet partim ex verſ. 27, partim & clarius quidem, ex verſu 25. *Septem diebus facies hircum peccati, quolibet die & iuvencum filium bovis, & arietem de grege integros facient.* Singulis igitur expiationis diebus, vnâ cum iuvenco, & hircus, & aries offerendi fuerunt, ad analogiam legis Exod. 29. 1. *Sed & hoc facies, vt mihi in Sacerdotes conſecrentur: Accipe iuvencum de armento, & arietes duos integros.* Lex igitur præter iuvencum, *duos arietes* requirebat: Expiatio autem noſtri Altaris, loco alterius arietis, *hircum* poſtulat. Quod ipſum indicio fuit, tempore novi Teſtamenti, antiqua illa ſacrificia, adeoq; totum cultum Leviticum immutatum iri. *Qua de re ſuo loco. Porrò*, quòd in verſ. 22. dicitur. *Et in die ſecundo, offeres hircum caprarum integrum pro peccato, vt expient Altare, ſicut expiarunt in iuvenco.* Illorum verborum non hic eſt ſenſus, quaſi ſecundo demùm die *hircus* offerendus eſſet, cum primo oblatus eſſet iuvencus, hanc enim ſententiam verſ. 25. apertè confutat, oſtendens per ſeptiduum integrum, ſingulis diebus, & iuvencum, & hircum, & arietem offerendos eſſe: Sed hic ſenſus eſt verſus 22. in quo duo hæc dicuntur, *Alterum*, expiationis ſacrificium primo die non abſolvi, ſed & ſecundo, & ſequentibus iterandum: *Alterum*, hirci offerendi eandem eſſe rationem obſervandam, quam obſervaverint in iuvenco. Iſthæc autem ratio quæ fuerit, iam tertio loco videbimus.

3. De modo oblationis.

v. 20. & 21. *Et ſumens è ſanguine eius.*) Tertio igitur loco, *modus oblationis* deſcribitur, Sanguinem videlicet iuvenci, imponendum eſſe quatuor cornibus Altaris, & quatuor Angulis proiecturæ, qui Anguli ſecus cornua prominebant, non minùs etiam inſpergendus fuit ſanguis ille, toti Coronæ, quæ circumcirca Altare claudebat, exornabatq;. De ſanguine quid faciendum, vidimus: De *Iuvenco* autem ipſo ita diſponitur, vt comburatur, & quidem in Domo comburatur, in loco deſtinato, ſed extra locum ſanctum. Quæ verba vt ritè intelligamus, ea repetenda ſunt, quæ ſupra de Homonymia vocis *Domus* dicta ſunt. Domus enim interdum ipſum Templum denotat. Interdum totam ſtructuram, cum omnibus ſuis atrijs, vt hoc loco. Et cum reliqua Atria omnia ſancta fuerint, excepto exteriore ambitu, atq; hic apertè dicatur, comburendū fuiſſe iuvencum, in Domo quidem, ſed extra locum ſanctum, manifeſtò apparet, comburendum fuiſſe iuvencum illum, in Ambitu illo extremo, ſive in Atrio Gentium: illuc enim, vt in ſuperioribus demonſtratum fuit, etiam gentibus commeare, fuit conceſſum. Et hoc etiam Analogicum fuit cum Lege. Nam Levit. 4. v. 12. & 21. legimus: Sacrificia pro peccatis, in certo & deſtinato loco extra caſtra fuiſſe comburenda: Idem de Expiatorio ſacrificio noſtri Altaris præcipitur: Et idem eſſe intelligendum de hirco & ariete, ex verſ. 27. dictum eſt.

Homonymia vocis Domus

Quotidiana ſacrificia.

verſ. 27. *Et cùm abſolverit iſtos dies.*) Hoc Alterum membrum eſt, de *quotidiano officio* Altaris, quod inde à facta Expiatione, & deinceps fuit obſervandum. Offerenda nimirum fuerunt die octavo, & inſequuturis temporibus, in hoc Altari & holocauſta, & ſacrificia pacifica: quibus hæc datur *promiſſio*, Dominū cultores illos acceptos habiturum. Quæ autem Lex fuerit, & holocauſtorum & pacificorum, patet ex Levit. 3. 6. & 7. capitibus. Illa ſacrificia, in hoc Altari, quotidiè offerenda ſunt, hic enim vſus Altaris. Vbi de pacificis, hoc peculiariter

riter notandum, tam marem, quàm fœminam de bobus, in pacificum offerri potuiſſe. Levit. 3. 1. Hactenus de Altari.

C A P V T X L I V.

Argumentum & ſumma capitis.

Cohæret hoc caput cum præcedentibus. Dictum enim eſt, Dominum explicare cultum eius Templi, quod per viſionem Propheticam Ezechieli noſtro monſtraverat, & ſanè ſub finem præcedentis capitis dictum eſt de Altari, eiusque ſacrificijs, iam de Sacerdotibus, ſive Miniſtris ſequitur, præſente capite. Cuius duæ ſunt partes. Prior eſt de *Ordinibus* Sacerdotum, ab initio capitis vſq; ad verſ. 17. Poſterior pars de *Legibus* Sacerdotum, à verſ. 17. vſq; ad capitis finem.

I. P A R S.
De ordinibus Sacerdotum.

Ordines Sacerdotum.

v. 1. *Et reduxit me via portæ)* Prior capitis pars ordines Sacerdotum explicat, quorum tres diſtinctos obſervare licet.

1. *Primus* eſt ſummi Sacerdotis, Ab initio capitis vſque ad verſum 4.

2. *Secundus ordo* eſt eorum, qui propter iniquitates & peccata ſua, populum ſeducebant, eamque ob cauſam, de gradu & authoritate ſua, ad inferiora Miniſteria deiecti ſunt, à verſ. 4. vſq; ad 15.

3. *Tertius* ordo eorum eſt, qui digni habiti, Miniſterijs divinis ſint adhibendi, v. 15. & 16.

I. ORDO. De Summi Sacerdotis loco.

Sanctuarium exterius.

v. 1. *Et reduxit me via) Summi Sacerdotis* ordinem deſcripturus Propheta, principiò *loci* circumſtantiam explicat, vbi Dominus de eodem ſibi fuiſſet concionatus, *Ad portam* videlicet *exterioris ſanctuarij.* Ductus enim fuerat per veſtibulum, vſque ad portam Templi medij, quod appellatur *ſanctuarium exterius*, ad differentiam *ſancti ſanctorum*, quæ fuit pars intima Templi, vt notum eſt. Hoc vnum. Dicit autem *hanc portam fuiſſe clauſam*, & amplius in v. 2. non tantum clauſam fuiſſe, ſed additum quoque mandatum, *ne aperiretur vnquam, neq; intromitteretur quiſquam, quia Dominus Deus Iſraelis per eandem ingreſſus ſit.* Ideò clauſam habendam eſſe. Eſt autem hic Metalepſis, vbi aliud ex alio colligendum. Nam ſanctitatem loci celebraturus, dicit, Dominum ingreſſum eſſe, hoc eſt, Dominum ibi præſentem eſſe, ibiq; habitare. Sed quid? Anne prorſus nemo per hanc portam intromittendus eſt? Ad hanc quæſtionem reſpondet verſus 3. Quem ex Hebræo ita reddo, *Præter Principem, Princeps ipſe ſedebit in ea, ad comedēdū panē corā Domino, viâ veſtibuli huius portæ ingredietur & viâ eius egredietur.*

Explicatio Hebraicæ phraſeos.

Quæ verba nō carent obſcuritate, *primùm* in ſeipſis, propter particulam אֶת־, quę vt Hebraicè doctis notū eſt, varias accipit interpretationes, inter quas hoc loco ego ſanè nullam commodiorem eſſe puto, quàm ſi in ablativo per præpoſitionem, à, interpretemur, nemo ingrediatur à Principe, hoc eſt, nemo, *præter Principem.* Sicuti ſupra Ezechiel. 40. 13. Menſus eſt à porta, hoc eſt, præter portam. Nam ſicut מֵאֵת־ frequenter ſumitur pro, *à, ab, de, è, ex,* &c. Ita interdum אֵת־ abſolutè in eadem vſurpatur ſignificatione, vide Geneſ. 44. 4. Exod. 9. 29. Ita hoc loco dictum eſt, portam illam claudendam eſſe, quia Dominus ingreſſus ſit. Et iam additur, in eadem porta, conſidendum eſſe Principi: Rectiſſimè igitur Principis ſeſſio, cum Domini introitu iungitur. Quam ipſam ſententiam eleganter reddit Lutherus: **Diß Thor ſoll zugeſchloſſen bleiben/ ꝛc. doch den Fürſten außgenommen/ dann der Fürſt ſol darunder ſitzen/ das Brot zueſſen für dem HErrn.** Licet igitur non ad verbum reddiderit Lutherus, ſenſum tamen, & mentem Prophetæ elegantiſſimè expreſſit.

Vſus linguæ ſanctæ.

Hic eſt vſus linguæ ſanctæ, vt, qui eius peritiam habet, intelligere etiam & iudicare poſſit varias interpretationes. Antiquus certè interpres planè *contrarium* habet: Portam videlicet illam etiam Principi clauſam fore, cui interpretationi

totus

Digitized by Google

totus contextus reclamat. Hæc de *difficultate & obſcuritate* phraſis Hebraicæ. *Deinde* non omnibus obvium eſt, quis ſit ille Princeps, cuius ſeſſio eſt ad portam iſtam clauſam. Non enim populi Principē, ſed Principem Sacerdotū, ſive Sacerdotē ſummū intelligendū eſſe, ex eo conſtat, quòd dicitur, ſedendū ibi eſſe Principi, ad comedendum panes coràm Domino, id verò de Aarone & ſucceſſoribus dictū eſſe, ex Levit. 24. v. 8. & 9. patet. Vbi ita diſponitur: Quolibet die Sabbathi mutandos eſſe panes propoſitionis, eoſdemq; cedere debere Aaroni & filijs eius, vt comedant eos in loco ſancto, quia ſint ſanctum ſanctorum, de ſacrificijs Domini, Iure perpetuo. Id ipſum igitur, quod hoc loco de Principe dicitur, de Principe Sacerdotum eſt intelligendum. Hactenus primus ordo.

v. 4. *Et adduxit me, per viam portæ Aquilonis*) Hic eſt *ſecundus ordo* ſacerdotum, eorum videlicet, qui propter admiſſas iniquitates, de gradu & authoritate ſua deiecti, atque ad viliora miniſteria Domus, abiecti fuerunt. Conſtat autem huius ordinis deſcriptio, *tribus* membris. *II. ORDO. Authoritate ſuâ deiectorum.*

1. *Primum* novi Exordij locum habet, v. 4. & 5

2. *Secundum*, tranſgreſſiones & iniquitates recenſet, quibus hactenus contra Dominum peccaſſent. à v. 6. ad 9.

3. *Tertium* membrum, naturali ordine pœnas & degradationes tranſgreſſorum ſubiungit: à verſ. 9. vſq; ad 15.

Et adduxit me, per viam) Primum membrum, quod *novi Exordij* vicem habere diximus, initiò circumſtantiam *Loci* explicat, in quo Dominus hanc concionem Prophetæ dederit, Ad *portam* nimirùm *Domus Aquilonarem*, vnde contueri poterat maieſtatem Domini, quæ repleverat Domum. Quâ namque maieſtate advētaſſet Dominus, explicatū illud eſt ab initio capitis 43. Ad cuius contuitū Propheta, vt reverentiam animi declararet, pronus in terrā procidit. *1. Exordium. Circumſtantia Loci.*

v. 5. *Et dixit ad me*) Secundus Exordij locus eſt, attentionis. Excitatur enim Prophetæ ſtudiū & diligentia, vt ſummâ & animi, & omnium ſenſuum attentione ea percipiat, quæ dicturus & quæcunq; de ſtructura Domus, tàm introitus quàm exitus demonſtraturus eſſet Dominus, addito mandato, vt quæ præcepiſſet Domui Iſraël, eloqueretur & opprobraret. *Attentio.*

v. 6. *Et dices ad rebellem, ad Domum Iſraël*) Secundum huius loci membrum diximus eſſe *exprobrationem* tranſgreſſionum, quibus ſanctam Dei voluntatem violaſſent. Quarum omnium tranſgreſſionum amplificatio in hoc verſu 6. præmittitur, In quo primùm dicuntur *rebelles*, & ne quis errare poſſet, de quibus ſermo ſit, per Epexegeſin ſtatim additur, Domum Iſraëlis, eſſe iſtam Domū rebellem. *Deinde* amplificatio tranſgreſſionum, vnico verbo abſolvitur: *Sufficiat vobis ab omnibus iniquitatibus veſtris*, hoc eſt, non pauca, nec levia παραπτώματα admiſiſtis, ſed tot tantaq; in vos concepiſtis ſcelera, quæ vel memoria, & recordatione ſui, ſummum vobis, coràm Deo, hominibusq; pudorem incutere debeant. *Sufficiat vobis:* Ihr habts weit weit vbermacht. *2. Exprobratio tranſgreſſionum.*

v. 7. *Eò, quod introduxiſtis alienigenas*) Præmiſſæ Exaggerationi, iam catalogum ſubnectit tranſgreſſionum, quæ ad duo capita reduci poſſunt. 1. *Prius* eſt violatio Sacerdotij. Non enim eos rebus ſacris peragendis præfecerunt, quos Dominus lege præfici voluit, ſed introduxerunt & patefecerunt alienigenas (filios peregrinos Hebr.) Quales autē fuerint peregrini, per Epexegeſin explicatur. *Incircumciſi* videlicet, vel *corde*, vel *corpore*: hoc eſt, vel infideles animis, vel etiam gentiles, non habentes ſignum fœderis, circumciſionem. *Catalogus tranſgreſſionum.*

Et offertis panes meos, adipem & ſanguinem) *Poſterius* trangreſſionis caput hoc fuit, quod oblata ſacrificia, impietate & ſceleribus ſuis polluerunt. Hoc eſt, licet ſacrificia offerendo, ſanctuli haberi vellent, vitæ tamen, morumque ſuorum impietate, omnia rurſum polluerunt, conſpurcaruntque. Adeò omnia polluta fuerunt, pollutum fuit miniſterium, polluta fuit vita quotidiana &

Digitized by Google

converſatio miniſtrorum, qui vnâ cum vulgo, tùm in Idololatrias multiplices, tùm in alia peccatorum ſcelera ſeſe abduci, raptarique paſſi ſunt, videlicet לָכֶם *vobis*, id eſt, pro voluntate & arbitrio veſtro.

3. Correctio Anomaliae.

v.9. *Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena)* Tertium huius loci membrum correctionem habet anomalias, & degradationem (Iuriſconſulti *diminutionem capitis* appellant) eorum, qui vel illegitimi, vel negligentes erant Sacerdotes. *Primùm* igitur alienigenę, hoc eſt, impij, & illegitimi, prorſus, & ex toto non tantùm ab officio ſacerdotali, ſed ab omnibus etiam Miniſterijs Domus Domini removentur. *Omnis alienigena, incircumciſus corde, & incircumciſus carne, non ingredietur ſanctuarium meum. Secundus* autem *correctionis gradus* hic eſt, vt illi Levitę, qui ſecundũ Legem Sacerdotalibus officijs, fungi poterant, quia tamen ad Idololatrias, & alias iniquitates abduci ſeſe paſſi ſunt, de gradu, & auctoritate ſua ad viliora miniſteria deijcerentur: Et qui antea dati vi Sacerdotũ adminiſtri, maioribus etiam muneribus fungerẽtur (de quibus in ſuperioribus dictum eſt) iam ad omnium abiectiſſima, & viliſſima miniſteria obeunda adhiberentur, à.v.10. vſq; ad 15. Hactenus de ſecundo ordine Sacerdotũ, eorum videl. qui ꝓpter admiſſas iniquitates, de ſtatu & cõditione ſua fuerũt deturbati.

Degradatio ſeu diminutio capitis.

III. ORDO. Legitimorum Sacerdotum.

v.15. & 16. *Sacerdotes autem filij Tzadoc)* Tertius *ordo* illos continet, qui in Sacerdotali munere defungendo divinitùs cõfirmantur. Illi ſunt filij Tzadoc. Illis tribuitur, & confirmatur omnis cura, & ſollicitudo Sacerdotalis adminiſtrationis. Hactenus prior pars capitis de *Ordine Sacerdotum*: Sequitur poſterior.

POSTERIOR PARS.

v.17. *Cumq; ingredientur portas Atrij)* In priori parte capitis conſtitutionem Miniſterij vidimus, iam in hac poſteriore, ijſdem *leges* præfiguntur, ſecundum quas & vivere, & officio ſuo defungi debent. Iſtæ autem Leges ſunt: *Prima* de habitu & veſtitu v.17.18.19. *Secunda*, de cultu corporis v.20. *Tertia*, de Temperantia v.21. *Quarta*, de Nuptijs v.22. *Quinta*, de conditione & officio v.23. 24. *Sexta*, de puritate & ſanctitate converſationis, v.25.26.27. *Septima*, de bonis externis. Adeoq; hæc pars eſt politica Sacerdotum, quæ tota correſpondet diſpoſitioni Moſaicæ. *Ordine videamus.*

Lex 1. de veſtitu Sacerdotali.

Materia veſtium linea.

v.17. *Eſto autem, cùm accedent ad portas)* Prima Lex eſt de *habitu Sacerdotali*. Vbi duo obſervanda veniunt, alterum de *Materia* veſtium v.17.18. Alterum de earundẽ mutatione v.19. *Materiam* veſtium lineam eſſe oportuit, quàm ipſam videre eſt, Exod.28.v.40.42. Nam Tiaras in capite lineas, & femoralia linea circa lumbos habebunt, ad tegendum turpitudinem ſuam, quoties ad portas interioris Atrij, ad ſacrificãdum & miniſtrandum Domino acceſſerint, hoc eſt, quoties ad officij munera ſeſe conferent, lineas ſeſe veſtes induant. Hæc Lex vt magis perſpicua & clara eſſet, in verſ.17. per ἀντίθεσιν additur: *Non aſcendat ſuper ipſos lana, cum miniſtrabunt in portis Atrij intimi, & in Domo.* Huius autem legis cauſa ex verſ.18. colligitur, vbi per interpretationem dicitur, *non cingent ſe in* vel *ad ſudorem* בַּיָּזַע. Cùm enim ſancta tractaturi, ſancti & puri eſſe debeant, Dominus etiam veſtibus illis eos prohibet, quibus ſudor elici, & commaculari illi poterant. Materiam igitur Sacerdotalis habitus lineam eſſe oportuit, quæ non tantùm nullum cieret ſudorem, ſed repetitis etiam lotionibus, continenti puritati, continenter poſſet reſtitui. Sed eaſdem ipſas lineas veſtes *mutare* debuerunt: non enim, niſi res ſacras in intimo Atrio tractaturi, illas induere; ad populum autem in exterius Atrium progreſſuri, eaſdem exuere, & certâ ſuâ, atq; vſibus iſtis deputatâ, exedrâ reponere iubentur. v.19. ſub cuius finẽ, hæc phraſis notanda eſt: *Et non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Quorum verborum hic eſt ſenſus: Cùm veſtes illæ, ad officia ſacra obeunda, ſanctificatæ, hoc eſt, ſeparatæ, & ſingulariter deputatæ ſint, non committendum eſſe, vt in promiſcuum vulgus, & vſum quotidianum proferantur. Ordine omnia peragenda: Ordinis enim, non confuſionis eſt DEVS. Qui idem dicendi modus rurſus

Mutatio veſtium.

occurret

Digitized by Google

occurret ſequenti capite 46.v.20.Ezechielis. Hic eſt locus, vbi coquunt Sacerdotes munus, vt non efferant in Atrium exterius *ad ſanctificandum populum.* De hac ſanctificatione & ſeparatione rerum, à communi vſu legimus Exod. 28.36.&30.29.

v.20.*Caput autem ſuum non radent.*) Secunda Lex, de *cultu corporis* diſponit, Sacerdotes nec radere debere, aut calvum reddere, nec immoderatam alere cæſariem, ſed decentem obſervare mediocritatem. Deſumpta ex Levit.21.5. 2. De cultu Corporis.

v.21.*Vinum ne bibunto.*) Tertia Lex *Temperantiæ* eſt, ne vinum bibant, acceſſuri ad officium. Non enim vniverſalis, ſed limitata fuit hæc prohibitio. Sed Leviticus, vnde deſumpta Lex eſt, etiam grandioribus verbis vtitur: *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu, & filij tui,* quando intrabitis in Tabernaculum Teſtimonij, *ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt, in generationes veſtras.* 3. De temperantia. Levit.10.9.

v.22. *Viduam aut repudiatam ne ducunto*) Quarta Lex de *conciliandis nuptijs,* quas nimirùm fœminas, in vxores ducere conceſſum, quas ducere prohibitum ſit Sacerdotibus. Ducant nimirùm, aut virginem, aut defuncti Sacerdotis viduam: repudiatam, aut alterius conditionis viduam nón ducent. Deſumpta eſt Lex, ex Levit.21.v.7.&14. Vbi amplius additur prohibitum fuiſſe, aut *meretricem,* aut *profanatam* ſive *pollutam* ducere, hoc eſt, vel commune proſtibulum, vel cui ſtuprum, ſeu vi, ſeu quocunq; alio modo illatum eſſet. 4. De matrimonio. Levit.21.v.7.14.

v.23. *Et populum meum docebunt.*) Quinta Lex, officij exequendi rationes præſcribit: cuius partes ſunt docere populum, eidemque ius dicere: Repetita Lex ex Levit.10.&11.Capp. Et Deut.17.8. 5. De officij partibus.

v.25. *Et ad mortuum hominem.*) Sexta Lex, de ſervanda & cuſtodienda puritate decernit. Non licere Sacerdotibus, vt luctui indulgeant, niſi in primo gradu conſanguinitatis, aſcendentis & deſcendentis lineæ, tùm etiam collateralis: ſi tamen ſoror virgo fuerit & innupta: vbi tamen ſecundum Leges ſint purificandi. Deſumpta ex Levit.21.1. 6. De puritate.

v.28. *Et erit eis in hæreditatem.*) Septima & vltima Lex eſt, *de poſſeſſione & bonis externis* Sacerdotum. Quæ ita diſponit: Nullam quidem poſſeſſionem certam, vt reliquis tribubus, Sacerdotibus adſcribendam, ſed propitiatoria & reliqua ſacrificia, vt & omnes, omnis generis primitias iiſdem cedere debere. Quam ob cauſam Dominus dicit: *Ego ſum poſſeſſio illorum.* Quòd enim Domino offerebatur, id Sacerdotibus, eorundemque familiis, certis legibus cedebat. Deſumpta eſt Lex Levit.6.&7.capp. Num.15.&18. Vbi portiones & Sacerdotum præmia prolixiùs deſcribuntur. Sed addita eſt cautela, ne quicquam *morticinij* comedent Sacerdotes, quæ eſt reſumpta ex Levit.22.8. 7. De bonis externis.

CAPVT XLV.

III. DISTRIBVTIO TERRÆ ET *totius Politiæ diligentiſſima.*

IAM dudum nobis ex ſuperioribus conſtat, totius huius, omnium nobiliſſimæ viſionis, tria eſſe membra: quorum numero *primum* fuit, ipſius *Templi* Prophetici pulcerrima deſcriptio, & admiranda diligentia Architecturæ. Capp.40.41.42.abſolutum. *Secundum* membrum, *cultum* ipſius Templi, & Sacerdotium deſcripſit, capp.43.&44. Iam *tertium & poſtremum* membrum reſtat, de *diviſione terræ ſanctæ,* & omnis gubernationis, tàm Eccleſiaſticæ, quàm politicæ, diligentiſſimâ conſtitutione, quatuor poſtremis capitibus, 45.46. 47.&48.comprehenſum. Duo priora membra, per clementem Domini gratiam abſolvimus, eiuſdem implorato auxilio, iam etiam accedimus ad tertium & poſtremum.

Digitized by Google

Summa totum quæ explicanda reſtant.

Cuius membri hanc generalem præmittimus Oeconomiam. *Principiò* totius diſtributionis, ſummaria præmittitur delineatio. Ab initio capitis 45. vſq; ad verſum 9. *Secundò* nova rerum, tàm politicarum, quàm Eccleſiaſticarum conſtitutio & reformatio deſcribitur: Quæ ipſa nova rerum facies, finis eſt totius huius viſionis Propheticæ. A.v.9.cap.45. vſq; ad finem capitis 46. *Tertiò* demùm ſpecialis ſequitur terræ diſtributio, cuius ab initio, huius membri, brevis περιοχὴ tantùm, & ſummaria adumbratio propoſita fuit. Quæ diſtributio ſpecialis, in duobus poſtremis capitibus ordine deſcribitur. Capitibus nimirùm 47. & 48. Cui tamen eidem ſpeciali diviſioni, terræ ipſius nobilis præſtantia, ſalubritas & fertlitas præmiſſa eſt. Ab initio capitis 47. vſq; ad verſ. 13. Hæc ſunt, quæ explicanda reſtant, vſq; ad finem Ezechielis.

Argumentum ſpeciale, Cap. 45.

Ad caput igitur 45. ſpecialiter quod attinet, duarum illud eſt partium. *Prior* habet, generalem terræ, eamq; quadripartitam diviſionem. Ab initio capitis, vſq; ad verſ. 9. *Poſterior* pars, deſcribit renovata iura, tam politica quam Eccleſiaſtica. A v.9. vſq; ad finem capitis. Quæ renovatio, Eccleſiaſtica maximè, etiam per ſequens cap. 46: continuatur. *Vti ſuo loco, Deo dante, videbimus.*

PARS I.

Diſtributio terræ generalis. Privilegiata. Communis.

v.1. *Cum ſortiemini terram)* Prima pars huius capitis, generalem, vt dixi, diſtributionē terræ deſcribit: quam bifariam dividendã eſſe oſtendit. *Altera* namque portio privilegiata eſt: *Altera* communis. *Privilegiata* portio quadripartita eſt: *Pars* namq; huius ſanctuario & ſacerdotibus cedit ab initio cap. vſq; ad verſ. 5. *Pars* Levitis, v.5. *Pars* Civitati communi, v.6. *Pars* Principi, v.7. & 8. *Reliqua terra, toti Iſraëli*, cuius diſtributio peculiaris, ſuo loco, vt dictum eſt, ſubſequitur. Videamus iam partes *privilegiatas*.

I. Portio privilegiata. 1. Pars ſive oblatio ſanctuarii. NB. Cubitos, non calamos hic intelligendos eſſe, vide ſupra.

v.1. *Cùm ſortiemini terram)* Hebr. *In faciendo cadere vobis terram.* i. Cùm miſsâ ſorte, diviſuri inter vos eſtis terram. *Prima* omnium *privilegiata portio* cedet ſanctuario Domini, & Sacerdotibus, cuius quantitatem definit, in longitudine, *vicies quinquies mille* (cubitos) in latitudine *decies mille* (cubitos) Hęc eſt portio tota ſacra, v.1. Ex hoc ſpatio cedere debuit ſanctuario Area quadrata, *quingentorum cubitorum.* Cuius determinationem & menſuram ſupra habuimus cap. 42. v. 15. & ſeqq. Et *amplius* circa circum quinquaginta cubiti, pro ſuburbio ſeu extremo ambitu, de quo etiam ſupra. Hoc totum ſpatium ceſſit ſanctuario & Sacerdotibus, vt verſ. 3. & 4. dilucidiùs interpretantur, Infrà 48. v. 8. & ſeq.

2. Portio Levitarum.

v.5. *Et viginti quinq; millia longitudinis) Secunda* pars oblationis, eſt *portio Levitarum* eiuſdem omninò quantitatis, cum portione ſanctuarij: habens videlicet in longitudine, cubitos *vicies quinquies mille*, in latitudine, *decies mille.* Hoc cap. 45. v. 5. & cap. 48. v. 13. Et hæc Levitarum portio, proximè adhęret ſeu iacet ad portionem Sacerdotum.

3. Portio Civitatis.

v.6. *Et in poſſeſſionem Civitatis quinquies mille)* Tertia privilegiata pars ceſſit Metropoli: Eiuſdem quidem longitudinis cum proximis duabus: cubitorum ſcilicet *vicies quinquies mille.* Latitudinis autem tantum dimidiatæ, cubitorum nimirùm *quinquies mille*, infra 48. v. 15.

NB. QVADRATVM SANCTVM.

Ex his apparet, hoc totum ſpatium oblationis, fuiſſe *perfectum quadratum.* Nam *ſanctuarij* portio, fuit vicies quinquies mille cubitorum, in longitudine, & decies mille in latitudine. Similiter portio *Levitarum*, vicies quinquies mille cubitorum in longitudine, & decies mille in latitudine. Tandem portio *Civitatis*, vicies quinquies mille cubitorum in longitudine, & quinquies mille in latitudine. Quæ dimenſiones, ſimul computatæ faciunt Aream quadratam, cuius ſingula latera, ſunt *vicies quinquies mille cubitorum*


Cuius

Digitized by Google

Cuius rei aperta fit mentio infrà cap.48.v.20.vbi hęc extant verba: *Totam hanc oblationem vicies quinquies mille (* cubitorum*) per vicies quinquies mille(* cubitos.*)* Quadratam*,offeretis oblationem ſanctam,aut iuſta poſſeſſione Civitatis.* Vbi eadem hæc Geometrica phraſis occurrit,quam ſupra in hoc capite 45.v.2.habuimus. Eſto ex hoc (ſpatio) in locum ſanctum,*quingentorum* (cubitorum) *per quingentos*(cubitos) Quadratus (locus) circumquaque.

v.7. *Ipſi autem Principi, hinc & hinc)* Quarta privilegiata portio eſt, *pars Principis*, ea iuxta Quadratum oblationis (modò deſcriptum) *hinc & hinc*, Id eſt ex vtraque parte,ortum & occaſum verſus porrigitur: Cuius *latitudo*, fuit latus Quadrati,hoc eſt,vicies quinquies mille cubiti. *Longitudo* verò, æqualis longitudini totius terræ. Et notandum eſt,in hoc verſu,oblationem ſanctam comprehendere vtramque portionem,tàm eam,quæ ſanctuario, quàm eam, quæ Levitis eſt deputata. Ideò dicit, *ante oblationem ſanctam, & ante poſſeſſionem Civitatis.* verſu 8. Cauſa finalis additur, cur tantam portionem, adſcribat Principi, *ne videlicet porrò opprimant populum. Sed terram reddant domui Iſraël, per tribus ipſorum.* Hoc eſt: Exemptis hiſce portionibus,quarum vna ſanctuario, ſecunda Levitis, tertia Metropoli, quarta Principi cedere debet, reliqua omnis terra, populo dividenda eſt,quam diviſionem videbimus Cap.48. Area igitur *Quadrangularis*,ab extremo termino Orientis, vſque ad extremum terminum Occidentis,porrecta: lata vicies quinquies mille cubitos, tota privilegiata fuit, hac ratione, vt in medio *ſpatium quadratum* 25000. cubitos *latum*, 25000. cubitos *longum*, ſanctuario,Levitis & communitati cederet: Reliquæ *duæ alæ*, Orientalis & Occidentalis, Principi: Quarum alarum, latitudo quidem nota eſt, 25000. cubitorum. Longitudo autem ignota: porriguntur enim, vſque ad terminos totius terræ. — 4. Pars Principis

M E R I D I E S.



S E P T E N T R I O.

P A R S I I.

v.9. *Sic ait Dominus.)* Hactenus deſcriptio privilegiata, & generalis denotatio, diſtributionis vniverſalis, quæ ſpecialiter explicabitur, duobus poſtremis capitibus,vt ſuo loco videbimus. Nunc *Iura* deſcribuntur, tàm politica, quàm Eccleſiaſtica. *Politica*,à verſ.9.vſq; ad verſ.13.*Eccleſiaſtica* à verſ.13.huius capitis 45.vſq; ad finem cap.46. Quæ vtriusq; iuris conſtitutio, *finis eſt, totius huius Prophetæ viſionis*,vt ſupra dictum. — *Iura & Leges tàm politica, quàm Eccleſiaſtica.*

Sic ait Dominus Deus.) Iuris politici conſtitutio,in iuſtitiæ & æquitatis adminiſtratione abſolvitur. Vbi primùm priſtina vis Principum, & violatæ oppreſſiones populi,corriguntur: Poſteà ius & æquitas commendatur. *Correctio* hiſce verbis proponitur: *Sufficiat vobis Principes,&c.* hoc eſt: Multis hucusque & graviſſimis modis, iuſtitiam violaſtis: Sufficiat iam, & finis eſto, violentiam & vaſtationem amovete: *Ius contra* & iuſtitiam exercete. Tollite, auferte, depulſiones veſtras à populo meo, ceſſet violentia, regnet porrò, & vbiq; atque in omnibus regnet Iuſtitia & Æquitas. — *IVRA POLITICA Prophetica Civitatis.*

 Iſthæc

Digitized by Google

Occaſio præſentis argumenti.

Iſthæc iuſtitia in politicis, deſcribitur hoc loco obſervanda in *ponderibus, menſuris*, ac *numeris*. Sicut enim Dominus omnia in menſura, & pondere, & numero diſpoſuit: Sapient. 11. 21. Πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας: Ita in his etiam iuſtitiam vult & æquitatem coli. Quando igitur hic locus genuinus & principalis eſt, de *Iuſtitia univerſali Civitatis cæleſtis*, placuit hac occaſione, de hiſce ponderibus ac menſuris generalem dare deſcriptionem, cuius vſus, non tantùm in contemplatione viſionis huius Propheticæ, ſed in omni Scripturarum lectione & cognitione, promptus paratusq; eſſe poſſit.

DE MENSVRIS HEBRÆORUM.

משורה *Menſura Aridorum & liquidorum.* מדה *Continuorum. Genera menſurarum.*

Sunt autem menſurarũ varia genera. Eſt verbi gratia *Continuorum*, de quo menſurandi genere hucuſq;, abundè ſatis & copioſè dictũ eſt: dum Prophetã, Templum, eiuſdem omnia Atria, atriorum omnes portas, portarum Thalamos, ipſam deniq; Ædem ſacram, cum omnibus ſuis partibus interioribus, & exterioribus elegantiſſimè ſimul, & diligentiſſimè vidimus dimetiri: Proximis etiam præcedentibus verbis, generalem terræ diviſionem delineavit, integram eiuſdem & perfectam diſtributionem capp. poſtremis traditurus.

Aliud Menſuræ genus eſt *Aridorum*, aliud *liquidorum*. De vtroque hoc loco agitur: videamus, ſed non eas tantùm menſuras, quas expreſsè hoc loco Dominus poſuit, ſed & illas, quarum etiam *alibi* in ſcripturis mentio fit, & ſine quibus, præſentes intelligi vix poſſunt.

I. DE MENSVRA ARIDORUM.

1. DE CABO.

2. Reg. 6. 25.

Prima igitur Aridorum menſura, cuius in ſcripturis expreſſa fit mentio, eſt *Cabus*. Hebr. קב Sic enim legimus 2. Reg. 6. v. 25: *Et fuit fames magna in Samaria, & ecce obſidebant eam, donec Aſini caput veniret octoginta Argenteis, & quartum* Cabi *ſtercoris* (ſeu ingluviei) *columbarum, quinq; Argenteis*. Fuit autem Cabus menſura, continens Aridorum tantam portionem, quantum *viginti quatuor ova* capere poſſunt. Hic Cabus, vt ex citato loco apparet, dividebatur in quatuor partes, illæ partes ſingulæ dicebantur, quartum Cabi, & ſingulæ continebant, ſex ova. quam ob cauſam ab Hebræis, vt ſuo poſtea loco annotabo, dicebantur *Sextarij*.

DE SATO HEBR. סאה.

Proxima Aridorũ Mẽſura eſt סאה in duali סאתים, 1. Reg. 18. 32. In plurali סאים, Latinè *Satum*. Quæ menſura continebat *ſex Cabos*, hoc eſt, tantùm, quantùm ova *centum quadraginta quatuor* capere poterant. Legitur Geneſ. 18. 6. *quòd Abraham Saræ: Accelera, & tria ſata farinæ commiſce*. 1. Samuel. 25. 18. אביגיל *Abigail* obtulit Davidi Quinque ſata frumenti, 1. Reg. 18. 32. *Elias* Propheta, vanitatem demonſtraturus Baalitici cultus, Altare parat, & Aquæductum circum altare, tantæ latitudinis, quanta duorum ſatorum ſementem capiebat. Tradunt tutem Hebræi centum cubitos Arui in longitudinem, & quinquaginta in Latitudinem, facere ſeminis duo ſata. B. Arias Montanus in Tubulca, in ex Miſnaioth. Alij dicunt eſſe ſpatium quinquaginta cubitorum in quadrato. *Legitur præterea*, 2. Regum 7. v. 1. 16. 18. in vaticinio Eliſæi, de craſtina futura, incredibili vilitate frumentorum. In Nov. Teſtam. *Chriſtus*, Matth. 13. 33. aſſimilatum eſſe dicit Regnum cœlorum fermento, quod acceptum abſconderit mulier in farinæ ſatis tribus. Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.

III. De

Digitized by Google

III. DE EPHA. Hebr. אֵיפָה

Sex ova faciunt ſextarium, Quatuor ſextarij faciunt cabum, Sex cabi faciunt Satum, Tria Sata faciunt *Epham. Ergo Epha continebat* CCCCXXXII. *ova. Vbicunque* igitur in ſcripturis *tria ſata* nominantur, ipſa illa faciunt *vnam Epham. Epha* porrò continebat *decem Gomer.* Sic enim Dominus in Exodo loquitur: *Gomer autem decima pars Ephæ.* Exod. 16.37. Vnde colligitur, Gomer habuiſſe ova $43\frac{1}{5}$. Sed decem Ephæ faciunt Corum, ut infr. cap. 45. verſ. 11. *Fuit autem Epha* maximè communis, familiariſſimâ, & nobiliſſima mẽſura, quã reliquæ omnes reſpexerunt, cuius etiam, præter cæteras, plurima vbique fit mentio, vt Deut. 25.14. *Non erit in Domo tuo Epha & Epha, maior & minor, ſed Epha perfecta, & Iuſtitia erit tibi.* Sic Proverb. 20.10. *Lapis & lapis, Epha & Epha abominatio Domini.* Et Amos. 8.5. *tranſibit menſis & Sabbathum ad diminuendum Epha.* Ex quibus & alijs pluribus locis apparet, Ephæ vocem quaſi generalem fuiſſe, & reliquarum omnium menſurarum quaſi fundamentum & normam. Sequitur de Gomer.

Geneſ. 18.6. *Matth. 13.33.* *Epha nobilis menſura.*

IV. DE GOMER. Hebr. עֹמֶר

Ex ſex Cabis fit ſatum, tria ſata Epha faciunt, *Gomer* eſt decima pars ephæ, vt dictum. Sic enim habet Exod. 16.37. *Gomer eſt decima Ephæ:* ſignificat autem Gomer principaliter manipulum, Ruth. 2. v. 7. 15. Levit. 23. v. 10. 11. 12. 15. Deut. 24. 19. Iob. 24. 10. Inde Gomer, menſuræ nomen, procul dubio deſcendit, quòd ex manipulo communiter tantùm tritici excuteretur, quantùm menſuræ Gomer reſponderet. Et eſt in Exodo cap. 16. verſ. 16. 18. 22. 32. 33. notiſſima & frequentiſſima menſura: cùm ibi diſponatur, in ſingula capita, de Manna in ſingulos dies, ſingulos Gomeros colligendos eſſe. In die autem ſexto, in ſingula capita binos, quorum alter in Sabbathi cibum ſufficeret. Cùm igitur Gomer ſit decima pars Ephæ. Epha porrò octodecim Cabis conſtet, (tria namque ſata ſunt Epha, ſatum autem continet ſex cabos) Et cabus continet ova viginti quatuor: ſequitur Epham, ova continere quadraginta triginta duo. Huius decima pars, ſive Gomer, eſt menſura $43\frac{1}{5}$. ovorum. vt ſupra.

Et nota: Quia Gomer & decima Ephæ, vna eademq; menſura ſunt, ideò alibi Gomer nominatur, alibi decima Ephæ, vt Num. 28.5. Tum etiam obſervabis morem ſcripturæ, quæ prætermiſſa voce Ephæ, tantùm decimam dicit. Ibid. v. 9. 12. 13. &c. Et ſubintelligit decimam partem Ephæ, ſive Gomerem. Decima ſimilæ, id eſt, Gomer ſimilæ.

DE CORO. כר *(ſine Vav) & CHOMER.*

Chomer vel Corus eſt menſura Aridorum, continens decem Ephas. Sic enim hoc loco apud Ezechielem legimus, cap. 45. v. 11. *Decima pars* (Chori vel) *Chomeris eſt Epha.* Etymon nominis ignoratur, quanquam aliqui putant à cumulo dictum eſſe, quòd hæc menſura cumulum faciat: alij verò inde deductum nomen putant, quod contineat tantùm, quantùm חֲמוֹר hoc eſt, Aſinus portare poſſit. Habet igitur Corus decem Ephas, & cõſequenter triginta ſata.

Eſſe autem *Chomer* & *Corum*, vnam eandemq; menſuram, ex eodem hoc loco conſtat: Sic enim habet verſus 14. de quo infra plura: *Et ſtatutum olei (Bathus autem olei (ſcil. menſura) eſt) decima Bathi ex Coro, decem Bathorum Chomere: Nam decem Bathi* (ſunt) *Chomer.* Ex quibus verbis patet, & Corum & Chomerẽ continere decẽ Bathos. Dicit enim, offerendam eſſe decimam partẽ Cori, qui ſit decẽ Bathorum chomer. Quæ explicatio per appoſitionẽ Coro addita eſt. Et ampliùs αἰτιολογία ſubiũcta eſt: quia decem Bathorũ (eſt) chomer.

Quæ omnia verba hunc ſenſum habent: Et Corus continet decem bathos, & chomer continet decem Bathos. Ergo corus & chomer vna planè eademque menſura ſunt. Inde factum eſt, vt non tantùm hoc loco, apud Ezechielem noſtrum, ſed & alibi, antiquus Interpres, Corum reddiderit, vbi in Hebræo chomer legitur. Sic enim reddidit Ezech. 45. v. 11. Ephi & Batus æqualia: & vnius menſuræ erunt. Vt capiat decimam partem Cori Batus: & decimam partem cori (ſc. capiat) Ephi, iuxta menſuram Cori, erit æqua menſuratio earum. Quæ verba in Hebræo Textu ita habent: *Epha & Bath, diſpoſitionis* (vel valoris ſiue ſummæ) *vnius ſunto, vt capiat decimam* (partem) *chomeri Bathus*: Et *decimam Chomeris, Epha* (capiat) *Ad chomerem eſto diſpoſitio illorum.* Vnde patet, interpretem, Cori & Chomeris appellationem pro Synonymis accepiſſe, Chomerem quoque, tàm Ephæ, quàm Bathi regulam, *Menſuram videlicet decuplam* fuiſſe.

DE LETHECH.

Eſt etiam menſuræ nomen לֶתֶךְ, quod ſemel tantùm in ſcripturis legitur Oſe. 3. 2. vnde obſcurius eſt, quid propriè ſignificet. Sed ex circumſtantijs loci, omnes interpretes conijciunt, eſſe dimidium chomeris. Sic autem ibi habet Propheta. *Et mercatus ſum eam* (adulteram) *mihi quindecim Argenteis, & Chomer Hordeorum, & Lethech Hordeorum*, hoc eſt, *ſeſqui chomere.* Sic etiam Lutherus. Vnd ich ward mit jhr eins / vmb fünffzehen Silberling / vnd anderthalb Chomer Gerſten. Vnde patet, Lethech pro dimidio Chomere accipi. Continet autem *Chomer*, vt proximè dictum eſt, *decem* Ephas: Ergo Lethech continet *quinque* Ephas.

TABVLA MENSVRÆ Aridorum.

Sextarius continet	6	Ova.
Quatuor *ſextarij* faciunt *cabum*, hoc eſt	24	
Sex *Cabi* faciunt *ſatum*, hoc eſt	144	
Tria *ſata* faciunt *Epham*, hoc eſt	432	
Decẽ *Ephæ* faciunt *Corum* vel *chomerẽ* ſiue ſata triginta, h. e.	4320	
Dimidium chori eſt *Lethech*, vel quinq; Ephæ, ſeu quindecim ſata, hoc eſt	2160	
Decima chomeris, eſt *Epha* vna, hoc eſt	432	
Decima Ephæ eſt *Gomer*, hoc eſt	$43\frac{1}{5}$	

ALITER.

Cabus	continet	Quatuor Sextarios.
Satum		Sex Cabos.
Epha		Tria Sata.
Corus vel Chomer		Decem Ephas.

Dimidium autem Cori eſt Lethech.
Decima Cori, Epha.
Decima Ephæ, eſt Gomer.

II. DE MENSVRA LIQVIDORVM.

Proximùm eſt, vt de menſura *liquidorum* agamus, cuius in præſentia non minus Propheta, quàm Aridorum mentionem facit. verſ. 10. Statera iuſta Ephi

Digitized by Google

Ephi iuſtum & *Bathus* iuſtus erit vobis. Vbi rurſus per Bathum, συνεκδοχικῶς omnes liquidorum menſuras intelligit. De quibus breviter aliquid attingamus. Sunt autem hæc menſurarum, in liquidis nomina: *Log*, *Hin*, *Bathus*, *Corus* vel *Chomer*, *Cadus*: de ſingulis breviter.

I. DE LOG. לג

Log menſuræ genus fuit, ſex ova capiens; vnde ab antiquo interprete reddita hæc vox eſt, per vocem ſextarij. Et eiuſdem planè fuit quantitatis in liquido, cuius fuit ſextarius in Arido. Mentio autem fit huius menſuræ, Levit.14.v.10.12.15.21.24. Et die octavo aſſumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei *ſextarium* Hebr. *Log*.

Benedictus Arias Montanus in ſuo Ezechiele, hoc eſt, libro de menſuris citat ex libris Miſnaioth Log continere partem *vigeſimam quartam* Sati. Continet autem Satum, vt in ſuperioribus dictum eſt, ova centum quadraginta quatuor. Cuius vigeſima quarta pars habet ova ſex.

II. DE HIN. הין

Hin maximè celebris & vulgata menſura eſt, & frequentiſſima in ſacrificijs: nam vini & olei, quantum ſingulis ſacrificijs adhiberi deberet, hâc menſurâ diligentiſſimè deſcribitur. Fuit autem *Hin* menſura, *continens duodecim Logim*. Log verò continebat, vt proximè dictum eſt, ſex ova. Hin igitur capiebat *ova ſeptuaginta duo*. Fit huius menſuræ mentio. Exod.30.24. Ezechiel. 45.24.& 46.v.5.7.11.

Habuit autem hęc menſura ſuas, eaſque commodiſſimas diviſiones, propter vtriuſque Numeri, duodenarij videlicet, & ſeptuagenarij binarij, aptitudinem. Quia enim Hin capiebat duodecim Log, vel ova ſeptuaginta duo: Quas igitur diviſiones accipit, numerus duodenarius, vel ſeptuagenarius binarius, eaſdem habuit etiam menſura Hin, *dimidium* videlicet partem *tertiam*, partem *quartam*, partem *ſextam*.

Dimidium itaque *Hinis* habuit ſex Logim, hoc eſt, ova XXXVI. Et huius fit mentio Num.15.v.9. *Dabis per ſingulos boves* (Minha) *ſimilæ tres decimas, conſperſæ oleo, quod habeat medium menſuræ Hin.*

Tertia pars *Hinis* habuit quatuor Logim, hoc eſt, ova XXIV. Huius fit mentio, Num.15.v.6.7. *In Arietem ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis Hin.* Et vinum ad libamentum tertiæ partis eiuſdem menſuræ. Item Ezech.46.14.

Quarta pars *Hinis* habuit tres Logim, hoc eſt, ova XVIII. Huius partis fit mentio, Exod.29.40. vbi ſingulis mane ac veſperi iugi ſacrificio addenda fuit decima Ephæ ſimilæ cõſperſæ oleo tuſo, *quod habeat menſuram, quartam partem Hin*, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno vno. Eiuſdem menſuræ fit mentio, Levit.23.13. Num.14.4.&28.v.5.7.

Sexta pars *Hinis* habuit duos Logim, hoc eſt, ova XII. vnus namque Log, menſura fuit, ſex ovorum, vt dictum eſt. Huius partis fit mentio, Ezechiel.4.11. *Aquam ad menſuram bibes, ſextam partem Hin, à tempore vſque ad tempus bibes illud.*

Ezechielis 46.14. Fit mentio *ſextæ* ſimul & *tertiæ* partis Hin.

Num.28.14. In ſacrificijs Calendis Menſium debitis, mentio fit *Mediæ, Tertiæ & Quartæ* partis Hin, in vnico verſu. *Libamentum autẽ vini, quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas, iſta erunt:* Media *pars* Hin, *per ſingulos vitulos*, tertia *per Arietem*, quarta *per agnum.*

III. DE

III. DE BATHO. Hebr. בַּת

Bath & Epha, menſuræ æquales.

De *Batho* ex præſente Ezechielis loco, hoc primum Axiomaticè notandum eſt: *In liquidis eandem plane menſuram fuiſſe Bathum, quæ fuit in Aridis Epha.* Sic enim Ezechiel noſter cap. 45. verſ. 10. *Lances iuſtæ, Epha iuſtum, & Bath iuſtum eſto vobis,* verſ. 11. *Epha & Bath ſummæ* (ſeu diſpoſitionis) *vnius eſto, vt capiat decimam Chomeris, Bath: Et decimam Chomeris,* (ſcil. capiat) *Epha. Ad ipſum Chomerem eſto diſpoſitio ſeu ſumma cuiusq.* In quibus Prophetæ verbis, hæc duo notanda ſunt: Alterum *Bath & Epha* fuiſſe menſuras *æquales*, hanc Aridorum, liquidorum illam. *Epha & Bath ſummæ vnius eſto. Alterum, Chomerem Aridorum, & chomerem liquidorum*, etiam *vnam* fuiſſe, *eandemq. menſuram.* Nam Bath & Epha, æqualia ſunt. Faciunt autem decem Bath, Chomerem vnum liquidi: Faciunt etiam decem Epha, chomerem vnum Aridi. ſequitur, chomerem liquidorum æqualem eſſe chomeri Aridorum: vterque enim decuplum eſt, menſuræ æqualis: ille nimirùm decuplum Bathi in liquidis, hic decuplum Epha in Aridis. *De quo ſuo loco plura.*

Collationes menſurarum.

Hoc iam *demonſtrato*, Bath & Epha eſſe eiuſdem quantitatis, facile eſt, & huius & aliarum menſurarum collationes inſtituere. Sicut enim *Epha* continet ſeptuaginta duos ſextarios, ita *Bathus* continet ſeptuaginta duos Logim. Nam ſextarius continet ſex ovorum menſuram in Aridis: Log ſex ovorum in liquidis. Sic Epha CCCCXXXII. ova continet in Aridis. Totidem Bath, in liquidis.

Rurſus, Hin menſura eſt, vt vidimus, continens duodecim Logim, hoc eſt, ova LXXII. Sequitur, *ſex Hin* facere *Bathum.* Multiplicatis enim LXXII. per VI. producuntur CCCCXXXII. Menſura ſcil. Bathi: ſic igitur dicemus, *ſex ova* faciunt *Log* vnum: *Duodecim Logim,* faciunt *Hin*: *Sex Hin* faciunt *Bathum.*

Huius menſuræ *frequens eſt mentio* in ſcripturis. 1. Reg. 7. 26. *Mare Salomonis* duo millia Bathorum continebat: אַלְפַּיִם בַּת יָכִיל ibidem v. 38. Fecit etiam decem *Conchas* æreas, quadraginta bathos, capiebat concha vna. Sic Salomon Churamo ſcribit, Regi Tyrio: Ecce *cædentibus ligna* dedi

2. Paralip. 2. 10.

tritici excuſſi, ſervis tuis, Coros vicies mille, & hordei coros vicies mille: Et vini Bathos vicies mille, & olei Bathos vicies mille. Sic apud Eſa. 5. *decem iu-*

Eſa. 5. 10

gera vineæ, faciunt bathum vnum: Et ſementis chomer, faciet Epha. Quam exigua verò hæc ſit proventuum ad tot iugera proportio, ex diligenti conſideratione menſurarum patet. *Vti ſuo loco Deo dante demonſtrabimus.*

IV. DE CORO SIVE CHOMER.

כּוֹר חֹמֶר

Liquidorum quoque menſura fuit *Corus* ſeu *Chomer.* De qua illud *primùm* notandum eſt, Corum ſeu chomerem, vnam fuiſſe eandemque menſuram, id, quod iam in præcedentibus monſtratum eſt. *Deinde* hoc alterum, Corum ſeu chomerem, tàm liquidorum, quàm Aridorum fuiſſe menſuram. Id quod manifeſtum eſt ex 1. Reg. 5. 7. Et Salomon præbuit Chiramo, vicies mille Coros *tritici* & viginti Coros *olei* tuſi. Vnde liquido patet tàm de tritico, quàm oleo, Cori vel chomeris menſuram enunciari. *Tertio* de quantitate Cori vel chomeris, iam in ſuperioribus dictum eſt, *Corum* videlicet *decuplum* fuiſſe *Ephæ*: Decuplum igitur quoq; eſt Corus ad Bathum: id quod ex præſente loco Ezechielis cap. 45. 11. manifeſto patet, vbi ſic legimus: *Epha & Bath ſummæ vnius eſto, vt capiat decimam chomeris Bath, & decimam chomeris Epha* (capiat) *ad ipſum chomerem eſto ſumma cuiusq.*

V. DE

V. DE CADO. כַּד

Cadus olim *vaſis genus* commune, & familiare fuit, ſed non adeò exquiſitæ menſuræ, vt in commercijs & contractibus celebrandis adhiberetur, ſed vſibus quotidianis fuit accommodatum, eius quantitatis, vt commodè, vel humero, vel manibus ferri poſſet. Fit autem cadi mentio in *quinque* ſcripturarum locis.

Primò, in hiſtoria *Rebeccæ* aliquoties: quæ cum hydria ſua, ad fontem egreſſa, & ſervum Abrahami, & eiuſdem Camelos potavit. Geneſ. 24. v. 14. 15. 16. 17. 18. 20. Item verſibus 43. 45. 46: vbi in Hebræo ſemper legitur, Cad, Cad, Cad. *Inclina quæſo Cadum tuum: Et ecce Rebecca, habens Cadum ſuum ſuper humerum ſuum, &c.* Latinus autem interpres reddidit per Hydriam, inclina, quæſo, hydriam tuam. Egreſſa eſt cum hydria ſua.

Secundo, occurrit vox Cadi, in hiſtoria *Gedeonis*, quando ſtratagemate trecentorum virorum hoſtes fudit. Nam *buccinas & vacuos cados*, concluſis titionibus, tenentes, confractis cadis, & noctu tiriones ſeu faces oſtentabant, & buccinis canebant, qua re perterriti hoſtes, mutuis confecti ſunt armis. Iud. 7. v. 16. 19. 20. Vnde patet, pro *vaſe fictili* vocem cadi ſumptam eſſe.

Tertiò, eadem vox occurrit in hiſtoria viduæ *Sareptanæ*, 1. Reg. 17. verſ. 12. 14. 16. vivit Dominus, *plenitudo volæ farinæ in Cad, &c.* Cui Elias, ſic dicit Dominus Deus Iſraël: *Cad farinæ non conſumetur, &c. Et Cad farinæ non conſumptus eſt.*

Quartò, in hiſtoria Eliæ, quando ſuper holocauſtum *quatuor Cados aquæ*, iteratò ſuperinfundere iubet. 1. Reg. 18. 34.

Quintò tandem, in Eccleſiaſte, cap. 12. 6. Memento Dei creatoris tui, &c. *antequam frangatur Cad*, (id eſt hydria) *ſuper ſcaturiginem.*

Ex quibus omnibus locis patet, Cadum, vaſis genus fuiſſe vulgatum, ſed non certæ aut definitæ menſuræ, adhibita quoque fuiſſe id generis vaſa, tàm ad *arida*, quàm *liquida* ſervanda.

TABVLA MENSVRARVM in liquidis.

Log continet ova	6
Duodecim *Logim* faciunt *Hin*, hoc eſt, ova	72
Dimidium Hinis continet 6. Logim, hoc eſt, ova	36
Tertia Hinis continet 4. Logim, hoc eſt, ova	24
Quarta Hinis continet 3. Logim, hoc eſt, ova	18
Sexta Hinis continet 2. Logim, hoc eſt, ova	12
Sex Hin faciunt *Bathum*, qui continet ova	432
Decem Bathi faciunt *Chomerem*, qui habet ova	4320

COLLATIO MENSVRARVM Hebræorum, cum menſuris Ducatus VVirtembergici.

Quia non iucundum tantùm, ſed ad plurimos ſcripturæ locos rectiùs intelligendos vtile quoque, & fructuoſum eſt, ſi, quam proportionem illæ veteres Hebræorum menſuræ ad noſtram Wirtembergicam habeant, ſciamus: ſic enim omnes illos ſcripturæ locos, in quibus aliqua menſurarum mentio fit, ad noſtras ſtatim menſuras referre, & quantitatem earundem, in re quaſi familiari verſantes, exactiùs cognoſcere, & contemplari poſſumus.

Eam ob cauſam proximis diebus examen inſtitui, quid menſuræ Hebraicæ cum menſuris DVCATVS huius Wirtembergici proportionis haberet.

Atque

Digitized by Google

vſualis (habet autem menſura vſualis ova $43\frac{7}{11}$. Huius $\frac{1}{10}$ pars eſt $4\frac{4}{11}$ ova. Ergò decem menſuræ vſuales, minus $4\frac{4}{11}$ ova ſunt Bathus.

Menſura vſualis habet $43\frac{7}{11}$. ova.

IV. *Chomer* ſeu *Corus*, ex prædemonſtratis eſt *decuplum Bathi:* Habet igitur Corus XC. menſuras Ducales ſeu regias, hoc eſt, novem amphoras ſeu cados. **Neun Emi** in Menſura Regia, ſed menſuras vſuales habet Corus XCIX.

TABVLA COMPARATARVM Menſurarum.

Log eſt	Octava menſuræ.
Duo Logim	Quarta menſuræ.
Octo Logim	Menſura.
Hin eſt	Seſqui menſura.
Dimidium Hinis	Tres quartæ.
Tertia Hinis	Dimidium menſuræ.
Quarta Hinis	Tres octavæ. $1\frac{1}{2}$ quart.
Sexta Hinis	Quarta menſuræ.
Bathus habet	Novem menſuras.
Corus vel *Chomer* habet	Nonaginta menſuras.

Sed hæc tota Tabula, vnâ cum ſuperiore, intelligenda eſt de menſura Ducali ſeu Regia.

DE VSV HVIVS COLLATIONIS.

Cognitâ & obſervatâ hâc proportione, non tantùm omnis generis ſacrificia, in quibus Hebræarum menſurarum mentio fit, rectiùs intelligimus, ſed omnes alij ſcripturarum loci, in quibus vel terræ proventuum *ſterilitas*, vel frumentorum *caritas*, vel vaſorum quorundam *capacitas* deſcribitur, tanquam clara accenſa luce illuſtrantur. *Exemplis res fiet clarior.*

EXEMPLA.

Levit. 14. v. 10. deſcriptum extat *ſacrificium pro leproſo*, cui adhibendum fuit *Log olei*, hæc eſt octava pars menſuræ.

Exod. 30. 24. Ad *compoſitionem olei ſancti*, accipere debuit Sacerdos olei olivæ *Hinem vnum*, hoc eſt, ſeſqui menſuram. Eiuſdem menſuræ mentio, occurret etiam in noſtro Ezechiele.

Exod. 29. 40. deſcribitur *juge ſacrificium*, quod ſingulis diebus, manè & veſperi offerendum fuit, cui ſingulis vicibus adhibenda fuit, quarta pars Hinis, hoc eſt, tres octavæ partes menſuræ, & totidem vini ad Libamen. Adeoque ſingulis diebus *tres quartæ olei, & tres quartæ partes vini*, in iugi ſacrificio abſumebantur. **Alle tag drey quart Oel/ vnd drey quart Wein.**

1. Regum 7. 26. deſcribitur *Mare Salomonis*, quod fecit ampliſſimæ capacitatis, in Domo Domini duodecim bobus ſuperimpoſitum: illius menſura indicatur, quod continuerit *bis mille Bathos*. Quæritur capacitas & proportio in menſura noſtra Wirtembergica. Scimus autē ex demonſtratis, *Bathum* continere *menſuras novem* Ducales. Quo numero ſi multiplicaveris, bis mille bathos, prodibunt menſuræ decies octies mille. Quæ collectæ in ſuas ſummas, faciunt plauſtra octodecim, vrnas quatuor, amphoras octo. **Das iſt/ achtzehen Fuder/ vier Eimer/ acht Emi.**

אַלְפַּיִם בַּת יָכִיל׃

Sed notandum hoc loco eſt, hoc idem Mare, quod in præſente loco bis

Collatio locorum in ſpeciem pugnantium.

bis mille Bathos continuiſſe ſcribitur: Id 2. Paralip. 4. 5. ſcribitur continuiſſe ter mille bathos: vbi ſic habetur : מַחֲזִיק בַּתִּים שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים יָכִיל hoc eſt, *comprehendens Bathos, ter mille complebat*. Hæc duo loca quomodo conciliari poſſint, non omnibus in promptu eſt. Dicere enim eſſe ſcripturæ Mendum, vbi ter mille, pro bis mille ſcriptum ſit, id quidem probare non poſſumus: neque tanta, literarum aut ſyllabarum ſimilitudo eſt, vt facilè Scriba labi potuerit. Ideò alij dicunt, capacitatem quidem maris tantam fuiſſe, vt capere potuerit, ter mille Bathos, hoc eſt, viginti octo plauſtra, & duodecim amphoras: Sed tantùm bis mille Bathos, fuiſſe infuſos, ita vt tertia ſemper pars vacaverit. *Alij dicunt:* bis mille bathos menſuram fuiſſe liquidorum: ter mille bathos, fuiſſe menſuram aridorum. Nam vas quod capit bis mille Bathos liquidorum, capere poteſt ter mille Bathos aridorum: cumulus enim aridorum, menſuræ ſuperingeſtus, dimidio totius reſpondere ſolet. **Ein auffgehaufft Simri / gibt anderthalb geſtrichens.** Sed hac de re etiam alibi.

Scrutamini ſcripturas. Attendentes Lectioni.

Eiuſmodi loca, excitare debent noſtram diligentiam ac ſtudium, ne vnica ſtatim lectione, tota Biblia abſolviſſe, & in Abyſſum noſtræ eruditionis abſorpſiſſe videamur. Lege & confer ſcripturæ locos, quam poſſit fieri, diligentiſſimè, ſemper erit in quo exerceri poſſis.

Aliud Exemplum 1. Reg. 7. 38. Fecit etiam Salomon decem *Lutheres*, ſuper decem baſes verſatiles, quorum quilibet continebat *quadraginta bathos*. Hoc eſt, duas vrnas, & quatuor amphoras.

Bathi. 20000.
Menſuræ. 180000.
Vrnæ. 1125.
Plauſtra. 189 $\frac{7}{i}$.

2. Paralip. 2. 10. ſcribitur Salomon, *cæſoribus lignorum* Tyrijs, miſiſſe *vicies Bathos* vini & *vicies mille Bathos* olei יַיִן בַּתִּים עֶשְׂרִים אֶלֶף וְשֶׁמֶן בַּתִּים עֶשְׂרִים אָלֶף : Quæritur de quantitate & proportione menſuræ. Scimus igitur bathũ continere menſuras novem: multiplica ergo vicies mille bathos, per nouem, produces centies octuageis mille menſuras 180000. Hiſce reductis in ſuas ſummas (per 160.) habebis vrnas, mille centũ, viginti quinq; 1125. His reductis in plauſtra, per ſex, habebis plauſtra centum octoginta ſeptem, vrnas tres. Hæc eſt magna vini copia, quam Solomon Tyrijs lignorum cæſoribus, mittere promiſit. Eadem eſt copia olei. *Porrò* pretium quod attinet, ſi vrna vini veneat 10. florenis, exurget pretium iſtius vini noſtrâ moneta, in 11250. florenos. Multò maius fuerit pretium olei. Fuit igitur magnificum donum Salomonis, in cæſores lignorum, &c.

Eſa. 5. v. 10. deſcribitur horrenda proventuum *ſterilitas*, hiſce verbis: *Nam decem iugera vineæ, reddent Bathum vnicum* בַּת אֶחָד : *Et ſementis Chomer, reddet Epha.* Quem locum, niſi diligenter attentatâ, harum menſurarum proportione, non intellexerimus. Scimus enim Bathum habere, novem menſuras ducales, vel decem vſuales, quàm proximè. Vnde patet, ſingula iugera vineæ, non ſingulas menſuras reddituræ, **zehen Morgen Weinbergs / werden nicht zehen maß Wein ertragen.** *Quod horrendum auditu eſt.* **Ein Morg nicht ein Maß.** Similiter *& ſementis Chomer reddet Epha:* vbi cum ſciamus ex ſuperioribus, *Chomerem* eſſe *decuplum ad Epha*, hoc eſt, Epha eſſe vnam decimam partem Chomeris ſequitur tantam fore ſterilitatem, vt proventus ſit futurus, *tantum decima pars, iacti ſeminis.* **Wo man zehen Scheffel ſehet / würdt man nur ein Scheffel Ernden / vnd wo man zehen Simri ſehet / würdt man nur ein Simri Ernden.** Horrenda & deplorãda ſterilitas. Quod igitur Lutherus, hunc locum ita reddidit. **Zehen Acker Weinbergs / ſollen nur einen Eimer geben / vnd ein Malter Samens / ſol nu einem Scheffel geben:** Sciamus in Hebræo eſſe *Bathum & Ephã:* Igitur vrna vini, ſicut

Lutherus

Lutherus reddidit, non de vrna noſtra, quam communiter ita appellamus, **ein Eimer Wein**/ ſed de *Batho*, qui habet *novem* duntaxat menſuras: Et modium, **ein Scheffel**/ non de communi modio, ſed de *Epha*, accipiendum eſſe.

DE PROPORTIONE MENſurarum, Aridorum.

Qua ratione & ſtudio, proportionem menſurarum Hebræarum in *liquidis*, cum noſtris Wirtembergicis, inveſtigaverim, ſuprà expoſitum eſt. Iam proximum eſt, vt ſimilem etiam proportionem perveſtigemus in *Aridis*, quò non tantùm liquidorum, ſed & aridorum cognitas habeamus proportiones. *Quominùs* autem eodem modo expediverim negotium ſuperiùs, id cauſæ eſt, quòd ponderando textum Ezechielis, etiam ſine tali inſtituto examine, ad propoſiti cognitionem, ſatis feliciter nos pervenite poſſe deprehendi.

Ex prædemonſtratis enim conſtat, Ezechiele noſtro ita perhibente cap. 45.v.11. *Bath & Epha fuiſſe Menſuras æquales*: Bath *liquidorum*, Epha *Aridorum*. Cùm igitur conſtet nobis de quantitate Bathi, continere videlicet Bathum, novem menſuras ducales, patet einſdem quantitatis eſſe Epha in aridis. *Epha* igitur, *tantùm Aridorum continet*, *quantùm novem Menſuræ ducales capiunt*. Vel *Epha menſura* eſt, quæ reſpondet vaſi, 10. menſurarum *vſualium* minus $4\frac{4}{11}$. ovis. Hoc eſt, **einer Imi Gelten (der Schenckmaß nach) fehlt nur $4\frac{4}{11}$. Eyerſchalen vol/ ſo were es ein Epha.** *Fundamentum collationis harum menſurarum.*

Hâc *præſuppoſitâ hypotheſi*, quàm ipſe Ezechiel noſter nos edocuit, promptum eſt, aliarum quoque menſurarum proportionem inveſtigare. Nam

Epha facit	*Novem* menſuras Ducales.
Tertia pars Ephæ eſt *Satum*, nam tria ſata faciunt Epha. Habet igitur Satum	*Tres* Menſuras.
Cabus eſt ſexta pars Sati: Nam ſex Cabi faciunt Satum: Habet igitur Cabus	Dimidium Menſuræ.
Quarta Cabi eſt Sextarius: Continet igitur ſextarius	Sex ova, hoc eſt $\frac{1}{8}$ Mēſuræ.
Decuplum Ephæ eſt *Chomer*, Ergo Chomer eſt Aridorum menſura, æquās menſuras	Nonaginta Ducales.
Letheth eſt dimidium Chomeris	45. Menſuræ Ducales.

TABULA CONTINENS PROportionem Menſurarum Hebr. in Aridis, cum menſuris noſtris liquidorum.

Sextarius habet	Partem 8. Menſuræ Ducalis.
Cabus	Dimidium Menſuræ.
Satum	Tres Menſuras.
Epha	Novem Menſuras.
Chomer	Nonaginta Menſuras.
Leteth, quod eſt dimidium Chomeris,	Quadraginta quinque Menſuras.

Decima Ephæ, eſt *Gomer*, illa menſura reſpondet VNI Menſuræ (non Ducali ſed) vſuali, ſi detrahas $\frac{1}{10}$ Menſuræ vſualis, hoc eſt, ova $4\frac{4}{11}$.

Digitized by Google

PROPORTIO MENSVRARVM *VVirtembergicarum inter ſe.*

Ne quicquam tamen hiſce Menſurarum proportionibus deeſſe videatur, *illi* comparandi *termino*, quem Ezechiel nobis propoſuit, *Epha & Bath eſſe menſuram eandem* (ex qua hypotheſi omnia, hactenus propoſita, deducta ſunt) iam amplius addimus, quænam proportio ſit, menſuræ noſtræ liquidæ Wirtembergicæ, ad menſuram Aridorũ, vt inde colligi poſſit, quæ proportio quoque ſit, inter menſuras Aridorum Hebræas, & noſtras.

Modius habet 12 $\frac{7}{16}$ Menſuras regias.

Modius igitur, hoc eſt, **ein Simri /** continet menſuras XII. quartam partem vnam, & ſeſqui octavam (**zwölff Maß / ein Quart / vnd anderhalb Octal.**) Sic accepi ab eo, qui menſuris examinandis iuratus præeſt.

Sequitur *Medimnum* (qui habet octo modios) hoc eſt, **ein Scheffel /** continere *nonaginta novem* menſuras cum dimidia. *Iam ſi proximâ* quantitate dicamus, Modium eſſe menſuras 12$\frac{1}{2}$. Medimnus continet 100. menſuras.

Epha, minor eſt Modio.

Chomer, minor Medimno.

Vnde patet & *Epham* non eſſe integrum *Modium*, **Epha iſt nicht ſo groß als ein Simri.** Deſunt enim adhuc 3$\frac{1}{2}$. menſuræ: Et *Chomerem* nondum eſſe *Medimnum*. Chomer enim habet XC. menſuras: Medimnus verò C. ſuperat igitur Medimnus Chomerem decem menſuris.

Satum quàm proximè æquat Quartam Modii ein Vierling.

Satum autem quàm proximè reſpondet quartæ parti noſtri modij, **einem Vierling.** Nam modius habet 12$\frac{1}{2}$. menſuras, Satum verò menſuras tres: *vnde patet*, Satum quàm proximè æquare quartam modij, deficit tamen quinque vel ſex ovis.

DE VSV HVIVS COMPArationis.

Exempla comparatarum menſurarum.
1. Fames Samaritana.

2. Reg. 6. v. 25. *Fames Samaritana* tanta fuiſſe deſcribitur, vt *quarta Cabi*, ſtercoris columbarum, *quinque Argenteis* venerit. Quæritur, quæ fuerit menſura? Scimus igitur cabum reſpondiſſe in liquidis, *dimidiæ Menſuræ*. Ergo quarta cabi, reſpondit $\frac{1}{8}$ Menſuræ. In comparatione autem Aridorum, Cabus eſt *vigeſima quinta* pars modij *proximè*: Ergo *quarta Cabi*, ferè *ſextam partem* æquat, **eines Vierlings.** Ex qua comparatione, crudelitas famis manifeſta fit: **Ein Octal Taubenmiſt / (das iſt kaum ein Hand vol) galt fünff Silberling.**

2. Abrahami convivium.

Geneſ. 18. 6. *Abraham*, poſteaquam hoſpitio excepiſſet Angelos, Saræ mandat:: Accelera, *tria ſata* ſimilæ commiſce, & coque panes ſubcinericios. Cùm igitur ex præmiſſa proportione pateat, Satum æquare quartam noſtri modij, **ein Vierling /** conſequens eſt, tria Sata æquare, tres quartas, **drey Vierling Meel.** *Similis* explicatio loci eſt, Matth. 13. 33. vbi aſſimilatum dicitur regnum cœlorum, mulieri, quæ abſconderit fermentum, in farinæ *ſatis tribus*, hoc eſt noſtræ proportionis, in tribus quartis vnius modij. **In drey vierling Meel.**

3. Annona charitas remiſſa.

Sic 2. Reg. 7. v. 1. *Eliſæus* de proximè ſequentis diei remittenda Annonæ caritate ita concionatur: *Cras Satum ſimilæ Siclo veniet, Et* duo Sata **hordeorum** *Siclo venient, in Porta Samariæ.* Quæ verba Lutherus ita reddidit: **Morgen vmb dieſe zeit / würdt ein Scheffel Semel Mehl / einen Seckel gelten / vnd zween Scheffel Gerſten einen Seckel / vnter dem Thor zu Samaria.** Quæ verba ſi cum Hebræo textu (vbi *Satum* & *duo Sata* legitur, quod Lutherus reddidit **Scheffel**) & inde cum noſtra menſurarum comparatione conferantur, manifeſtum eſt, in Lutheri Germanica verſione, per vocem **Scheffel /** non intelligendum eſſe *Medimnum*, qui octo modios habens, integrum

ſaccum,

Digitized by Google

ſaccum onus ruſtici, complet: Sed ſignificat ſatum **ein Vierling**. Et veriſimile eſt, dialectum Saxonicam vel Miſnicam, illius etiam minoris menſuræ vaſa, vocare **ein Scheffel**. *Nam* & inter noſtra culinaria ſupellectilia, eſt *vas*, quartam circiter partem modij capiens, quod vulgò appellant **ein Saltzſcheffel**. *Saltzſcheffel.* Eędem voces, in eodem *ſeptimo capite*, 2. Reg. verſ. 16. & 18. occurrunt. Vbi cum in Hebræo, ſimiliter ſit. *Satum, & duo ſata:* ſimiliter, illa loca, de eadem menſura minore, quarta nimirùm modij, intelligenda ſunt, vt ità intelligamus, **es galt ein vierling Semel Mehl / ein Seckel / vnd zwen vierling Gerſten / auch einen Seckel nach dem Wort des HErrn.**

1. Samuel. 1. 24. *Hanna Mater Samuelis, adſcendere fecit eum; quum ablactaſſet eum, cum tribus iuvencis, & Epha vno farinæ, & vtre vini,* hoc eſt, cum tribus ſatis, **mit drey vierling Mehl.** Nam tria ſata faciunt Epha. *4. Munus Hannæ Matris Samuelis.*

Aliud exemplum. 1. Regum. 4. 21. Legimus, panem ſive *cibarium Salomonis* in ſingulos dies fuiſſe *triginta Coros* ſimilæ, & *ſexaginta Coros* farinæ. Quæritur de proportione noſtræ menſuræ. Scimus igitur Corum vel chomerem, decuplum fuiſſe ad Epha. Epha porrò habuit novem menſuras. Sequitur chomerem vel Chorum, habuiſſe Nonaginta menſuras. Multiplica igitur X X X. per X C. habebis menſuras 2700. bis mille ſeptingentas. Divide per centum (Nam centum menſuræ faciunt Medimnum) habebis Medimnos viginti ſeptem. Eâdem ratione, ſexaginta Cori farinæ, reſpondent 54. Medimnis noſtris. Si ſimilam & reliquam farinam coniungas, qua ſingulis diebus vſus eſt Salomonis, Medimnos colliges, octoginta vnum. **Das iſt ein feine Hoffhaltung / da man alle Tag ein vnd achtzig Scheffel Meel brauchet.** *5. Panis cibarius quotidianus Salomonis.*

1. Regum. 5. 11. *ſcribitur*, Salomonem præbuiſſe Chiramo, Regi Tyri, *vicies mille Coros* tritici: Et *viginti Coros* olei. 2. Paralipom. 2. 10. Explicatius dicitur, miſiſſe Salomonem, ſeruis Regis, cæſoribus lignorum *vicies mille Coros* tritici: *vicies mille Coros* hordei: Et vini *bathos vicies mille*, & olei *bathos vicies mille*. Quæritur ſumma, quam adæquent *vicies mille Chori?* *Reſpondetur*: vicies mille Chori, faciunt Medimnos, decies octies mille, **Achtzehen tauſent Scheffel.** Habet enim Corus vel Chomer nonaginta menſuras: quarum centum faciunt Medimnum *proximè*. Tot miſit tritici Salomon, totidem miſit Hordeorum. Ad *vinum* & *oleum* quod attinet, ſicut in Paralipomenis deſcribitur, vicies mille Bathi faciunt noſtræ menſuræ, mille centum viginti quinq; vrnas, hoc eſt plauſtra 187½. vt ſupra planius explicatum eſt. *6. Liberalitas Salomonis, in cæſores lignorum.*

DE PONDERIBVS HEbræorum.

De *Menſuris* hucuſque tractavimus, *Continuorum, Liquidorum, Aridorum*, reſtat, vt de *ponderibus* quoque agamus, de quibus Propheta noſter, *Lances iuſtæ, & Epha iuſtum, & Bath iuſtum eſto vobis.* Sicut autem Bath & Epha, ad *Chomerem*, Regulam determinavit. Ita quoque omnium ponderum rationem, ad *Siclum*. Rationem igitur tàm *Monetarum*, quàm *ponderum* apud Hebræos exploraturis, de *Siclo* Hebræorum dicendum eſt.

I. DE SICLO MONETA.

Siclus, Hebr. שֶׁקֶל pondus à radice שָׁקַל libravit, ponderavit, appendit. Antiquitùs enim, omne Argentum, ſeu ſignatum, ſeu non ſignatum eſſet, non numerabatur, ſed in ſtatera appendebatur. Hinc *æs grave, & impenſas* *De Nomine Sicli.*

graves facere dicebantur, qui magna nomina, & magnos ſumptus faciebant, ſicut adhuc dum hodiè, *Aurum* appendi ſolet.

Duplex igitur fuit Siclus, primùm *pondus*, deinde certa Hebræorum *moneta*, de hac primùm.

1. *Siclus moneta.*

Siclus ſemuncialis æſtimatur dimidio Thaleri Imperialis.

1. *Siclus* apud Hebræos fuit nummus argenteus ſemuncialis, **ein Lot Silber.** Sic enim Ioſephus libro 3. antiquit. cap. 12. *Siclus Hebræorum* quatuor Drachmas *Atticas habet.* Et Hieronymus in Ezech. cap. 4. *Siclus, id eſt, Stater habet* Drachmas quatuor. *Drachmæ autem octo, latinam vnciam faciunt.* Et idem in cap. 45. Ezech. *Siclus, qui græcè dicitur* στατὴρ, *viginti habet obolos.* Hebr. עשרים גרה Ezechiel. 45. 12. In ſtatere autem quatuor Drachmas fuiſſe, alibi demonſtrabitur. Inde æſtimatio Sicli argentei, cum *dimidio Thaleri Imperialis*, Nam Thalerus vncialis eſt, Siclus igitur ſemuncialis, Thaleri ſemiſſis, quadraginta Cruciatis æſtimatus, **ein halber Reichs Thaler.**

2. *Sicli inſcriptio.*

2. De *ſignatura & inſcriptione Sicli, Moſes Gerundenſis*, & ex illo *Benedictus Arias Montanus* ita ſcribunt: *Fuiſſe nummum Argenteum, in cuius altero latere eſſet forma vaſculi illius, quod Mannâ plenum in ſacra Arca, Dei iuſſu, Moſiſq; miniſterio, ad ſæculorum memoriam atque monumentum adſervabatur: in altero autem latere, Ramus ille admirabilis, ſeu Aaronis virga, quæ inter murmura, quando Sacerdotalis dignitas ab æmulis obtrectabatur, cum reliquarum tribuum virgis collecta, poſtero die florebat & Amygdala proferebat. Inſcriptiones etiam habuiſſe, ex altera parte* שקל ישראל hoc eſt, *Siclus Iſraëlis*; *ex altera verò* ירושלם קדשה hoc eſt, *Hieruſalem Sancta.*

Sed videamus aliquot loca, in quibus Siclorum fit mentio, vt in his etiam videamus proportionem, & valorem ad monetam noſtram.

1. *Pretium Abrahami ſepulturæ.*

Geneſews. 23. 15. *Abrahamus* ab Ephron Hethæo agrum emit, ſepulturæ cauſa; *quadringentis Siclis Argenti*, hoc eſt, ducentis Thaleris Imperialibus, vel ex Siclo communi Thaleris centum.

2. *Mulcta in Dominum cornupetæ bovis.*

Exod. 21. 32. Mulcta cuius bos petulcus, alterius ſeruum aut ancillam, occiderit, conſtituitur *triginta Siclorum*, hoc eſt, Thalerorum Imperialium quindecim, vel æſtimatione Sicli communis Thalerorum ſeptem & ſemiſſis.

3. *Pretia & redemptiones rerum votivarum.*

Levit. 27. Totum agit de redemptione rerum votivarum.

Et ſanè redemptio *voti perſonalis*, in viris à nato viginti annos ad ſexagenarium, erat *Siclorum quinquaginta*, hoc eſt, Thalerorum Imperialium viginti quinque, verſ. 3.

Mulier euiſdem ætatis, æſtimabatur *Triginta Siclis*, hoc eſt, quindecim Thaleris Imperialibus, v. 4.

A quinto anno Maris, vſque ad vigeſimum, æſtimatio erat *viginti Siclorum*, hoc eſt, decem Thalerorum. Fœminæ æſtimatio, *decem Siclorum*, hoc eſt, Thalerorum quinque, v. 5.

Ab vno Menſe vſque ad annum quintum, dabantur *Sicli quinque* pro Mare, hoc eſt, Thaleri duo cum dimidio, pro fœmina tres Sicli, hoc eſt Thalerus vnus cum dimidio, v. 6.

Sexagenarius & maior, dabat *quindecim Siclos*, hoc eſt, Thaleros ſeptem cum dimidio, fœmina eiuſdem ætatis dabat redemptionem Siclos decem, hoc eſt, Thaleros Imperiales quinque, v. 7.

4. *Redemptio primogenitorum.*

Numer. 3. 46. Mandaverat Dominus, vt, qui præter numerum Levitarum *primogeniti* inventi eſſent in Iſraël, ſinguli quinis Siclis redimerentur. Reperti autem primogeniti, ſuperantes Numerum Levitarum, CCLXXIII. Quorum Redemptio in ſingulos quinos Siclos computando, excrevit in Siclos, *Mille Trecentos ſexaginta quinque.* Quæ ſumma reſpondet, ſexcentis octoginta duobus Thaleris Imperialibus cum ſemiſſe.

Ioſuæ

Digitized by Google

Ioſuæ 7.21. *Achan* confitetur furto ſe abſtuliſſe, cum Toga Babylonica, *ducentos Siclos* Argenti, hoc eſt, *centum* Thaleros Imperiales: vel Sicli communis valore *quinquaginta*.

5. Furtum Achan.

Iud. 9.4. *Sichemitæ*, ex æde BaalBerith, contulerunt Abimelecho *ſeptuaginta Siclos* Argenti, ad conducendum homines vanos & inſtabiles, quorum operâ vteretur ad occidendum fratres: Illi efficiunt Thaleros *triginta quinque*.

6. Oblatio conducititia Sichemitarum.

2. Samuel. 24. verſ. 24. ſcribitur: Davidem emiſſe ab Arauna, Aream (in qua poſtea Templum ædificatum eſt) & boves, Argenti Siclis *quinquaginta*. *Qui locus* vt intelligatur, conferendus eſt cum 1. Chronic. 21. verſ. 25. ex quo patet, Aream ipſam emptam eſſe ſexcentis Siclis auri, boves verò ad ſacrificium, quinquaginta Siclis Argenti: Ea ſumma ſi computanda ſit, ſciendum, Auri *pretium* vel minimâ commutatione *decuplum eſſe* ad argentum. Qua de re ſuo loco plura. *Sexcenti igitur Sicli Aurei*, æquivalent *ſexies mille Siclis Argenteis*, qui efficiunt Thaleros mille quingentos. Hoc pretium fuiſſet Areæ, in Siclo ſancto: Sin communem ſeu prophanum accipiamus (qui dimidij duntaxat æſtimatur) pretium Areæ fuiſſet, ſeptingentorum quinquaginta Thalerorum. Quinquaginta verò Sicli, bobus impenſi, ſi ſancti fuerunt, Thaleros XXV. ſin communes, XII. cum dimidio efficiunt.

7. Pretium Areæ Araunæ.

Auri pretium ad Argentum decuplum.

2. Regum 6. verſ. 25. deſcribitur *Fames Samariæ*, in eaque Aſini Caput veniſſe *octoginta Siclis* Argenti, hoc eſt, *quadraginta* Thaleris, ſi Sicli fuiſſent ſancti: ſed in re prophana, prophanos quoque Siclos intelligimus, qui valent *Thaleros viginti*. **Iſt noch gnug vmb ein Eſelskopff.**

8. Fames Samaritana.

N B. Luth. vertit acht Silberling.

Caput Aſini.

Ibidem Cap. 7. verſ. 1. & 16. Nunciat *Eliſa*, craſtino die *ſatum vnum* ſimilæ, Siclo, & *duo Sata* Hordei, etiam Siclo ventura eſſe, hoc eſt, quadraginta cruciatis, ſecundum Siclum ſanctum: Aut viginti cruciatis ſecundum communem.

9. Remiſſa Annonæ caritas.

2. Regum 15. verſ. 20. *Menahan* Iſraëlis Rex, tributum exegit, quod daret Regi Aſſyriæ, quinquagenos Siclos Argenti, viritim. Hoc eſt 25. Thaleros, ſecundum Siclum ſanctum: Thaleros autem XII. cum dimidio, ſecundum communem.

10. Tributũ Iſraëliticum.

3. De *partibus Sicli*, Propheta noſter Ezechiel, præſente cap. 45. verſ. 12. ita habet: וְהַשֶּׁקֶל עֶשְׂרִים גֵּרָה *Et Siclus viginti obolorum*. Eadem leguntur Exodi 30. verſ. 13. Levit. 7. verſ. 25. Numer. 3. 47. & 18. 16. Deſcendit autem גֵּרָה fortè ex Radice גָּרַר *Serrâ diſſecuit*. Eſt enim Gerah, quaſi pars exciſa ex Siclo. *Si porrò* quæratur de valore Gerah, deprehendetur Gerah, æquivalere duobus crucigeris. Nam *Siclus* valet *ſemiſſem Argentei vncialis*, ſeu *dimidium Thalerum*, hoc eſt, cruciatos quadraginta: Gerah igitur, Sicli pars viceſima, valet cruciatos duos.

3. Sicli partes.

Siclus habet viginti Gerah.

Gerah valet duos crucigeros.

Legimus etiam de alijs Sicli partibus, *Semiſſe* videlicet, *Triente*, & *Quadrante*.

De *Semiſſe*: Exod. 30. 13. vbi *Hebræis maribus*, viginti annis natu maioribus, *Capitatio* (hoc eſt, Tributum in ſingula capita) imperatur, *dimidium Sicli*, cuius valor æquat viginti cruciatos.

Semiſſis Sicli 20 crucigeri.

De *Triente*, Nehem. 10. 33. *Nehemias* poſt reditum ex Babylonia, imperat Tributum annuum, Trientem Sicli in cultum Domus Domini, ad panes nimirum diſpoſitionis, iuge ſacrificium & holocauſta feſtorum. Fuit autem valor Trientis Sicli, $13\frac{1}{3}$ *Crucigerorum*. **Ein wenig mehr dann ein Bononier oder Münchskopff.**

Triens Sicli $13\frac{1}{3}$ crucigeri.

De *Quadrante*, 1. Samuel. 9. 8. Famulus Saulis quærentis parentis Aſinas, dicit: *Ecce in manu mea præſentem quadrantem Sicli Argentei*, hunc dabo viro iſti

Quadrans Sicli 10. crucigeri.

Digitized by Google

Dei, vt indicet nobis viam noſtram. Æſtimatio iſtius decem cruciatorum, vel quinq; Sicli communis.

QVÆSTIO DE ARGENTEIS, quibus venditus fuit Salvator.

Non incommodè hoc loco, ὡς ἐν παρόδῳ tamen, explicari poteſt quæſtio, quales & cuius æſtimationis fuerint Argentei xxx. illi, quibus venditus fuit *Salvator*, à Iuda proditore. De illis namque alij aliter ſentiunt.

Primùm autem extra dubium eſt, fuiſſe Argenteos, ita namq; textus habet, Matth. 26. 15. *Conſtituerunt ei, triginta Argenteos.* Quanquam autem non addatur, *Sicli* nomen, vſus tamen ſcripturæ eſt, vt ſubaudiatur, *quoties numiſmatis ſpecies non exprimitur.* Sicli igitur fuerunt. *Præterea*, quia tranſactio iſthæc facta eſt, cum *Sacerdotibus*, in cauſa, vt ipſis quidem videbatur *ſancta*: Iudas etiam, nefariæ ſuæ proditionis pœnitentiâ ductus, pretium nequitiæ, in *Templum* proiecit: tum ipſi quoque Sacerdotes, eandem pecuniam in *corbonam* (κορβονᾶν) ſeu *Gazophylacium* Templi mittere non dubitaſſent, niſi pretium fuiſſet ſanguinis, Matth. 27. 6. Ex quibus omnibus conſtat, ſiclos illos fuiſſe *Siclos ſanctuarij*, quorum ſinguli æquarunt dimidium Thaleri. *Triginta igitur Argentei, quibus venditus fuit Salvator, faciunt noſtræ monetæ, quindecim Thaleros Imperiales.* Atque hoc pretium eſt, quo deſideratus gentium, Dominus & Creator cœli & terræ eſt divenditus.

Nota phraſin ſcripturæ.

2. *DE SICLO PONDERE.*

De Siclo hactenus *Moneta*, ſed eodem nomine *pondera* quoque venerunt: quam quidem ſignificationem Radix Hebr. *primariò* exprimit: Nam שָׁקַל ſignificat, *ponderavit, libravit, appendit.* Siclus igitur, vt pondus, *primum ſignificatum* eſt: quia verò, & Argentum & Aurum, etiam appendebatur, ideò *Siclus Moneta*, ſignificatum eſt *ſecundarium.* Quia porrò de Siclo Moneta prius, iam de *Siclo pondere.* Huius autem rationem facile intellecturus eſt, qui ea, quæ de Siclo Moneta diximus, probè notaverit. *Duplicem* eum diximus eſſe: *Sacrum & Communem*: Et *ſacrum* quidem ſemiuncialem, **Ein Lot am Gewicht.** *Communem* autem dimidio minorem.

Eadem eſt ratio *Sicli ponderis.* Nam ſacrarij Siclus ſemivnciæ reſpondet, **ſo viel Seckel/ſo viel Lot.** Siclus autem communis, dimidio minor eſt: **Ein halb Lot.** *In quocunque igitur oblato exemplo*, numerum Siclorum ſiquidem *ſacri* fuerint, per triginta duo divide (*Tot enim ſemunciæ* ſunt in libra Regia ſeu communi) & efficies libras. Sin Sicli *communes*, fuerint, divide per 64. Tot enim Sicilici (**halb Lot**) ſunt in libra vna: *Vel* Redige Siclos *communes*, bipartiendo *in Siclos ſacros*: *Hos eâdem ratione in vncias*, vncias *deniq; per ſedecim* in libras. Videamus exempla.

Siclus ſacer eſt ſemuncia.

Siclus communis Sicilicus.

REGVLA practica, ponderum Hebræorum.

EXEMPLA DE SICLO PONDERE.

Primùm omnium hoc loco explicandus venit locus *Amos cap. 8. Audite hæc, qui deglubitis pauperem & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit menſis, & venundabimus frumenta, & Sabbathum, & aperiemus frumenta, vt imminuamus Epha, & augeamus Siclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.* Ex quibus verbis, hoc *primum*, manifeſtum eſt, ambas voces, *Epha* & *Siclum*, συνεκδοχικῶς poſitas eſſe, illam pro *menſura*, hanc pro *pondere.* Quod autem dicitur vt imminuamus Epha, & magnificiamus ſive augeamus Siclum; לְהַקְטִין אֵיפָה וּלְהַגְדִּיל שֶׁקֶל *hunc habet ſenſum*, avaros illos annonæ flagellatores (**Kornwürm**) hoc dare operam,

I. Imminuere Epham & augere Siclum. Amos 8. 5.

Digitized by Google

operam, vt *minuta menſura* (quam *Micheas* Propheta *menſuram macilentam*, ſeu *tenuem* appellat Mich. 6. v. 10.) vendant frumenta, ſed non, niſi *aucto pondere*, accipiant pretium. **Sie geben ein klein Mäßlin vmb doppelt Gelt.** Hoc eſt, **was ſie außgeben/ iſt zu wenig: Was ſie dargegen einnemmen/ iſt zu viel.** Apparet igitur vocem *Sicli* etiam pro pondere accipi, quod primùm explicari oportuit: iam alia videamus.

Minutam Menſuram aucto pretio vendere.

2. Oblationes Principum ad Tabernaculum.

Numer. 7. Cap. *Erecto Domini Tabernaculo*, & conſecrato *Altari*, Principes populi, ſinguli tribuum, ſingulis diebus ſacra vaſa, ad miniſterium pertinentia, ex ordine offerunt, atque inter illas oblationes, ſinguli Principes, ſingulas ſcutulas Argenteas obtulerunt, quarum vnaquæq; habuit in pondere, Siclos centum & triginta. Singulos etiam crateres Argenteos, quorum quiſq; habuit Siclos ſeptuaginta, ſecundum pondus Sicli ſacri. Hic Siclorum numerus, ſi ſecundum duodenas tribus multiplicetur, producuntur Sicli ſcutularum, mille quingenti ſexaginta. Craterum, octingenti quadraginta. Omnis Argenti ſumma, collati in miniſterium Tabernaculi, Siclorum *bis mille quadringentorum*. Quæ ipſa dicto capite Num. 7. verſu 85. collecta legitur. *Quæritur, quot libras faciant bis mille & quadringenti* Sicli? Quia Sicli ſacri fuerunt, vt apertè Textus docet, fuerunt *ſemunciales*. Divide igitur dictos Siclos, bis mille quadringentos per triginta duo (tot enim ſemunciæ, libram efficiunt) & habes quæſitum: *Libras* videlicet *ſeptuaginta quinq;*. Cuius Argenti pretium & ipſum expeditum eſt. *Singuli* enim *Sicli Argenti æſtimantur ſemiſſe Thaleri Imperialis*. Dimidium igitur dictæ ſummæ Siclorum, numerat Thaleros Imperiales, qui vnciales ſunt, pretium nimirùm collati Argenti in miniſterium Tabernaculi, Thaleros *mille ducentos*. *Eâdem planè* ratione expedies munera ſingulorum Principum. Singuli enim ſingulas ſcutulas obtulerunt, habentes in pondere, *Centũ triginta Siclos*, hoc eſt, *libras quatuor, vnciam vnã*: Quæ ſumma Argenti, *ſexaginta quinq; Argenteis vncialibus*, ſive Thaleris Imperialibus reſpõdet. Crateres porrò ſinguli, habuerunt in pondere *Siclos ſeptuaginta*, hoc eſt, *Libras duas, vncias tres*. Quod Argenti, reſpondet Thaleris vncialibus ſive Imperialibus *triginta quinq;*. Scutularum igitur & craterum pretium, quos ſingulos ſinguli Principes obtulerunt, in vnum computatum, ſurgit in *Thaleros centum*. Vnde patet omnium Principum munera in Argento, quorum, ſecundum 12. tribus, duodecim fuerunt, eſſe, *Thaleros mille ducentos* eandem planè ſummam, quam & ſupra produximus.

Oblationes ſinguli ſingulorum.

3. Capilli Abſolonis.

Aliud exemplum, 2. Samuel. 14. 27. legimus, *Capillos Abſolonis*, quos ſingulis annis detondebat, appendiſſe ducentos Siclos, pondere regio: Centum Siclos igitur pondere ſacro, qui efficiunt libras tres cũ duabus vncijs vel octava libræ. *Pondus certè ſatis magnum*, & ad miraculum grave, capillorum anniculorum vnius hominis: vix enim lanoſa ovis tantum annicularum proferat, quantum capillorum caput vnum Abſolonis. *Vnde ſunt interpretes*, qui numerum certum pro incerto poſitum eſſe arbitrentur. Sicut Chriſtus Petro dixerit, Fratri de die *ſeptuagies ſepties* condonandum eſſe, hoc eſt, *ſæpius*: Ita capillos Abſolonis appendiſſe *ducentos* Siclos, hoc eſt, *plures* Siclos, adeò totum Abſalonis caput, quotannis plurimis capillis circumvallatum fuiſſe.

Sed ex textu non obſcurè patet, de certo pondere ſermonem eſſe, cùm non tantùm iſtud exprimatur, appenſionem illam ſecundum Siclum Regium intelligendam, ſed in Argumentum ponderis etiam addatur, *prægravatum* fuiſſe caput Abſolonis, mole capillorum. Singularis igitur fuit illa copioſa cæſaries, & quia ſingularis, tanquam res miraculoſa, in hiſtorias relata.

Digitized by Google

DE SICLO PONDERE IN *Auro*.

De Siclo Argenti hactenus, tàm monetâ, quàm pondere. Iam de Siclo Auri, quanquam de auri ſignati Siclo nihil in ſacris, ſed quoties ibi Sicli in Auro mentio fit, ſemper de materiæ pondere intelligendum. Hoc autem argumentum vt ritè expediatur, primùm Auri ad Argentum *proportio*, quæ minimâ computatione *decupla* æſtimatur, notanda eſt. Id quod authoritate Menandri probatur, qui, quod Talentum Auri appellaverat, mox (collatione Argenti) vocârit Decatalentum. Et relatione T. Livij, qui de bello Macedonico, libro octavo, poſteaquam conditiones pacis cum Ætolis factæ, expoſuiſſet, ſubijcit tandem Senatus comprobationem hanc: *De pecuniæ ſumma quam penderent, penſionibusq; eius, nihil ex eo, quod cum Conſule convenerat, mutatum: pro Argento, ſi aurum dare mallent, dare convenit, dum pro Argenteis decem, aureus vnus valeret.* Quibus verbis Senatus Romanus, de proportione & præſtantiâ Auri ad Argentum *decupla*, æſtimationem aperit, quæ licet hodiè maior habeatur, propter rotunditatem tamen, in ijs rebus, quibus nullum ſalutis periculum ineſt, eadem nos veſtigia preſſuri, eandemq; in Auri argentiq; pretijs obſervaturi ſumus proportionem, nihil eo quoque impediti, quòd monetarum æſtimationes, indies ferè mutari ſolent. Nos enim tàm Argenti quàm Auri, certam fixamque æſtimationem nobis è repræſenti conſtituentes, quotidianis vulgi mutationibus nihil movebimur, nihilominus Deo dante, ad mediocrem quæſtionum propoſitarum cognitionem perventuri, & tantò maiorem in ſequentibus excurrentis calculi ſummis, fidem promerituri, quantò hæc Auri argentiq; proportio eſt minor.

Proportio Auri ad Argentum decupla.

Thalerum igitur Ioachimicum, ſeu quosvis alios, qui Imperij legibus *vnciales cudi debent*, viginti Batzijs, ſemiſſem, ſemuncialem Batzijs decem (quorum quindecim ſive cruciati ſexaginta ſunt in floreno) æſtimamus. Atque hinc ex data proportione, Siclus Auri, qui & ipſe ſemuncialis eſt, ſemiſſem Ioachimici, *decies*, hoc eſt, Batzios centum, ſive Thaleros ſolidos quinq; habebit.

Thalerus Imperialis.

Aureus Rhenanus valeat cum Thalero, hoc eſt, viginti Batzijs, ſive cruciatis octoginta.

Aureus Florentinus ſeu Rhenanus.

Coronatus, qui ſcutatus etiam appellari ſolet, valeat centum cruciatis: Quatuor igitur Coronati, cum Thaleris quinque permutabuntur, & viciſſim.

Coronatus.

Ducatus Vngaricus æſtimetur florenis duobus, & cruciatis tredecim, quâ ratione Ducati tres itidem cum quinq; Thaleris conferuntur, vnico deficiente cruciato, qui Thaleri vnius pars eſt octogeſima.

Ducatus.

Quibus datis, facilis eſt Auri Argentique, ad præſens noſtrum negotium quod ſpectat, æſtimatio, mutuaq; in ſe permutatio, minutioribus argutijs Argentarijs & nummularijs commendatis.

Nam Siclus auri ſemuncialis, proportione Argenti *decuplâ*, quinque Thaleris Imperialibus valet: Ergò Talentum, in quo ſunt *ter mille Sicli* (vti paulò pòſt demonſtrabitur) Thaleris decies quinquies mille 15000. Et Auri drachma, quæ Sicli quarta pars eſt, Thalero vno, cum cruciatis viginti.

In *permutatione* autem, ſicut ſe habent tria ad quinque, ita Ducati ad argenteos Imperiales, & viciſſim. *Rurſus*, ſicut ſunt quatuor ad quinq;: ita Coronati, in noſtra æſtimatione ad Imperiales Thaleros, & vice verſa. *Aurei Rhenani* verò cum Imperialibus æquivalent. Sunt igitur in Talento auri ſacro, *Ducati* novies mille: *Coronati* duodecies mille: *Aurei Rhenani* quindecies mille. Hanc æſtimationem noſtram, licet vera auri proportio, quam hodiè valere videmus, exuperet, propter rotunditatem tamen numerorum, & proportionum commoditatem, antiquis etiam nô inuſitatam, ad præſens inſtitutum &

Permutatio Auri & Argenti.

ſatis

Digitized by Google

ſatis accommodatum, & veritati, quantum hîc vſus & opus eſt inveſtigandæ, ſatis accuratam atque argutam iudicamus. Hinc ſurgit:

REGVLA practica; *Siclos Auri* quotcunque in Exemplo dato *quinquies* numera, colliges ſummam Thalerorum vel aureorum Goldgülden/ qui in iſto Siclorum numero continentur. *Quater* numera, & videbis eorundem æſtimationem in Coronatis. *Ter* numera, eorundem Siclorum produces Ducatos. *Exempla.* *REGVLA PRACTICA.*

Numer. 7. In collatione Inſtrumentorum Tabernaculi, *Principes* præter vaſa Argentea, de quibus in ſuperioribus dictum, etiam acerras ſeu Thuribula aurea obtulerunt, ſinguli Principes acerras ſingulas, denorum Siclorum Auri. *Pretium* inveſtigaturus, multiplica decem Siclos per *quinq*, producis Aureos Rhenanos, ſive Argenteos Imperiales Goldgülden oder Reichsthaler quinquaginta. Multiplica eoſdem Siclos per *quatuor*, efficies eorundem pretium Coronatorum quadraginta. *Per tria* multiplica decem Siclos, & colliges pretium eorundem, Ducatorum triginta. *1. Collationes in Inſtrumenta Tabernaculi.*

Hos & illos, ſi in Thaleros vel Aureos Rhenanos permutare placuerit, per dictam ſuperiorem proportionem res expedita eſt. Sicut enim ſe habent *tria ad quinque*, ita Ducati ad Thaleros Imperiales: Et rurſus ſicut ſunt *quatuor ad quinque*, ſic Coronati ad Argenteos imperiales. Quâ examinatâ proportione, vtrobique ijdem Imperiales aut Rhenani prodeunt. Hoc vnum Exemplar inſtar omnium ſit. Vna namque & eadem, omnium atque ſingulorum eſt Ratio. *Regula permutandi Aurum cum Argento.*

Iam omnium Thuribulorum aureorum pondus fuit, quod ipſum Num. 7.86. diſertè exprimitur, Siclorum *centum & viginti*; qui æſtimatione noſtra in ſe continent *Imperiales* ſexcentos; *Rhenanos* totidem, *Coronatos* quadringentos octoginta. *Ducatos* trecentos ſexaginta. Et hi notis proportionibus, in Argenteos Imperiales reducti, ſinguli in ſuis ſummis exhibent Imperiales ſuos ſexcentos.

Memorabilis eſt *victoria*, quam Iſraëlitæ contra Madianitas obtinuerunt, Numer. 31. Poſteaquam enim maſculos in vniverſum omnes, & fœminas, quæ virum expertæ eſſent, occidiſſent, de gregibus item pecudum, boum & Aſinorum ingentem egiſſent prædam: Aurum quod comparârant omne, in expiationem & Euchariſtiam DEO obtulerunt. Fuit autem *Aurum* iſtius oblationis, ſicuti Moſes dicto cap. Num. 31. v. 52. accuratè numerat, *ſedecies mille, ſeptingentorum quinquaginta Siclorum.* Qui æſtimatione noſtra multiplicati, aperiunt ſummam *Thalerorum*, quos continent, ter & octogies mille ſeptingentorum quinquaginta. *Coronatorum* ſexagies ſepties mille. *Ducatorum* deniq; quinquagies mille, ducentorum quinquaginta. Quorum hi & illi, notis proportionibus cum Argento collati, eundem Imperialium numerum, octogies nimirùm & ter mille, ſeptingentorum & quinquaginta exhibent. Magnus certè opulentiſſimæ prædæ Theſaurus. *2. Præda Madianitica.*

Ioſuæ 7.21. Inter *Anathemata* furto ablata per Achan, lingua aurea fuit quinquaginta Siclorum, illi, quia communes illos fuiſſe intelligimus, Siclos ſacros efficiunt viginti quinque: Et hi multiplicati per quinque exhibent pretium Thalerorum centum viginti quinque. Coronatorum centum. Ducatorum ſeptuaginta quinque. *3. Furtum Achan.*

Idem pondus, idemque pretium fuit, quinquaginta Siclorum auri, ex quibus Salomon *Clavos* aureos fecit, in fabricam Templi inſumendos, 2. Paralipom. 3.9. *4. Clavi Aurei.*

3. DE

Digitized by Google

3. *DE MINA*

Hebr. מָנֶה.

De *Siclo* hactenus: ſed Propheta noſter *Minarum* etiã mentionem facit. Sic enim Ezech. 45. v. 12. *Similiter ad Siclum viginti obolorum. Porrò viginti Sicli, viginti quinque Sicli quindecim Sicli, Minam faciunt.* Hoc eſt, ſicut ad *Chomerem*, tàm aridorum, quàm liquidorum menſura examinanda eſt, ita ad *Siclum*, examinatur *Mina.* Vbi *primùm* de nominis ratione, *inde* verò de eiuſdem valore & pondere agendum eſt.

Significatio & natura vocis Mina.

Man, vnde nomen habeat.

Exod. 16. 15.

Vox igitur מָנֶה in plurali מָנִים à verbo מָנָה deſcendit, quod *numerare* ſignificat. Quam vocem tàm Græci, quàm Latini, in re numaria retinuerunt. Hinc enim eſt illorum μνᾶ, horum autem Mina, certam Auri Argentiq; ſummam exprimens. Significat igitur מָנֶה, μνᾶ vel Mina *certum quendam numerum* emphaticῶς. Ein gantze Zahl. Cuiuſmodi vocis etiam Germanicæ vſum, negotiatores maximè, ſimiliter habent, qui certum cuiuſcunq; rei numerum, appellare ſolent Ein Zahl. Et hanc eandem ipſam ob cauſam, *panis ille angelicus*, quo Dominus Hebræos per quadraginta annos in deſerto ſuſtentavit, Man appellabatur מָן, ex eadem radice, מָנָה numeravit, quia cibum illum Dominus, *ſingulis in numerato deſtinabat.* Quando igitur dixerunt Hebræi vnus quiſq; ad proximum ſuum, מָן הוּא, מָן הוּא, Man hoc: Man hoc, hunc habet ſenſum: Neſcimus ſanè, quid hoc cibi ſit, quicquid autem ſit, iſtud eſt quod dono nobis, ſuppeditat Dominus, ſicuti per Moſen promiſſum erat, præcedente verſu 8. *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & manè panes in ſaturitate.*

Æſtimatio Minæ.

Porrò, quid ſit Mina Hebræorum, ex Ezechielis textu ſatis dilucidè patet. Dicit enim: *viginti* Sicli, *viginti quinq;* Sicli, *quindecim* Sicli, *Minam* faciant. In Minam igitur veniunt, Sicli *ſexaginta*, qui in ſanctuarij Argento efficiunt *Thaleros triginta.*

In *auro* (decupla proportione) *Thaleros* trecentos, *florenos aureos* totidem: *Coronatos* ducentos quadraginta: *Ducatos* centum octoginta.

Atq; hæc Mina ſacra omnes aliarum gentium Minas, *quantitate* ſuperat.

Medica namque ſive Ægyptia, vncias pendit ſedecim, hoc eſt, Libram Zygoſtaticam.

Mina *Syriaca*, vncias octodecim.

Mina *Alexandrina*, vncias viginti:

Mina *Attica minor*, drachmas ſeptuaginta quinque: *Attica maior*, drachmas *centum*, & ſic libra Romana maior, quatuor drachmis. Exempla.

1. Trecenta ſcuta aurea Salomonis.

1. Reg. 10. 17. ſcribitur *Salomon* feciſſe *trecenta ſcuta* aurea, & in ſingula illa inſumpſiſſe, ternas Minas auri, hoc eſt, 720. Coronat. Quando igitur in materia Regia, Regios quoq; ſive communes Siclos, intelligendos eſſe non dubium eſt, propterea 360. Coron. Non vnicum autem, ſed trecenta eiuſmodi ſcuta aurea fecit Salomon, pretium itaque omnium fuit 108000. Coronatorum 135000. Thalerorum.

2. Oblatio Principum ad Reſtaurationem Templi.

Eſdræ 2. 69. Primates ad reſtaurationem Templi conferunt, *quinquies mille Minas* Argenti. Cùm igitur ſingulæ Minæ. 30. Thaleris valeant, quos itidem hoc loco communes intelligimus, ſequitur totam oblationem fuiſſe ſeptuagies *quinquies mille* Thalerorum.

3. Alia oblatio.

Nehemiæ 7. v. 71. ſcribuntur *Principes* in reſtaurationem operis contuliſſe, bis mille minas & ducentas. Cùm igitur Mina vna, in Siclis communibus faciat Thaleros quindecim, ſequitur oblationem Principum fuiſſe *tricies ter mille* Thaleros.

4. Oblatio populi.

Ibidem ſequenti verſu 72. Memoratur *populum* obtuliſſe bis mille Minas Argenti, ille ſecundũ computationẽ noſtram, & Siclum communem faciunt, tricies mille Thaleros. Hiſce in locis, nec *pluribus* puto, vox מָנִים occurrit.

In N. Teſt. Luc. 19. 13. & ſequentibus vtitur Evangeliſta aliquoties, voce *μνᾶς*, v. 13. vocatis decem ſervis ſuis dedit eis, decem *mnas*, hoc eſt, ſingulis Minas ſeu mnas ſingulas. v. 16. Domine *mna* tua decem *mnas* acquiſivit. Et v. 18. Domine *mna* tua fecit quinque *mnas*. Qui locus & ipſe ex ſuperioribus planus & apertus eſt. Quia enim conſtat, *Minam communem* conſtare 15. Thaleris, ſive argenteis vncialibus, *ſequitur quinque Mnas* facere 70. Thaleros: Et *decem* Mnas facere centum quinquaginta Thaleros. *5. Locationes Regis.* *Luc. 19.*

Ne prævaricationis hoc loco à quoquam poſſemus accuſari, monendum fuit, de collatione Minæ, cum Aureorum quibuſdam ſolidis, ex duobus ſcripturæ locis inſtituenda. Quorum prior eſt, 1. Reg. 10. 17. vbi ſcribitur, Salomonem trecentos clypeos ex auro ductili confeciſſe, ſingulas ex trinis Auri Minis. Poſterior 2. Paralip. 9. 16. extat: ijdem trecenti clypei ſinguli ex trecentis aureis fabrefacti referuntur. Vnde patet ſingulas minas, cum centenis aureis conferri. Sed qui nam illi, & cuius æſtimationis aurei fuerint, non facili puto coniectura expediri. Nam Siclos quidem hoc ſanè loco intelligi non poſſe, inde patet, quòd integra mina, non amplius ſexaginta minis conſtat, quomodo igitur centum & octoginta Sicli, quos tres minæ habent, cum trecentis Siclis æquiparentur? Habet quidem Attica mina maior centum drachmas, ſed nec illæ quæſtionem ſatis commodè diſſolvunt. Quicquid ſit, vnus aureorum illorum tribus Aureis Florentinis, ſive Rhenanis valuiſſe (ſingulis viginti Batzijs æſtimatis) calculo deprehenditur. Palmam tulerit, qui monſtrârit indicaturam. Vbi ſimul enorme antiquæ tranſlationis vitium notandum, 1. Regum 10. 17. vbi trecentas numerat minas, pro tribus. Quæ res occaſionem aliquibus dedit, periculoſiùs de rerum deſcriptarum ſumma diſputandi, plus ſatis difficultatis Hebræarum divitiarum calculus habet, qui certis & immotis ſcripturarum fundamentis innititur, vt nihil opus ſit, alienis tranſlationibus rem, antea fidem hominum excedentem, reddere intricatiorem. Hebræis invigila codicibus, quiſquis primævam ſcripturarum amas veritatem.

4. DE TALENTO,

Hebr. כִּכָּר.

De *Mna* hactenus. Iam de כִּכָּר ſeu *Talento*. Quanquam enim in præſentia, Propheta noſter Ezechiel nullam Talenti mentionem faciat, quia tamen eodem ductore in ponderum & nummorum rationem atq; examen ingreſſi ſumus, & alibi in ſcripturis frequentiſſimus Talentorum vſus eſt, ipſum Argumentum rei ad horum etiam conſiderationem nos invitat.

Ad *nominis rationem* quod attinet, illa ipſis Hebræis obſcura eſt. Nam כִּכָּר de tribus rebus diverſiſſimis dicitur. 1. *Primum* de *terra*, & ſignificat planitiem, vt, Geneſ. 13. 11. *Et elegit ſibi Loth omnem planitiem* Hebr. אֵת כָּל־כִּכַּר הַיַּרְדֵּן *Iordanis*. Et mox verſ. 12. *Et Loth habitavit in vrbibus planitiei* בְּעָרֵי הַכִּכָּר Sic 2. Samuel. 18. v. 23. *Et cucurrit Achimaaz via planiciei* דֶּרֶךְ הַכִּכָּר. Et alibi. 2. *Secundo* dicitur de *pane*, vt Exod. 29. 23. *Et accipies* tortam *panis*. כִּכַּר לֶחֶם Sic 1. Sam. 2. 36, *Omnis reſiduus in domo tua, veniet ad incurvandum ſe, pro minuto Argenti & torta panis* כִּכַּר לֶחֶם: Proverb. 6. 26. *Propter mulierem Meretricem vſq. ad* tortam *panis* ſc. devenitur. Ein Hur bringt ein vmb das Brot/ Hebr. עַד־כִּכַּר לֶחֶם vſq; ad tortam panis, hoc eſt, ſcortatio bona exhaurit; vt vix bucella panis ſuperſit. *Ratio nominis ipſis Hebr. obſcura.* *Sumitur:* *1. De terra.* *2. De pane.*

3. *Tertiò* accipitur de *Metallis*. Kikar *Auri*, Kikar *Argenti*. Qui vſus vocis omnium frequentiſſimus eſt, vt in exemplis patebit: Græci τάλαντον, Latini *Talentū* dicunt, à ταλάω fero, ſuſtineo. Significat enim τάλαντον, *interdum ſtateram* libram ſeu lancem, interdum *pondus ipſum*, quod Lanci ponderandum imponitur. Quod ipſum Hebræis eſt Kikar. *3. De Metallis.*

G Porrò,

Inveſtigatio valoris Kikar ſeu Talenti.

Porrò, quando de valore, Kikar quæritur, quæſtio iſthæc ex cap. 38. Exodi, verſibus 25. & 26. dilucidè explicari poteſt. Duo namque Moſes ibi exponit: *Alterum* de *Recenſione* populi, numeratum videlicet eſſe populum, & deprehenſos fuiſſe *ſexcenties & ter mille, quingentos & quinquaginta* viros. *Alterum* de eiuſdem *capitatione*, oblationem namq; recenſitis in ſingula capita impoſitam eſſe, dimidium Sicli. Fuerunt igitur dimidiati Sicli totidem, quot recenſitorum, *ſexcenties* nimirum & *ter mille, quingenti & quinquaginta:* ex quibus fiunt Sicli integri, *trecenties & ſemel mille, ſeptingenti & ſeptuaginta quinque.* Hanc *ſummam* dicit Moſes in libra effeciſſe *centum* ככר, hoc eſt, *centum Talenta, cum mille ſeptingentis ſeptuaginta quinq, Siclis*, ſecundum Siclum ſacrum. Inveſtigaturus igitur valorem ſeu pondus vnius Kikar, ſubtrahe ex tota ſumma oblationis, Siclos mille ſeptingentos, ſeptuaginta quinque, manifeſtum eſt, reſiduos *Trecenties mille Siclos*, facere Kikar centum. Inde patet, *vnum Kikar* continere *Siclos ter mille. Vnde* non tantum *pondus*, ſed etiam *pretium*, & *valor* cuiuſcunq; ſummæ Talentorum, facile inveſtigari poteſt. Cuius rei haſce trado *Regulas practicas.*

N.B. Kikar ſeu Talentum habet TER MILLE Siclos.

REGVLÆ practicæ.

1. Convertere Talenta in Siclos.

I. *Regula.* Inveſtigaturus *pondus* Talentorum, multiplica numerum Talentorum ſeu Kikarim *per ter mille*, habebis Siclos, eiſdem reliquos Exempli Siclos adijce, ſi qui adhæſerint, productum divide per triginta duo ſi Sicli ſint ſacri. Siclus enim ſacer ſemuncialis eſt, Sedecim autem vnciæ, vel triginta duæ ſemunciæ, efficiunt libram. Kikar igitur in libra efficit nonaginta tria pondo cum tribus quartis.

Kikar $93\frac{3}{4}$ pondo.

II. Inveſtigare Talentorum pretium in Argento.

II. Regula. Inveſtigaturus *pretium* Kikarim ſeu Talentorum in Argento, multiplica numerum Kikarim, per ter mille Siclos (*tot enim Siclos habet Kikar vnum*) & habebis Argenteos ſemunciales, ſeu dimidios Thaleros Imperiales, ſi quidem Sicli fuerint ſancti, ſin communes, ſumma erit dimidio minor. Secundum hanc Regulam, *Kikar Argenti* (quod habet Siclos ſacros ter mille) valet Thaleris *Imperialibus mille & quingentis.*

Kikar Argenti.

III. Definire pretium Talentorum in Auro.

III. Regula. *Inveſtigaturus* pretium Kikarim Auri, multiplica numerum Kikarim ſeu Talentorum Auri per *ter mille Siclos*, productum rurſus multiplica, per *quatuor Siclorum Drachmas*, quibus procreatis, æquali numero reſpondent *Coronati*, vel calculo breuiori: Talentorum numerum recenſe *duodecies millies*, videbis datorum Kikarim *Coronatos.*

E X E M P L A.

1. Oblatio Recenſitorum.

Exod. 38. v. 25. legitur: Oblationem *Recenſitorum* fuiſſe *centum Kikarim, cum mille ſeptingentis, ſeptuaginta quinque Siclis.* Huius ſummæ valorem inveſtigaturus, multiplica centum Kikarim per ter mille Siclos, produces 300000. Siclos: Hiſce adde Siclos Exempli adhærentes, habebis 301775. Siclos ſacros, illos divide per Duo (*totidem enim Thalerum Imperialem faciunt*) & habebit quotiens 150887. Thaleros cum dimidio.

2. Indictio Aſſyriaca.

2. Reg. 18. 14. *Sannheribus*, Aſſyriorum Rex, indicit Regi Ezechiæ *trecenta Talenta ſive Kikarim Argenti*, & *triginta Talenta* Auri: iam de Argento, de Auro poſtea. Multiplica trecenta Talenta per ter mille Siclos, proveniunt: 900000 Sicli communes, vel ſacri 450000: qui faciunt Thaleros 225000. ſive Coronatos 180000, hoc eſt, Auri Tonnam vnam cum dimidia & amplius. Tanta fuit *indictio Aſſyriaca*, *in Argento.* Quæ Auri ſumma fuerit, poſtea videbimus.

3. Pretium fœderis Aſſyriaci.

2. Reg. 15. 19. *Manahem*, Iſraelis Rex, dedit Phul, Regi Aſſyriorum, *mille Kikarim Argenti*, vt ſibi ad Regni confirmationem auxilio eſſet. Inveſtigaturus huius Argenti valorem, multiplica mille Kikarim per *ter mille* Siclos, produces 3000000. hoc eſt, ter millies mille Siclos communes, vel ſacros 1500000. millies quingenties mille Siclos, hoc eſt, Thaleros 750000. ſive Coronatos ſecenties mille 600000. ſex Tonnas Auri, ſive Ducatos Vngaricos 450000,

1. Paral.

1.Paral.22.v.14. *Ecce,in afflictione mea*, hoc eſt; inter plurimas Regni difficultates,& tumultus bellicos, *præparavi ad Domum Domini*,auri Talenta centies mille מֵאָה־אֶלֶף : *Et Argenti*, millies mille Talenta, Hebr. אֶלֶף אֲלָפִים כִּכָּרִים Argenti huius ſummam computaturus, multiplica *millies mille Talenta*, per *ter mille Siclos*,produces,*ter millies millenos mille Siclos* 3,000,000,000. Quos ſi communes intelligamus,faciunt *ſacros* 1500,000,000.hoc eſt,*millies quingenties millenos mille*, ſive *Thaleros* 750,000,000. vel *Coronatos* 600,000,000. *Sexcenties millenos mille*,hoc eſt,*ſexcentos milliones* Auri : ſive quinquies mille Tonnas.

4. Impenſa Davidis ad futuram Templi ſtructuram in Argento.

Sechshundert Millionen Gold.

Matth.18.24. *Chriſtus dicit* in rationibus Regijs,oblatum eſſe ſervum, qui debuerit *decies mille Talenta*. Illa faciunt Siclos communes 30000000.ſacros 15000,000.Hoc eſt,Thaleros: 7500000. ſeu Coronatos, 6000,000. hoc eſt,ſexaginta Tonnas Auri.

5. Debitum Servi nequam. Matth.18.24.

Eâdem planè ratione computari poſſunt *Talenta*, quæ Rex ſervis ſuis ad negotiandum dedit,Matth.25.v.15.&c.Quorũ vni dedit *vnum*,alteri *duo*, Tertio, *quinq; Talenta*. Nam *Talentum commune vnum*, facit Siclos communes 3000.*ſacros* 1500. hoc eſt, *Thaleros* 750. *Duo Talenta* faciunt *Thaleros* 1500. *Quinq; Talenta*,Thaleros 3750. *Decem* igitur *Talenta*,quæ habuit ille, qui cum quinq; Talentis,alia quinq; lucratus eſt, faciunt 7500. Thaleros. *Hæc de Talento* Argenti.

6. Lucra ſervorum fideliter negotiantium. Matth.25.

DE TALENTO AVRI *Exempla.*

Regula practica eſt: *Kikarim Auri* multiplicandos eſſe per *ter mille* Siclos: Siclos porrò,per *quatuor* Drachmas: Sic produci vnius Talenti 12000.Coronatos,ſive ſcutos.

Regula.

Exod. 25.39. *Pondus Candelabri* ſive Lychnuchi aurei,cum omnibus inſtrumentis & vaſis ſuis,fuit *Kikar*,ſive *Talentum vnum*.Hoc eſt,Sicli 3000. Qui multiplicati per 4. exhibent Coronatos 12000. *Candelabrum certè pretioſum & elegans.*

1. Candelabrum aureum.

Exod.38.v.24. *Aurum oblationis*, quod in Tabernaculi ſtructuram expenſum eſt,fuit 29.*Talentorum*,& 730. *Siclorum ſacrorum Auri.* Talenta igitur 29. Siclos faciunt 87000. Quibus ſi Exempli Siclos adijcias,fiunt 87730. Et hi multiplicati per quatuor,producunt Coronatos 175460.

2. Oblatio Auri ad Tabernaculum.

2.Reg.18.14. *Indictio* ſeu *mulcta Sannheribica*,quâ mulctavit Ezechiam Regem,fuit *triginta Kikarim Auri*, qui faciunt *Siclos communes* 90000, vel *Coronatos* 180000. hoc eſt, *ſeſqui tonnam Auri*, *cum tricies mille Coronatis*. *Tota* igitur *mulcta* Sannheribica,tàm in Auro,quàm in Argento fuit *trium Tonnarum Auri*,cum *ſexagies mille* Coronatis. Dimidium Auro, dimidium Argento diſſolvenda.

3. Mulcta Sanheribica temporibus Ezechiæ.

1.Reg.9.14.*Hiram* Tyri Rex,*Salomoni* Regi, ad abſolvendum ſtructuras, quas cœperat, miſit *centum viginti Talenta Auri*, quæ faciunt 360000. *Siclos communes*,hoc eſt 180000.Coronatos. Pro qua Auri ſumma *Salomon* Hiramo viginti Civitates dedit,in limite Regionis, 1.Reg.9.11. Qua occaſione,duo loci in ſpeciem pugnantes conciliari poſſunt. Nam hîc 1.Reg.9.11. *Salomon* dicitur iſtas viginti Civitates dediſſe *Hiramo* Regi: ſed 2.Chron.8.14.dicitur *Chiramus*, viginti Civitates dediſſe *Salomoni*: Quorum conciliatio hæc eſt : Poſteaquam Salomon dediſſet illas Hiramo, non autem placuiſſent illi, vt legimus, 1.Reg.9.v.12.13.quam ob cauſam locum,*terram Chabul*, hoc eſt, terram diſplicentiæ vocavit,eaſq; Salomoni amicè reddidit,à quo prius acceperat. Vtrumque igitur verum eſt, & Salomonem Chiramo, & Chiram Salomoni,viginti Civitates dediſſe. Id quod ex ignorantia hiſtoriæ Lectorem turbare poteſt.

4. Munus Tyri Regis in ſtructuras Templi.

Conciliatio locorum in ſpeciem pugnantium.

G 2 Ibidem,

Digitized by Google

5. Aurum Salomonis ex Ophir.

Ibidem 1. Reg. 9. v. 28. Servi *Salomonis* ex *Ophir* attulerunt, Auri *quadringinta viginti Talenta*, אַרְבַּע־מֵאוֹת וְעֶשְׂרִים כִּכָּר Illa faciunt *Siclos communes* 1,260,000. hoc eſt, *Coronatos* 2520000. ſive *duos cum dimidio Milliones*, & vicies mille Coronatos.

6. Aurum annuum ex Ophir. NB. 666.

1. Regum 10. 14. *Pondus Auri*, quod Salomoni *quolibet anno* ex Ophir obveniebat, fuit *ſexcentorum ſexaginta ſex Kikarim* ſeu Talentorum auri. Illa faciunt *Siclos ſacros* 1998,000. hoc eſt, *Coronatos* 3,996,000. ſeu *tres milliones, novem Tonnas*, & *nonagies ſexagies mille Coronatos*: hoc eſt, Solis 4000. Coronatis minus, quàm *quatuor milliones*.

7. Impenſa Davidis ad futuram Templi ſtructuram in Auro.

1. Paralip. 22. 14. *David* inter *Afflictiones* ſuas dicit, ſe præparaſſe ad ſtructuram Domus Domini centies mille Kikarim ſive Talenta Auri. Illa faciunt *Siclos communes* 300,000,000. hoc eſt, *Coronatos* 600,000,000. ſive *ſexcentos milliones*, aut *ſexies mille Tonnas Auri*. His ſi addantur 600,000,000. Coronati (quos, vt ſupra vidimus, in Argento eadem planè ſummâ præparaverat) proveniunt 1200,000000. hoc eſt, *duodecies centum milliones Auri*, ſive *duodecies mille Tonnæ Auri. Immenſa* certè *Auri argentiq; vis*, præparata ad ædificium Templi Domini.

Notate Magnates orbis.

Sed has ipſas opes, quas Regni tempore futuro operi præparavit David, idem iam morti vicinus, ex peculio ſuo cumulatiſſimè locupletavit, ſuoque illo Exemplo & exhortatione, Principes etiam ac proceres, vt idem facerent, invitavit. Sic enim priori Paralipom. cap. 29. 3. legimus: *Eſt mihi peculium Auri & Argenti, quod ſupra omne id, quod præparavi in Domum ſanctuary trado, tria millia Talenta Auri* (quæ valent 18,000,000. Coronatis, hoc eſt, octodecim milliones Auri) Et ſeptem millia Talenta Argenti. Quæ faciunt Siclos communes 21,000,000. ſacros 10500000. hoc eſt, Thaleros 5250000. ſive Coronatos 4200000. hoc eſt, quadraginta duas Tonnas. Summa ſpontaneæ Regiæ collationis, ex peculio 22,200,000. hoc eſt, *viginti & duo milliones* cum duabus *Tonnis* Auri.

Summa ſpontaneæ collationis.

1. Paral. 29. v. 7.

Hoc *Exemplo* iam iam emorientis Regis, excitati Principes familiarum ac tribuum, ſpontaneâ oblatione & ipſi obtulerunt, Auri Talenta quinquies mille, & drachmas (אֲדַרְכֹּנִים) decies mille: & Argenti, Talenta decies mille. Faciunt, quinquies mille Talenta Auri: 30,000,000. Tricies millies mille Coronatos, hoc eſt, triginta milliones Auri, & decies mille Talenta Argenti, faciunt 6,000,000 Coronatos, hoc eſt, ſex milliones Auri.

De Drachmis.

Ad decies mille Auri Drachmas ſive אֲדַרְכֹּנִים quod attinet, quos Principes præter integra Talenta obtulerunt; ſciendum eſt, drachmam, (quæ vox, ex Hebræa דַּרְכְּמוֹן vnius literæ א μετάθεσει, originem trahit) eſſe quartam partem Sicli. Quia igitur Talentum habet ter mille Siclos, ſequitur, drachmas Talenti, eſſe duodecies mille, quibus totidem æquivalent Coronati: Ergò decies mille Drachmæ, quarum hoc loco mentio fit, valent Siclo communi Coronatos 5000. Extra præſentem locum, adhuc ſemel duntaxat mentio fit אֲדַרְכֹּנִים Eſdræ videlicet cap. 8. 27.

Eſdra 8. 27.

Summa omnis collationis ad ſtructuram Templi.

Iam ſi placet omnem Auri Argentique vim, quæ in Templi ſtructuram collata eſt, in vnam ſummam reducere, res factu eſt facilis.

Nam Theſaurus Davidicæ præparationis eſt Coronatorum.	1200000000
Theſaurus eiuſdem ex peculio collatus	22,200,000
Theſaurus ſpontaneæ collationis Principum	36,005,000
Summa omnium	1258,205,000

Hoc eſt duodecies centum quinquaginta octo millionum & duarum

Tonnarum

Tonnarum Auri, cùm quinquies mille Coronatis. Theſaurus certè planè Regius ad vnius ædis ſacræ ſtructuram, cuius magnitudinem & nobilitatem nunquam ſatis intelligimus, niſi valorem Talentorum ad noſtras monetas reſolvamus.

Sapient. 7. 10. Super ſalutem & ſpeciem dilexi ſapientiam, & propoſui illam pro luce habere, &c. Venerunt autem mihi bona pariter omnia cum illa, & innumerabiles divitiæ in manibus illius. Græc. Ἦλθε δὲ μοι τὰ ἀγαθὰ ὁμοῦ πάντα μετ' αὐτῆς, καὶ ἀναρίθμητος πλοῦτος ἐν χερσὶν αὐτῆς.

Deducti Calculi veritas.

Hactenus per Siclos, vncias, libras, minas, Talenta, tàm ponderum, quàm monetarum Hebræarum, rationes expoſuimus, atq; illas, vt expoſitum eſt, ita ſe habere, ex compoſitionibus maiorum è minoribus ſatis luculenter patet. Vbi de Talentis hoc cum primis obſervandum, *decies mille drachmas*, quod in Exemplo 1. Paralip. 29. 7. vidimus, nondum efficere Talentum vnum, cui duodecies mille drachmas ineſſe vidimus. Inde namq; evidenter apparet, Talentum, in adductis Exemplis, non minoris, quàm dictum eſt, ponderis, indicaturam eſſe. Quibus haud parum ſuffragatur, quod ex Livio & alijs Authoribus conſtat, Græcos etiam & Aſiaticos populos *ſena millia Drachmarum* Talento tribuiſſe. Quam ipſam computandi rationem, in multis ſuperioribus & nos obſervavimus. Duplum verò ipſum calculum noſtrum exprimit: ſi tamen rixoſo non aliud placet, vt omnium ſummarum dimidium capiat, per nos licet: verùm ne ſic quidem ſiniſtræ multorum curioſitati ſatisfactum iri, haud exiguus eſt metus.

Talentum Græcum 6000. Drachmarum.

Talentum Achaicum.

Livius de bello Macedonico.

Talentum autem Achaicum 6000. denarijs valuiſſe, ex Livio conſtat, qui mille ducentos Achæos, centum Talentis redemptos eſſe ſcribit, cùm in capita quingenti denarij ſtatuti eſſent. Sunt igitur centum Talenta, mille ducenti denarij (tot redemptorum erat) quingenties. Quingenti enim denarij capitibus indicti.

Talentum Æginæum.

Sed Æginæum, alijs Talentis Græcis maius, ex denarijs 10000. Tale nimirùm, quale poſcebat Lais, Myrias Drachmarum. Hinc decies mille illæ Drachmæ, de quibus 1. Paralip. 29. 7. Talentum Æginæum fuerunt, quo ipſo tamen Talentum Hebræum, bis mille drachmis fuit maius.

APPENDIX DE DENArijs Novi Teſtamenti.

Quæ de Siclo Hebraico tàm pondere, quàm monetâ, & partibus eiuſdem, tùm etiam de Talentis & Drachmis diximus, ea ſufficere poterant, non tantùm ad explicationem loci noſtri Prophetici, ſed ad omnes etiam alios Scripturæ locos Vet. Teſt. in quibus vel ponderis, vel monetæ, aut pretij fit mentio. Quia verò in Nov. Teſtam. nullus Siclorũ, ſed denariorum vſus eſt, in gratiam Lectoris, etiam de Denarijs aliquid ſubijciam, vt occaſione noſtri Ezechielis inſtructi, tàm in Novo, quàm in Veteri Teſtamento, pretiorum ſummas & valorem, expeditè ſupputare & explicare valeamus.

Denarius Drachmalis.

Denarius igitur Romanorum moneta fuit, ſed cuius ille valoris ex Plinij loco manifeſtum eſſe poteſt, qui naturalis hiſtoriæ libr. 21. cap. 34. ita ſcribit: *Quoniam in menſuris quoque ac ponderibus, Græcis nominibus vtendum eſt: interpretationem eorum ſemel in hoc loco ponemus. Drachma Attica (ferè enim Attica obſervatione Medici vtuntur.) Denarij Argentei habet pondus.*

Ex quibus Plinij verbis, apertè patet, Denarij pondus fuiſſe drachmale, hoc eſt, Denarium appendiſſe octavam partem vnciæ, ſeu quartam ſemunciæ: Quam partem hodiè, vulgus ineptiſſimè Quintulam vocat, ein Quintlin/ cùm non quinta, ſed quarta ſit ſemunciæ.

Digitized by Google

Sed idem hoc, vt ad Denarium drachmalem accedamus, patet ex collatione Latinorum & Græcorum Scriptorum, Romanæ hiſtoriæ. Quod enim Latini denarios dixerunt, id Græci Scriptores, eaſdem referentes hiſtorias, expreſſerunt per drachmas. Vnde ſatis conſtat, drachmas & denarios, vnius ponderis fuiſſe. *Vnum & alterum Exemplum videamus.*

Plinius, naturalis hiſtoriæ *libr. 8. capite* 57. Ita ſcribit: *Veniſſe murem ducentis nummis, Caſilinum obſidente Hannibale: cumq; qui vendiderat, fame interyſſe, emptorem vixiſſe annales tradunt.* Eandem hiſtoriam explicatius refert *Valerius Maximus* libr. 7. cap. 6. Hiſce verbis: *In illa obſidione* (Caſilinenſi ſcilicet) *& fide, cum trecenti præneſtini permanerent, evenit, vt ex his quidam, murem captum, du*centis potius denarijs *vendere, quam ipſe leniendæ famis gratiâ, conſumere mallet. Sed credo* (inquit Valerius) *Deorum providentia effectum, vt & venditori, & emptori, quem vterque merebatur, exitum attribuerit. Avaro enim fame conſumpto, manubijs, ſordium ſuarum frui non licuit. Æqui animi vir ad ſalutarem impenſam faciendam, care quidem, verum neceſſariè comparato cibo vixit.* Hactenus Martialis. Hanc eandem ipſam hiſtoriam Strabo, libro V. referens, dicit, venditum fuiſſe (ſcilicet Murem) ducentis Drachmis: Et venditorem, quidem, mortem oppetiſſe, emptorem autem evaſiſſe incolumem. Verba Strabonis ita habent. Ἐπὶ δὲ ῥώμης κασιλῖνον ἵδρυται ἐπὶ τῷ κλτυρνῳ ποταμῷ. Ἐν ᾗ πολιορκούμενοι Πραινεστίνων ἄνδρες μ. καὶ φ. πρὸς ἀκμάζοντα Ἀννίβαν ἐπὶ τοσοῦτον ἀντέσχον, ὥσθ' ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραχθέντες μέδιμνον ὁ μὲν πωλήσας ἀπέθανεν, ἐσώθη δὲ ὁ πριάμενος. Hoceſt, vt Guarinus Veronenſis, Strabonis interpres reddidit: *Romam autem verſus Caſilinum eſt, ad flumen vulturnum, in quo Præneſtini milites X L. & D. adverſus Hannibalem, varijs inſtructum copijs, tamdiu obſidionem pertulere, dum invaleſcente fame, modius* drachmis ducentis *venundaretur, & venditor quidem mortem appetierit, emptor autem incolumis evaſerit.* Vbi quidem μέδιμνον legimus, ſed rectè obſervavit Agricola, μῦν, hoc eſt, murem legendum eſſe: quod quidam hiſtoriæ Romanæ ignarus, per notam ſeu abbreviationem ſcriptum fuiſſe ratus, perperam ſcripſit μέδιμνον. Et quàm hic error omni ſuſpicione careat, vel inde patet, quod ſi Strabo, de Medimno loquutus fuiſſet, neceſſario frumenti, vt tritici vel hordei, vel alius ſpeciei, mentio fuiſſet facienda. Quod cum non ſit factum, de tanto errore, Strabo ipſe, meritò excuſatus habendus. Sed hoc miſſo, patet Strabonem, ducentos denarios, per ducentas drachmas, expreſſiſſe.

Sic vbi Cicero libro 16. ad Atticum, Epiſtola 5. ita ſcribit: *Magna molitur Octavianus: Veteranos, quiquè Caſſilini, & Calatiæ ſunt, produxit ad ſuam ſententiam:* nec mirum, quingenos denarios dat. Id Dionyſ. lib. 45. ita reddidit: ὁ καῖσαρ, &c. ὑπισχνεῖτό τε σφίσι πολλά, καὶ ἔδωκεν εὐθὺς τότε καὶ ἀνὰ πεντακοσίας δραχμάς. Cæſar (ex capua magnam manum contraxit) ijs multa pollicitus eſt, deditq; confeſtim ſingulis quingenas drachmas.

Sed pluribus Exemplis, quibus demonſtretur, Latinos Auctores denarium vocaſſe, quod Græci drachmam, & contra, in præſentia nihil eſt opus: Satis eſt ex vno & altero, illud indicaſſe. *Quanquam ignotum non eſt*, in hiſce etiam, & pondus & valorem, vt in omnibus fieri ſolet, fuiſſe immutatum. Sic enim idem Plinius libro 33. cap. 9. *Miſcuit denario triumvir Antonius ferrum, miſcuit æri. Alij e pondere ſubtrahunt, cum ſit iuſtum LXXXIIII. & libris ſignari.* Hoc eſt, iuſtum denarij pondus illud eſt, quo *octoginta quatuor* denarij, tollunt libram vnam, in qua ſunt duodecim vnciæ, ſive drachmæ Nonaginta ſex. Vnde patet vnciam vnam, habere denarios non amplius ſeptem. Si enim libra, ſive vnciæ duodecim, habent iuſtos denarios octoginta quatuor, ſequitur vnciam vnam habere denarios ſeptem: cùm drachmas habeat Atticas octo.

Adeoq; ſecundum hunc locum Plinij, *Denarius iuſtus* olim habuit drachmam

mam vnam, *cum eiuſdem parte ſeptima*: Id quod planum tibi fuerit, ſi vnius libræ Romanæ drachmas nonaginta ſex, per octoginta quatuor, qui inde ſignari ſolebant, denarios, fueris partitus. Quin & illud nos non latet: Denarium aliquando habuiſſe *Drachmam cum Scrupilo*, hoc eſt, cum parte ſui tertia: Priſciano indicante, qui ex LXXII. Denarijs, drachmas XCVI. conſtituit, & Livio, qui Tetradrachmam dicit, ponderis trium denariorum fuiſſe.

Quia tamen dicto loco, denarium diminutum eſſe dicit Plinius, inde factus eſt drachmalis, id quod nobis ad intelligentiam locorum ſcripturæ Novi Teſtamenti, vt accommodatiſſimum, ita abundè ſufficientiſſimum eſt. Nam accuratiores, & magis ſubtiles, de hac re diſputationes, libenter alijs relinquimus. Videantur *Georgij Agricolæ* diſſertationes, de menſuris & ponderibus Romanorum contra Alciatum. pag. 183. & ſeqq.

Hoc fundamento poſito, *denarium fuiſſe drachmalem*, iam *primum* omnium inde de denarij pretio conſtat. *Denarij æſtimatio.* Quia enim Argenteus vncialis ſeu Thalerus Ioachimicus Batzijs XX. ſive cruciatis octoginta valet: ſequitur denarium drachmalem, qui octava vnciæ pars eſt, valere cruciatis decem.

Deinde, hoc ipſo cognito, plures ſcripturæ loci clariùs illuceſcunt. Talis enim denarius fuit, cuius inſcriptione & imagine monſtratâ, celebris illa diſputatio, *vtrùm liceret cenſum dare Cæſari, nec ne?* definita & abſoluta eſt. Matth. 22.19. *Oſtendite mihi* (inquit Chriſtus) *numiſma cenſus, & illi obtulerunt ei denarium.* Ille fuit nummus drachmalis, Tiberij Cæſaris nomine atque imagine inſignitus, valorem habens decem cruciatorum. Quod exiguum ſanè tributi fuit, ſed Iudæis, non tàm propter imaginem, quod quidam arbitrantur, quàm propter libertatis diſpendium, & iugum ſervitutis exoſum.

1. Matth. 20.13. *Paterfamiliâs* operarijs ſuis, qui in vinea laboraverant, mercedem diſtributurus, obmurmuranti dicit: *Amice, nunquid ex denario convenisti mecum.* *1. Merces operariorum.* Conventio igitur mercedis diurnæ, fuit decem cruciatorum, tãta videlicet, quanta ēt noſtro tempore mercenarijs, quàm proximè exponi ſolet. *2. Symbolum hoſpitale.*

2. Luc. 10.35. *Samaritanus*, eius, qui inter latrones ceciderat, curam agens, hoſpiti commendat, duos denarios, hoc eſt, cruciatos viginti, profert.

3. Matth. 18.28. *Debitum conſervi* fuit *centum denariorum.* Ex valore igitur *3. Debitum conſervi.* denarij, decem cruciatorum, prodit ſumma debiti *ſedecim* florenorum, & *cruciatorum* quadraginta, quę exigua valdè & minuta ſumma eſt, ſi ad debitum decies mille Talentorum conferatur, de quo ſupra.

4. Iohan. 6.7. Dicit *Philippus*: *ducentorum denariorum* panes, non ſufficiunt *4. Ratiocinia Philippi.* eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Horum pretium eſt florenorum triginta trium, & cruciatorum viginti.

5. Ex his etiam pateſcit pretiū *muris Caſilinenſis.* Venit enim *ducentis denariis*, *5. Pretium muris Caſilinenſis.* teſte Valerio. Quod pretium, venditorē avaritia ſordidum enecavit: Emptori verò, in neceſſitatis caſu, neceſſarios exponenti ſumptus, conſervavit vitam.

6. Ioan. 12.5. Ad *Mariæ*, ſororis Lazari factum, Iudas Iſchariotes ita obmurmurat: *6. Nardus Mariæ.* quare hoc vnguentum non venijt *trecentis denariis*, & datum pauperibus? Confer pretium, ex ſtatuto denarij valore, & prodibit ſumma, quinquaginta florenorum.

7. Act. 19.19. Poſteaquam *Paulus* Epheſi cōcionatus eſſet, multi, qui crediderant, *libros Magicos*, quibus antea deditì fuerant, in vnum comportatos, igni *7. Libri Magici Epheſiorum.* combuſſerunt, & computatis pretijs, invenerunt Argenti *Myriadas quinque*: συνεψήφισαν τὰς τιμὰς αὐτῶν, καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. Vbi ſi ex ꝓprietate ſcripturę denarios intelligamus, facit ea ſumma cruciatos 500000. h. e. flor. 8333⅓.

Niſi Græcam Monetam, *Ciſtophoros videlicet*, ſubintelligendam quis judicet, cum Epheſus Græciæ civitas fuerit. Quæ autem proportio ſit Ciſtophororum ad denarios, ex hoc Feſti loco patet, citante Budæo de Aſſe pag. 206. Eubicum Talentum, nummo Gręco, ſeptem millium & quingentorum

ciſtophorum eſt : noſtro , quatuor millium denariorum. Eſt igitur proportio denarij ad Ciſtophorum, $1\frac{7}{8}$. hoc eſt, denarius propè duplus eſt ad Ciſtophorum. Nam hâc proportione, 15. ciſtophori valent 8. denarios. Ergo 50000. ciſtophori, faciunt denarios, $26666\frac{2}{3}$. Hos denarios ſive drachmas, ſi per decẽ cruciatos multiplicaveris (Tanti enim denarium drachmalem æſtimamus) provenient cruciati $266660\frac{2}{3}$ qui faciunt florenos 4444. crucigeros $26\frac{2}{3}$. Quæ ſumma dimidio ferè minor eſt, quàm ſi denarios ſubintelligamus. Adhuc maxima tamen, propter duas cauſâs. *Primùm* enim oſtendit pretium magicorum librorum, Epheſios magicis artibus, extremè ac perditè deditos fuiſſe. *Deinde* maximam illorum fidem celebrat, qui agnita ſcelerati ſtudij pernicie, nulla ratione ſumptuum habita, tot florenorum libros, publicè combuſſerunt.

Sed liceat mihi hoc loco, meas coniecturas de ciſtophoris explicare. Act. 19.24. ita legitur: *Demetrius quidam, Argentarius, faciens ædes Argenteas Dianæ:* vbi certum eſt numiſmata intelligi, quibus ædium ſeu Templorum imagines inſculptæ erant. Quos ipſos nummos ego Ciſtophoros iſtos eſſe judico, quorum Feſtus mentionem facit. Sicuti hodiè *moneta Bononienſis*, propter effigiem capitis monachalis, Monachi caput appellatur.

DE DIDRACHMA.

De Denario hactenus, quem drachmalem fuiſſe, hoc eſt, quartam ſemunciæ, vel octavam vnciæ probavimus: Inde prõptum eſt de Didrachma quoq; cuius etiam in Evangelica hiſtoria mentio fit, iudicare. Sic enim Matth. 17.24. cùm Ieſus veniſſet Capernaum, acceſſerunt, qui didrachmam accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachmam? ὁ διδάσκαλος ὑμῶν, ού τελεῖ τὰ δίδραχμα, Cùm ergo denarius drachmalis ſit, patet, didrachmam, duos valere denarios, hoc eſt, crucigeros viginti.

DE STATERE.

Chriſtus pro ſe & Petro ſolvit ſtateram.

Ex eodem Evangeliſtæ loco, etiam *Stateris* pateſcit valor. Cùm enim ſingulis ſolvendum eſſet Didrachma, iubet Salvator Petrum, vt ex piſcis ore, quem miſſo hamo capere debeat, acceptum ſtaterem, pro ambobus ſeſe exſolvat. Solvenda ergo fuerunt duo didrachma, quæ ambo *Tetradrachma* ſive *Siclum* faciunt: Siclus enim ſemuncialis (quod dudum novimus) quatuor drachmas habet. Chriſtus igitur pro ſe & Petro, Siclum exſolvit, hoc eſt, hodierni valoris 40. cruciatos. Ne tamen Chriſtus, ſtaterem ſolvendo, vel plus, vel minus, quàm duo didrachma ſolviſſe exiſtimari poſſit, ſentẽtiam noſtram confirmat *D. Hieronymus* (Ezechiel. cap. 3.) *Siclus, inquit, ſtater eſt, hoc eſt, drachmæ quatuor.* Sicut igitur *Didrachmum* nummus fuit, binas drachmas, ſeu dimidium ſicli valens: Ita *Stater* ſeu *Tetradrachmum* nummus fuit, ſiclum integrum, vel quatuor valens Drachmas.

Hîc commoda mentio fiat eius, quod Ioſephus ſcribit, libro 7. de bello Iudaico, cap. 27. *Veſpaſianum* Iudæis, vi ſubactis, cenſum impoſuiſſe, vt ſingulis annnis, binas drachmas Capitolio inſerrent, quas antea Templo Hieroſolymitano pendebant. Legimus enim Exod. 30. v. 13. *Omnis qui tranſit ad recenſitos, dimidium Sicli dabit, iuxta Siclum ſanctuary. Siclus viginti obolos habet, media pars Sicli offeratur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & ſuprà, dabit pretium. Dives non addet ad medium Sicli, & pauper nihil minuet, ſuſceptamq; pecuniam, quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in vſus tabernaculi teſtimony.* Hûc reſpiciens *Veſpaſianus*

ſianus, ipſum illum cenſum didrachmalem, quem prius Tabernaculo & inde Templo Hieroſolymitano ſingulis annis inferebant, indixit Hebræis, vt annuatim porrò Capitolio Romano inferant. Ex quibus conſtat & quantitas cenſus, binarum videlicet drachmarum; ſeu dimidij Sicli: Et quoties ſolvendus, ſingulis videlicet Annis: Et quibus ſolvendus, omnibus minorum recenſitis, hoc eſt, viginti annis maioribus: adeoque viritim fuit conſtitutus cenſus, non domeſticatim, hoc eſt, in ſingula *capita*, nec in ſingularum ædium *patresfamiliâs* tantùm. Neque tamen exiſtimandum eſt, *Veſpaſianum* cenſus illius initium feciſſe. Cum ex Evangelica hiſtoria conſtet, *Auguſtum* primum tributum orbi indixiſſe. Qua occaſione *Maria virgo*, Domini Mater, Bethlehemum venit, & Chriſtus proximè citato loco vnâ cum Petro cenſum didrachmi ſolvit. Quæ omnes obſervatæ circumſtantiæ textum Evangelicæ hiſtoriæ reddunt illuſtriorem. Caput autem præſentis diſquiſitionis eſt, *Staterem fuiſſe Siclum* ſive Tetradrachmum, vt dictum eſt. Propterea Chriſtus pro duobus Didrachmis, ſolvit ſtaterem.

DE ASSARIO.

Matth. 10. 29. ita legimus: *Nunquid duo paſſeres Aſſe veneunt, & vnus ex illis, non cadit ſuper terram ſine patre veſtro.* Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται. Quem locum vt intelligamus, quid videlicet ἀσσάριον fuerit, conſulendus eſt *Plinius* libro 33. cap. 3. vbi ſic legimus. *Argentum ſignatum eſt Anno vrbis quingenteſimo octogeſimo quinto. Q. Fabio conſule, quinque annis ante primum bellum punicum: Et placuit denarius, pro decem libris æris, Quinarius, pro quinque, Seſtertium pro dipondio ac ſemiſſe.* Ex quibus Plinij verbis hoc primùm patet, ἀσσάριον vel libellam; fuiſſe decimam partem denarii, placuit enim *denarius* pro *decem libris*, ſive *libellis* aut *aſſibus*. Cùm igitur ex ſuperioribus conſtet, denarium drachmalem valere decem cruciatis, ſequitur ἀσσάριον vel aſſem æris, nummulum fuiſſe; valoris *vnius cruciati.*

Nota. Legendum ſecundum hiſtorias quadringenteſimo, &c.

Aurum ſignatum eſt, anno 62. poſt.

Æſtimatio Aſſarii.

Deinde ex ijſdem Plinij verbis etiam hoc eſt manifeſtum, *Seſtertium* nummum eſſe denarij quadrantem. Eſt enim *Seſtertius dimidium Quinarij*, hoc eſt, aſſes duo & ſemis, cuius nota hæc eſt. Budæus: *Seſtertius* nunquam æreus fuit, ſed ab initio ſtatim duos aſſes valuit & ſemiſſem: Aſſis verò æreus erat.

Seſtertius, denarii quadrans.

Budæus de aſſe libr. 2.

Vbi obiter hoc attingo, per Seſtertium, ſive *Seſtertios* Maſculino genere tot intelligi nummos argenteos Seſtertios, quot præſente numero exprimuntur. Sed per *Seſtertia*, neutro plurali, tot millia Seſtertiorum ſignificantur.

Differentia inter Seſtertios, Seſtertia, & Seſtertium.

Per *adverbia* denique & *Genitivum pluralem* expreſſa, toties *centena millia* deſignantur. *Exempli gratia.*

I. Ab *vno* Seſtertio vſque ad *mille*, Maſculino genere dicuntur Seſtertij: *1. Singuli ſeſtertij.*

Seſtertius vnus	1
Seſtertij duo	2
Seſtertij centum	100. &c.

II. *A millibus* vſque ad *centum millia*, plurali *neutro* efferuntur: *2. Millia ſeſtertiorum.*

Singula Seſtertia	1000.
Bina Seſtertia	2000.
Noningena nona Seſtertia.	99000.

III. A *centum millibus*, reliqua omnia *adverbialiter*, *& Genitivo plurali* enunciantur, atque toties *centena millia Seſtertiorum* intelliguntur, quoties in ſexta, & reliquis omnibus excurrentibus figuris, *(centena millia)* deſignantur: *3. Centena millia Seſtertiorum.*

Semel

Digitized by Google

Semel Seſtertiûm	100000.
Decies Seſtertiûm	1000000.
Vicies Seſtertiûm	2000000.
Centies Seſtertiûm	10000000.
Millies Seſtertiûm	100000000.
Decies millies Seſtertiûm	1000000000.

Practica Seſtertiorum.

Regula Practica. I. *Multiplica* denarios per *quatuor*, Seſtertios habes. Eſt enim Seſtertius quarta denarij pars.

II. *Viciſſim*, Seſtertios, vel quamcunque Seſtertiorum ſummam, diuide per quatuor, & habebis denarios, quos ſingulos valere diximus cruciatos decem.

III. *Rurſus*, quia Seſtertius quarta denarij pars eſt, cuius valor decem cruciatorum. Ergò Seſtertius duorum ſemis cruciatorum, vnde Seſtertius, quaſi ſemis tertius. Collecturus igitur valorem Seſtertiorum, quamcunque datam ſummam Seſtertiorum duplica: Et duplo, adde datæ ſummæ dimidium, habebis cruciatos, quos facili operâ, in quamcunque monetam tibi cognitam vel vſitatam reduces per 60. videlicet in florenos, per 100. in Coronatos ſeu ſcutos. *Exempli gratia.* Plinius libr. 9. cap. 17. meminit. Mullum piſcem (qui raro admodum binas ponderis libras exuperet) emptum eſſe octo millibus nummûm. 8000. Seſtertiûm. Huius ſummæ duplum eſt 16000. Sed datæ ſummæ dimidiũ eſt 4000. Adde duplum & dimidium, fit 20000. quæ ſumma cruciatorum eſt, & efficiunt florenos $333\frac{1}{3}$.

1. Pretium piſcis.

8000.
8000.
4000.
20000.

2. Vnio Cleopatræ. Cenſus Virgilii.

Vnio Cleopatræ, & Virgilij Cenſus fuit, centies ſeſtertiûm, 10000000. Huius ſummæ duplum & dimidium facit 25000000. cruciatos, hoc eſt, florenos: $416666\frac{2}{3}$. Siue 250000. Coronatos.

3. Furta Verris.

Furta Verris fuerunt quadringenties Seſtertiûm 40000000. Huius ſummæ duplum & dimidium, facit 100000000. Cruciatos, hoc eſt, florenos $1{,}666{,}666\frac{2}{3}$. ſeu coronatos, 1,000,000.

4. Stipendium Medicorum Romæ.

Stipendium Medicorum Romæ, fuit ducenta quinquaginta ſeſtertia 250000. ſeſtertiûm. Huius duplum & dimidium facit cruciatos 625000. Diuide per 100. facit coronatos 6250.

M. Craſſi divitiæ fuerunt bis millies ſeſtertiûm 200000000. Huius duplum dimidium eſt 500000000. hoc eſt, coronatorum 5000000.

De Minutis & Quadrante.

Duo minuta viduæ. Marc. 12. 42.

De Aſſario hactenus, nummoq; minuto: Sed partes habuit (ἀσσάριον) adhuc minutiores, quas Evangelica hiſtoria λεπτὰ vocat ſive *minuta*, Marc. 12. 42. *Et cum veniſſet quædam vidua pauper, iniecit* minuta *duo, quod eſt quadrans*, *Græca* ita habent, καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης. Syriacus Textus: *Et venit vidua quædam pauper, iniecit duo Manin, quæ ſunt octavæ.* Ex quibus verbis, & omnibus totius illius hiſtoriæ circumſtantijs hoc conſtat, illos nummulos, quos iniecit vidua, minutulos fuiſſe, & ita fuiſſe minutulos, vt duo facerent integri *Quadrantem*, vt Græcus textus habet, λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης. Si autem *duo* quadrantem faciunt, ſequitur integrum fuiſſe diuiſum in *minutias octo*, ita vt ſingula λεπτὰ, fuerint integri partes *octavæ*, ſicuti Syriacus textus planiſſimè hoc eloquitur, iniecit vidua duo Manin, quæ ſunt octavæ. Cuius autem integri octavæ fuerint λεπτὰ, non exprimitur. Fuerint autem neceſſe eſt octavæ partes, vel *denarij*, vel *Aſſarij*. Aliorum enim numiſmatum minutorum, nulla fit mentio: Non autem Denarij. Illius enim partes, non octonariæ, ſed denariæ fuerunt, ipſa videlicet dena Aſſaria, vnde & denarij nomen accepit: Relinquitur λεπτὰ, partes octavas fuiſſe ipſius *Aſſarij*, hoc eſt,

hoc eſt, partes octavas vnius cruciati, & duo λεπτὰ, ſive κοδράντην, quartam partem fuiſſe cruciati vnius. Quod *Lutherus* commodius vertere non potuit, quàm obolum, **zwey Schärfflin machen ein Heller.** Quanquam valor nonnihil diſcrepet, in noſtra quidem moneta: ſed vbi ſedecim numuli bacum faciunt, ibi λεπτὸν, reſpondet obolo. *Æſtimatio minuti.*

Ex dictis iam etiam intelligitur locus Matth. 5.26. vbi Chriſtus homini irato, & irreconcillàbili dicit: *Amen dico tibi, non exies inde* (ex carcere) *donec reddas noviſſimum quadrantē*, κοδράντην, hoc eſt, duo poſtrema λεπτά. Nam duo λεπτὰ quadrantem eſſe, Marcus docet: vbi obiter notandum, vocabulum κοδράντης, non græcum, ſed latinum eſſe, à nomine quadrans deductum; ad formam autem græcam inflexum. *Æſtimatio quadrantis.*

Hæc habui, quæ occaſione noſtri *Ezechielis*, dè ponderum & numiſmatum ratione, tàm Veteris, quàm N.T. exponenda eſſe iudicavi. Quanquam enim eorum, quæ dixi, non omnium mentionem facit Textus noſter Propheticus: quia tamen primaria tàm ponderum, quàm numiſmatum capita attingit, fidelis egò Interpretis eſſe putavi, vt ad *integritatem* Argumenti, etiā reliqua adijcerem, quæ à diligenti & ſtudioſo ſcripturarum Lectore poterant deſiderari. *Et licet* Ezechiel noſter, tantùm de numiſmatis V. T. loquatur: quia tamen nos, non tantùm Veteris, ſed etiam N. T. ſcripturas ſcrutamur, eam ipſam ob cauſam, de illis etiam aliquid tractare volui, quorum in N.T. mentio occurrit, extra dubium ponens, quiſquis ea, quæ propoſita ſunt, familiaria ſibi reddiderit, cum in lectione ſcripturarum, infinitis in locis, plano & inoffenſo pede, magna quoquè in luce & intellectu rerum progreſſurum eſſe, vbi plurimi, tanquam in ignotis regionibus atque tenebris verſantes, ſæpiſſimè hærent.

Σ Υ Λ Λ Ο Γ Ι Σ Μ Ο' Σ

Maximè præcipuorum Capitum, quorum notitia, acurato ſcripturarum Lectori, perpetuò ante oculos verſari debet.

De varijs hucuſq; & diverſis rebus diximus, iam vt earum *quotidianus vſus* eſſe poſſit, illas omnes in breviſſimas tabulas contrahamus.

I.

DE MENSVRIS CONTINVOrum, *quibus magnitudines aut intervalla metimur.*

1. *Digitus*, אֶצְבַּע græcè Δάκτυλος, Ierem. 52.21. *Digitus.*

2. טֶפַח vel טֹפַח *palmus*, græcè δοχμὴ & παλαιςὴ vel παλαιςής, menſura quatuor digitorum. *Hieronymus* vel palmum vertit, vt 1. Samuel. 17.4. vel tres vncias **Zoll**/ vt 1. Reg. 7.26. vel quatuor digitos, vt Exod. 25: 25. Et omnia hæc conſentaneè, & verè. Nam pes habet 16. digitos, vel ratione, Aſſis, duodecim vncias, טֶפַח igitur ſeu palmus, qui eſt quarta pedis pars, vel per quatuor digitos, vel per tres vncias reddi poteſt. Nihil etiam prohibet per quadrantem interpretari, ſicuti Latini Authores, novem vncias, per dodrantem reddiderunt. Ergò טֶפַח, **ein zwerche Hand.** *Palmus.* *Exod. 37.12.*

3. זֶרֶת à זָרָה ſparſit, græcè, σπιθαμή, quod ipſum latinis manſit, *ſpithama*, vel dodrans, eſt *menſura trium palmorum*, hoc eſt, digitorum XII. vel vnciarum novem. Inde dodrantis nomen, intervallum nimirùm ab extremitate pollicis, ad extremitatem minimi digiti, extenſorum. **Ein ſpannen oder neun Zoll.** *Spithama.* *Exod. 28.18.* *Ezech. 43.13.*

4. אַמָּה

Cubitus.
Cubitus, menſura ſeſquipedalis.

4. אַמָּה. *Cubitus* vel *Cubitum*, ſive *vlna*, Græcè πῆχυς vel ὠλένη, à cubiti flexura vſq; ad medij digiti extremitatem, eſt Menſura duarum ſpithamarum, ſive digitorum XXIV. hoc eſt, pedis vnius & dimidij. Ita cubitus duplum ſpithamæ, & ſpithama dimidium eſt cubiti.

Eſt autem *cubitus duplex*, 1. Communis, qui iam deſcriptus eſt 24. digitorum. 2. Et Auguſtus ſive perfectus, qui communem palmo ſuperat, hoc eſt, digitos habet 28. Hoc vſus eſt Ezechiel noſter, & dici poteſt *palmicubitus* & menſura *palmicubitalis*, ſicut Columella *pedem, & palmum, palmipedalem appellavit*, de re ruſtica libr. 3. c. 19.

Calamus.

5. קָנֶה, Græcè κάλαμος, quod nomen & Latini retinuerunt, dici quoque poteſt *arundo* vel *pertica*, ein Meßruht. Græci quoque & Latini à pedum numero δεκάποδα, hoc eſt, decempedam appellarunt.

Duplex etiam Arundo, vel pertica fuit: 1. *Communis* altera, ſex cubitis communibus conſtans, hoc eſt, novempeda, *cubitus* enim *ſeſquipedalis* eſt.

2. Altera *Auguſta*, conſtans ſex palmicubitis. Hæc communem *ſex palmis*, ſive cubito, hoc eſt, *ſeſquipede* ſuperabat, decempeda igitur & ſemipes.

II.

DE MENSVRIS LIQVIDORVM.

1. TABVLA.

Componens ex partibus integra.

Log ſive Sextarius habet	6	
Duodecim *Log* faciunt *Hin*, hoc eſt,	72	
Ergò *dimidium* Hinis habet	36	
Tertia Hinis	24	
Quarta Hinis	18	OVA.
Sexta Hinis	12	
Sex *Hin* faciunt *Bathum*	432	
Decem *Bathi* faciunt *Chomerem*.	4320	

2. TABVLA.

Reſolvens integra in ſuas partes.

Chomer continet	Decem Bathos.
Bathus continet	Sex Hin.
Hin continet	Duodecim Log
Ergò *dimidium* Hinis	Sex.
Tertia Hinis	Quatuor.
Quarta Hinis	Tres.
Sexta Hinis	Duos.
Log ſive ſextarius, continet	Sex ova.

3. TA-

Digitized by Google

3. TABVLA.

Habens proportionem Hebreæ menſuræ, & noſtræ VVirtembergenſis Ducalis.

Log eſt	Octavá pars menſurę, **ein octal**.
Hin, ſive duodecim Log vel octal	Seſqui menſura $1\frac{1}{2}$.
Dimidium Hinis 6. octal	Tres quartæ $\frac{3}{4}$.
Tertia Hinis ſeu 4. octal	Dimidium menſuræ.
Quarta Hinis 3. octal	Vna quarta cum dimidio.
Sexta Hinis 2. octal	Quarta menſuræ.
Bathus ſive ſex Hin ſunt	Novem menſuræ.
Chorus vel Chomer ſive decem Bathi	Nonaginta menſuræ.

NB. Intelligenda autem ſunt in hac Tabula menſuræ non *vſuales*, ſed *ducales* ſeu *Regiæ* (**nicht Schenckmaß / ſondern Eichmaß**) quarum hæc *proportio*, vt decem ducales faciant vndecim vſuales. Ergò *Bathus* quàm proximè facit decem menſuras vſuales: deficit enim tantùm $4\frac{4}{11}$. ovis. *Chomer* autem ſive decem Bathi, faciunt menſuras vſuales 99. præcisè.

NB. Menſura ducalis, habet ova 48. vſualis $43\frac{7}{11}$.

III. DE MENSVRIS ARIDORVM.

1. TABVLA.

Componens ex partibus integra.

Sextarius continet	6	OVA
Quatuor Sextarij faciunt Cabum, hoc eſt.	24	
Sex Cabi faciunt Satum, hoc eſt,	144	
Tria Sata faciunt Epham, hoc eſt,	432	
Decem Ephæ faciunt Chorum, vel Chomerem, hoc eſt,	4320	

NB. Hæc ſi conferantur cum menſuris liquidorum, patet, *Sextarium* cum *Log Cabum*, cum *Tertia Hinis*, *Tria Sata*, vel *Epham* cum *Batho*: Et tandem *Chorum* vel Chomerem, tàm liquidorum, quàm Aridorum *vnam eſſe, eandemquè menſuram*. Quibus congruunt verba noſtri Ezechielis cap. 45. 10. *Epha & Bath ſummæ vnius eſto*. Græci etiam, in menſuris tàm aridorum, quàm liquidorum, eaſdem aliquot voces habent, vt ξέστης Sextarius, ἡμίνα Hemina, ſemiſextarius, κύαθος Cyathus.

2. TABVLA.

Reſolvens integra in ſuas partes.

Chorus, vel Chomer, continet	*Decem Ephas.*
Lethech, dimidium Cori, continet	*Quinque Ephas.*
Epha, decima Cori, continet	*Tria Sata.*
Decima Ephæ eſt	*Gomer.*
Satum habet	*Sex Cabos.*
Cabus habet	*Quatuor Sextarios.*
Sextarius habet	*Sex Ova.*

Digitized by Google

3. TABVLA.

Habens proportionem Hebrææ menſuræ in Aridis, cum noſtra VVirtembergenſi in liquidis.

Sextarius Aridorum continet	Partem octavam menſuræ Ducalis.
Cabus continet	Dimidium menſuræ.
Satum continet	Tres menſuras.
Epha habet	Novem menſuras.
Lethech, ſeu quinque Ephæ	45. Menſ.
Chorus, ſeu decem Ephæ	90. Menſ.
Num. 28. 5. Decima Ephæ, ſeu Gomer	$\frac{9}{10}$. Menſuræ.

NB. Gomer igitur quàm proximè accedit ad quantitatem vnius menſuræ vſualis. Nam *Gomer* habet ova $43\frac{1}{5}$. *Menſura* autem vſualis habet $43\frac{7}{11}$. ova. Sine errore igitur dicere poſſumus, Gomerem eſſe menſuram aridorum, reſpondentem quam proximè, vni menſuræ vſuali.

4. TABVLA.

Habens proportionem liquidorum, & aridorum noſtra VVirtembergenſis Menſura.

Inſtituto examine deprehenſum eſt Modium *Aridi reſpondere* $12\frac{7}{16}$. *Menſuris, hac obſervatâ proportione, ita ſe res habet.*

Medimnus ein Scheffel habet	$99\frac{1}{2}$.	Menſuras.
Dimidium medimni habet	$49\frac{3}{4}$.	
Modius ein Simri	$12\frac{7}{16}$.	
$\frac{1}{2}$. *Modij*	$6\frac{7}{32}$.	
$\frac{1}{4}$. *Modij*	$3\frac{7}{64}$.	
$\frac{1}{8}$. *Modij*	$1\frac{71}{128}$. *vel* $1\frac{9}{16}$.	quàm proximè.
$\frac{1}{16}$. *Modij*	$\frac{25}{32}$.	quàm proximè.

Sin Rotunditatis gratia aſſumatur, Modium *Aridi reſpondere* $12\frac{1}{2}$. *Menſuris: tunc res ita habebit.*

Medimnus habet	100.	Menſuras.
Dimidium Medimni	50.	
Modius	$12\frac{1}{2}$.	
$\frac{1}{2}$. Modius halb Simri	$6\frac{1}{4}$.	
$\frac{1}{4}$. Modij ein Vierling	$3\frac{1}{8}$.	
$\frac{1}{8}$. Modij ein halber Vierling	$1\frac{9}{10}$.	
$\frac{1}{16}$. Modij	$\frac{25}{32}$. vel $\frac{3}{4}$. quàm proximè.	

5. TA-

Digitized by Google

5. TABVLA.

Habens proportionem Aridorum Hebrææ menſuræ ad noſtram.

Cabus, eſt 25. pars modij: habet enim modius, 12½. menſuras, cabus autem tantùm menſuræ dimidium. Ergò, quarta cabi 10. modij pars eſt.

Satum, quàm proximè æquiparatur cum quarta parte modij, **einen Vierling**. Habet enim Satum menſuras tres. Quarta autem modij pars, 3⅛. menſuras. Ita vt Satum ſola ⅛. menſuræ à quarta modij parte deficiat.

Epha à tribus partibus modij (**von dreyen Vierlingen**) deficit, tribus, octavis partibus menſuræ.

Lethech dimidio medimno minor eſt 5. menſuris, hoc eſt, 1½. **Vierling** circiter.

Corus vel *Chomerus*, medimno minor eſt 10. menſuris. **Ein Imi Gelt vol weniger/dann ein Scheffele iſt ein** Corus. Ergò Corus reſpondet quàm proximè ſeptem modijs & vni octavæ modij, **ſiben Simri vnd ein Achttheil.**

De decima Ephæ, ſeu Gomer in tertia Tabula diximus, qua proportione nullam video meliorem.

IV.
DE PONDERIBVS.

As, libra, pondo, idem ſunt. Dividitur autem As in partes duodecim, quæ vnciæ appellantur: & ſunt, vt aliunde novimus, Vncia[1.], Sextans[2.], Quadrans[3], Triens[4.], Quiniunx[5.], ſemis[6], ſeptunx[7], bes[8.], dodrans[9.], dextans[10], deunx[11. vnz.].

Porrò libra triplex eſt (vt Glareanus deſcribit) primò, publica, ſedecim vnciarum (hoc eſt, 32. **Lot**) qua negotiatores, & omnes, qui appenſas merces vendunt, vtuntur. *Glareanus de Aſſe cap. 3.*

Altera, Romana, duodecim vnciarum (24. **Lot**) ea: propter diviſionem duodenariam, incidit in rationem Aſſis.

Tertia, eſt octo vnciarum, vulgò Marca nominata (16. **Lot**) dimidium videlicet libræ publicæ, ea monetarij & aurifices vtuntur. Appellatur octonaria, numularia, & ſelibra publica.

Vncia (quæ ab vnitate dicta eſt) dividitur primò in duas partes, quæ vocantur ſemunciæ, Germanicè, **Lot.**

Secundò dividitur vncia in quatuor partes, quæ Siciliqui appellantur. **halb Lot.** Fortè Siciliquus, qui ſecet reliquum, videlicet ſemunciam.

Tertiò diuiditur vncia in octo partes, quæ drachmæ vocantur. Ergò ſemuncia habet quatuor drachmas, quas vulgus abſurdè quintulas vocat, cum ſint quartulæ.

Alias plures vnciæ diviſiones ſtudioſè prætereo, & iam ſubijcio tabulam, ad Ezechielis, & aliarum ſcripturarum intelligentiam pertinentem.

TABVLA.

Explicans Rationem ponderum Hebræorum.

Siclus ſacer, ponderat	Semunciam,	**ein Lot.**
Siclus communis	Siciliquum.	**ein halb Lot**
אֲדַרְכֹּן· ponderat	Drachmam.	Eſdr. 8. 27. 1. Paral. 29. 7,

Mna	Siclos ſexaginta.
Talentum כִּכָּר habet	Siclos 3000. ter mille.
Et conſequenter	Drachmas 12,000.

Nec perturbabit Lectorem, ſi apud alios & alios Authores, diverſarum gentium, diverſas deſcriptiones minarum & Talentorum reperiat: iſtos enim valores, & pondera, quæ nos poſuimus, ſcripturis ſacris conſentanea eſſe, rationibus ex medijs ſcripturis petitis, in diexodo argumenti, probavimus.

V.

De Nomiſmatis ſeu Monetis Argenteis.

Siclus ſacer, valet argenteum ſemuncialem, dimidium Ioachimicum noſtra æſtimatione	40	crucigatos
Ergo dimidium vel ſemiſſis Sicli, Exod.30.13.	20	
Triens Sicli, Nehem.10.33.	$13\frac{1}{3}$	
Quadrans Sicli. 1. Samuel.8.9.	10	
Gerah, hoc eſt, viceſima pars Sicli. Exod.30.13.&c.	2	
Siclus communis dimidio minor fuit, Sicli qualis nimirùm, ein halb Lot Silber/ voluit ergò.	20. crucig.	
Mina, Ezechielis cap.25.12. valet Siclos ſexaginta, hoc eſt,	30	Thaleros.
NB. Hæc ſi de Siclis communibus intelligantur, ſequitur minam in Siclo ſacro valere centum & viginti Siclos, hoc eſt,	60	
Kikar ſeu Thalentum, valet Siclos, ſive argenteos ſemunciales ter mille, qui faciunt vnciales Thaleros	1500.	Thal

V I.

De Analogia Auri ad Argentum.

Quo minus hæc res acuratè definiri poſſit, duæ potiſſimum cauſæ ſunt: Altera inæqualis tàm Auri, quàm Argenti nobilitas: altera valoris crebra & multiplex immutatio. Sed monſtravimus proportionem Auri ad Argentum minimâ computatione eſſe decuplam.

Idem Auri valor ad Argentum collatus.

Siclus in Auro valet	5.	Thaleris per 20. batzen.
Mina Auri	300.	Thaler.
Kikar Auri	15000.	Thaler.
אדרכן id eſt, Drachma Auri valet	1.	floren. 40. cruciatis.

V I I.

De Novi Teſtamenti, & quibuſdam extraneis monetis.

Stater eſt Siclus, hoc eſt.	Cruciat.	40.
Denarius Drachmalis, valet	Cruciatis	10.
Didrachmus vel didrachma	Cruciat.	20.
Ἀσσάριον eſt decima denarij pars, hoc eſt,	Cruciatus	1.
Seſtertius quarta denarij pars, hoc eſt,	Cruciat.	$2\frac{1}{2}$.

Minutum,

Digitized by Google

Minutum, λεπτὸν, octava Aſſarij pars, hoc eſt, obulus in ea moneta, vbi ſedecim numuli bacum faciunt.

Quadrans, κοδράντης, eſt numulus eiuſdem monetæ, vbi quatuor numuli faciunt cruciatum vnum.

Atque hæc ſuprema rerum collectio præſenti menſurarum & ponderum explicationi finem faciat. Redibimus ſequenti ſtudio ad ipſius Prophetici textus curam, & interpretationem.

CONTINVATVR EXPLICATIO Textus Cap. 45. Ezechielis.

v. 13. *Hæc oblatio, quam offeretis)* verſio ita reſtituenda eſt: *Hæc oblatio eſt, quam offeretis ſextam Ephæ è Chomere tritici, ſimiliter ſextabitis Epham, è chomere hordei.*

v. 14. *Et ſtatutum olei, Bath olei, decimam Bathi de Coro, decadem* (nimirùm) *Bathorum chomerus: Nam decas Bathorum* eſt *chomer.*

In Argumento capitis 45. dictum eſt, in eius priore parte deſcribi generalem quandam diviſionem terræ, pertinentem maximè ad portiones privilegiatas: In poſteriore jura recitari, & cōſtitutiones, tàm politicas, quàm Eccleſiaſticas. Quarum conſtitutionum occaſione, maximè politicarum, in *ponderum & menſurarum* explicationem digreſſi ſumus; Iam ad textum revertimur. Expeditis enim conſtitutionibus *Politicis*, quas in novis Hieroſolymis renovatas deſcripſit, iam ad conſtitutiones *Eccleſiaſticas* cognoſcendas, quas ab hoc verſu 13. capitis 45. vſque ad finem capitis ſequentis 46. explicando perſequitur, animum advertamus.

Primùm autem *oblationes* deſcribuntur, quas diebus feſtis & profeſtis, tàm populus, quàm Princeps in ſacrificia Domino offerre debeant, ab hoc v. 13. cap. 45. vſque ad 16. capitis ſequentis 46. *Inde* tribus verſibus explicatur *modus* donationum Principis, verſibus 16. 17. 18. *Denique locus* demonſtratur, vbi paranda ſint ſacrificia à verſu 19. vſque ad finem capitis 46.

v. 13. *Hæc oblatio, quam offeretis.) Initio* huius pericopes definit oblationes, quas tàm ex Aridis, quàm liquidis, tùm etiam è pecudibus offerre debeant, v. 13. 14. 15. *Deinde* quis offerre debeat, v. 16. 17. *Tertiò*, quibus diebus offerre, à verſ. 18. ad finem capitis, 45. *Quartò* modus ſacrificiorum deſcribitur, ab initiò cap. 46. ad v. 16.

Ad *primum* quod attinet, Dominus proportiones definit, quas ſinguli offerentes, ad rationem facultatum ſuarum debeant obſervare. *I. Definitio oblationum.*

Ex *aridis* nimirùm quilibet offerat, è chomere, ſextam partem Ephæ, hoc eſt, partem *ſexageſimam.* Nam Epha eſt decima pars chomeris. Ergò ſexta Ephæ, vel *dimidium Sati*, eſt pars ſexageſima chomeris, quæ menſura reſpondet vni ferè octavæ ex modio: **ein halber Vierling von eim Scheffel.** *Ex Aridis pars ſexageſima,*

v. 14. *Et ſtatutum olei.)* Ex *liquidis* proportionem *centuplam* facit. Nam *Bathus* eſt decima pars Cori, Bathi autem decima, hoc eſt, decima decimæ, ſive centeſima eſt offerenda Domino. *Verba Hebræi textus* nonnihil obſcura ſunt, ſed hunc habent indubium ſenſum. Sic autem loquitur Propheta: *Statutum olei, Bath olei, decimam Bathi de coro*, hoc eſt, de re *frumentaria* dixi, quota pars ſit offerenda in res divinas, *Oleum* autem cenſendum & dijudicandum eſt ex Batho (*Bathus enim eſt menſura liquidorum*) ita quidem, vt decima Bathi offeratur ex Coro. Et per Epexegeſin hoc rurſus interpretatur, ex decade nimirùm Bathorum chomeris, offerendam ſcilicet eſſe decimam Bathi. Nam decas Bathorum, chomer. Sequitur igitur ex Coro vel chomere (quibus duabus vicibus Dominus hoc loco Synonymωs vtitur) qui habet 90. menſuras ducales, vel 99. vſuales, centeſimam partem, quæ vni menſuræ vſuali quàm pro- *Ex liquidis pars centeſima.*

 xime

Digitized by Google

ximè correſpondet, offerendam fuiſſe. Quæ centeſima pars in aridis, eſt ipſe Gomer, de quo ſupra.

Ex pecudibus ducenteſima. v. 15. *Et pecudem vnam de grege*, nimirum *ex ducentis.*) Tertiò oblationes definit, quæ ex pecudibus fieri debeant: ex ducentis videlicet vnā eſſe offerendam. Proportio igitur pecudum offerendarum eſt ducentupla. Ex ducentis nimirum vna. Hunc autem verſum, non tantum de ovibus & capris, tanquam nimirum pecude, ſed de omnibus omnino pecudibus, intelligendū eſſe, tum ex collatione verſ. 13. vbi & tritici & hordei diverſarum ſpecierum, tum ex ſequentibus ſacrificijs intelligitur, quæ diverſas quoque pecudes requirebant.

Adduntur autem in hoc verſu adhuc duo: *alterum*, de perfectione, & nobilitate pecudum, offerendas nimirum eſſe, ex *irriguis Iſraëlitarum*, hoc eſt, pingues & bonas. *Alterum* de fine oblationum, vt inde videlicet ſumantur ſacrificia, quæ diebus feſtis, profeſtis, & quibuſcunque alijs feſtivitatum ſolennitatibus Domino offerri debeant.

v. 16. *Omnis populus terræ.*) Hebr. Textus ita habet: *Omnis populus terræ erunt in hac oblatione, ipſi principi Iſraëlis.*

v. 17. *Et ſuper Principem erit* (facere vel ſuppeditare) *holocauſta, & munus, & libamen in feſtis, & in novilunijs, & in ſabbathis, & in omnibus ſolennitatibus Domus Iſraëlis ipſe faciet* (ſacrificium) *pro peccato, & munus, & holocauſtum, & Euchariſtica, ad expiandum Domum Iſraëlis.*

1. Perſona offerentes. Primùm Dominus oblationes definivit, quid, & quantum offerendum, ſexageſima nimirùm ex Aridis, cēteſima ex liquidis, & ducenteſima ex pecudibus. Iam ſecundo loco *perſonas* definit, quis in oblationibus hiſce teneatur. Omnes videlicet in vniverſum, nemine homine, adeoq; ne Principe quidem, excepto. Quem ſanè ſupremum inſpectorem facit, & diſpenſatorem omnium oblationum, ſed hanc ſimul curam illi & ſollicitudinem demandat, vt ſui officii eſſe noverit, in omnium feſtorum ſolemnitatibus, omnis generis ſacrificia, & oblationes ſuppeditare.

3. Tempus oblationum. v. 18. *Hæc dicit Dominus DEVS.*) *Tertio loco* feſta & ſolennitates deſcribit, quibus Princeps curare debeat, vt omnis generis ſacrificia rite peragantur, à v. 18. vſque ad finem capitis.

Paritas doctrina. Illæ ſolennitates ſunt, *primò*, calendæ primi Menſis, quibus, oblatione *Sanctitas morum.* iuvenci ſubrumi, expiandum ſit ſanctuarium, v. 18. 19. *Secundo*, ſeptimo eiuſ*Paſcha N. Teſtam.* dem, ſacrificandum eſſe, pro peccatis ignorantiæ & fatuitatis. v. 20. *Tertio*, in quarta decima menſis, per integrum ſeptiduum ſeptiduanis victimis, & Azymis, Paſcha celebrandam eſſe. v. 21. 22. 23. 24. *Quarto*, die decimo quinto

Feſtum Tabernaculorum. Num. 29. 12. & ſeqq. zymis, Paſcha celebrandam eſſe. v. 21. 22. 23. 24. *Quarto*, die decimo quinto Menſis ſeptimi celebrandum eſſe feſtum Tabernaculorum, itidem per ſeptiduum, & iiſdem planè ſacrificijs, quibus Paſchæ ſolennitatem celebrandam præſcripſerat. Huius eiuſdem feſti ſolennitas prolixe deſcribitur, Num. 29. v. 12. & ſeqq. Quæ nimirum ſacrificia ſingulis diebus offerenda eſſent, a quibus hæc nova, novorum ſacrificiorum ratio, *non parum* diſcrepat. Quo ipſo

NOTA. Rationem diverſitatis. monere voluit Dominus, Leviticas illas ſacrificandi rationes, in N. Teſtam. antiquatum & immutatum iri. Quæ tamen Hebræi hodierni omnino clauſis oculis oſcitanter negligunt, de qua re ſuo loco & occaſione. De hoc novo Tabernaculorum feſto agit Dominus, verſ. vltimo capitis 45.

CAPVT XLVI.

ARGVMENTVM.

De Argumento huius capitis, iam in præcedente dictum eſt. In *prima* namque parte explicatur modus & ratio ſacrificiorum, de quorum oblationibus, huc vſque dictum. Ab initio capitis, vſque ad verſ. 16.

In *ſecunda* parte agitur de donationibus principis, à v. 16. vſque ad 19.

In *tertia* & poſtrema parte deſcribitur locus ſacrificiorum, à verſ. 19. ad capitis finem.

I. PARS.

I. PARS.

V.1. *Hæc dicit Dominus Deus*) Finis præcedentis capitis tria membra expoſuit: *vnum* de oblationibus. *Secundum* de perſonis, quæ ad oblationes offerendum teneantur. *Tertium*, de diebus & feſtis, quibus offerenda ſacrificia. *Iam* in principio huius capitis 46. *Quartum membrum* ſubijcitur, de ritu videlicet, atque Ceremonijs ſacrificiorum, vbi hæc ordine exponuntur. 1. *Qua porta* Princeps ad cultus ſacros debeat accedere verſib. 1. 2. 3. *Secundò* deſcribitur Holocauſtum Sabbathinum, verſ. 45. *Tertiò*, Sacrificiū Calendarum v. 6. & 7. *Quartò*, Regreſſus Principis, verſ. 8. *Quintò*, Aditus & Reditus populi cum Principe, verſ. 9. & 10. *Sextò* definitur Sacrificium Feſtorum, verſ. 11. *Septimò*, Sacrificium voluntarium Principis, verſ. 12. *Octavò* tandem, ſacrificium iuge, ſeu quotidianum, v. 13. 14. & 15. Breviter percurramus.

1. Porta acceſſus Principis.

verſ. 1: *Hæc dicit Dominus*) Principiò oſtenditur, *qua via* accedendum Principi ad rem ſiue cultum ſacrum. Cùm enim Atrij intimi, quod Sacerdotum appellabatur, & in medio ſui habebat Altare Holocauſti (*vt ſupra vidimus*) porta Orientalis per ſex profeſtos dies clauſa tenenda ſit, illa diebus Sabbathorum, & Calendarum, aperienda eſt, & Princeps per Orientales portas Atriorum, vſque ad limina Atrij intimi accedere, ibiq́ue ſacra, per Sacerdotes & Levitas, peragere debet, quibus peractis: recedat quidem Princeps, ſed porta vſq; ad veſperam Sabbathi pateat aperta.

2. Holocauſtum Sabbathorum.

v. 4. *Holocauſtum autem*) Secundum membrum *Holocauſta* Sabbathorum definit, quæ hoc loco multò ampliora ſunt, quàm olim in Lege. In lege namque imperatum fuerat, vt ſingulis Sabbathis præter Holocauſtum quotidianum, offerrentur *bini* agni anniculi, & binæ decimæ ſimilæ, cum libamine ſuo. Numer. 28. 9. Hoc autem loco præcipitur, vt in ſacrificium Sabbathinum offerantur *ſex* agni, & Aries vnus, cum Epha in Arietem, & in agnos pro dono & munere Facultatum: Hoc enim ſignificat, Donum *manus ipſius*. Vide Deut. 16. 17.

3. Calendarum Sacrificia.

v. 6. *In die autem Calendarum*) Tertiò, *Sacrificium noviloniorum* etiam differt ab antiquo legis. Secundum hanc enim offerendi erant in calendis, duo iuvenci ſubrumi, Aries vnus, & agniculi ſeptem. Hic verò præcipiuntur offerendi, iuvencus tantùm vnus, agni ſex, & Aries vnus.

4. Diſceſſus Principis.

v. 8. *Cumq; ingreſſurus eſt Princeps*) Quartò, *Reditus ſeu diſceſſus Principis* definitur, eâdem nimirùm via illi redeundum eſſe, quâ acceſſerat, id quod populo licitum non fuit, vt proximo ſequenti verſu confeſtim explicabitur.

5. Acceſſus & receſſus populi.

v. 9. *Et cum intrabit populus terræ*) Quintum enim membrum eſt de *acceſſu & receſſu populi* ad res ſacras: quibus primùm interdictum eſt portis Atriorum *Orientalibus*, hiſce enim ire & redire ſoli Principi & Sacerdotibus licet. Populus autem vtatur lateralibus: hac tamen cum conditione, vt, qui per Aquilonares ingreſſus eſt, per Meridianas recedat: & qui per Meridianas venit, per Aquilonares digrediatur.

6. Sacra integrè tractanda.

v. 10. *Princeps in medio eorum*) Hactenus peculiariter de Principe, & peculiariter de populo. Iam hoc amplius additur: Principem & populum vnâ accedere ad res ſacras, & rurſum vnâ recedere debere finitis ſacris, hoc eſt, nec Principem, nec populum citiùs debere dilabi, quàm ſacrarum Actus fuerint finiti.

v. 11. vſque ad 16. deſcribuntur *Sacrificia* feſtorum, *Sacrificia* Principis *voluntaria*, & *quotidiana*: quæ nihil difficultatis aut obſcuritatis habent: pergimus igitur ad ſequentia.

Digitized by Google

PARS II.

De Donationibus Principis.

v.16. *Sic dicit Dominus Deus*) Secunda capitis pars, tribus verſibus conſtans, atque de donationibus Principis agens, tota eſt *parenthetica*, & hanc breviter ſententiam exponit. Si Princeps aliquid de poſſeſſione ſua donaverit filijs ſuis, illud donum filijs proprietario iure in hæreditatem cedit, v.16.

Sin ſubditorum alicui donaverit aliquid de ſua poſſeſſione: tunc vtile quidem Dominium, ſeu vſusfructus donatarij eſt, vſque ad annum Iubilæum, illo autem adventante (ſeu ſerviat adhuc Principi, ſeu minùs) redit donatio, & manet poſſeſſio hæreditaria filiorum Principis. Hæc extra dubium ſententia eſt verſus 17. Sed propter vocem שָׁבַת quam alij, revertitur, interpretantur, alij, ceſſavit, reddunt, expendendus eſt textus Hebræus.

De depeculationibus Principis.

v.18. *Non accipiat Princeps*) Duo priores verſus donationes attemperârunt, hic poſtremus tertius, iniuſtas Principis exactiones & depeculationes prohibet. Nàm Principi, pro arbitrio & avarâ damnatâ habendi libidine, privata ſubditorum bona rapere neutiquam licet, additâ causâ legis, ne quiſquam videlicet in poſſeſſione ſua vel turbetur, vel eâdem totâ privetur. Ita parentheſis hæc vtrumq; cavet, ne Princeps largitionibus ſuis hæreditatem filiorum exhauriat: neque avaritiâ aut Tyrannide ſubditos deglubat.

PARS III.

v.19. *Et introduxit me per ingreſſum*) Parentheſin vidimus de *donationibus Principis*, iam redit ad τοπογραφίαν: quâ locus deſcribitur, vbi tàm ſancta Domini, quàm reliqua populi ſacrificia coquenda. De illis agit, v.19. & 20. De reliquis verſ.21. vſq; ad finem capitis.

Loca culinaria.

v.19. *Et introduxit me*) Loca, in quibus decocta fuerunt ſacrificia, duorum fuerunt generum: Alia namque fuerunt ad latera poſtici Atrij, quod ad occidentem adhæſit ipſi Templo. Sicut enim Templum ànte ſe, verſus Orientem habuit Atrium tertium, totum quadratum, in quo fuit Altare Holocauſtorum, & reliqua vaſa atq; ſtructuræ ſacræ, & poſt ſe, verſus occidentem Atrium poſticum, etiam quadratum, tum ad latera, Meridiem & Aquilonem verſus, cellulas Sacerdotum, quæ cum adiunctis ſpatijs etiam quadrata compleverunt: Ita quoque Atrio poſtico, ex vtroq; latere, quadrata adhæſerunt: illa quibus vſibus fuerint deputata, hiſce verſibus explicatur. Prius autem deſcribitur, quâ viâ ad iſthæc loca pervenerit, per cellas videlicet Sacerdotum, quæ vtrinque è regione Templi ſitæ erant. Vſus hic eſt, vt ibi ſacrificia ſancta coquantur, hac additâ causâ, ne ſi in Atrium exterius efferantur, omnia, confuſione facta, miſceantur. Hic ſenſus eſt verborum in verſ.20. Et dixit ad me: *iſte eſt locus, vbi coquent Sacerdotes pro peccato & delicto, vbi coquetur ſacrificium, vt non efferant in Atrium exterius, & ſanctificetur populus.* Non enim hoc vult Dominus, cavendum eſſe, vt elatis ſacrificijs, populus ſanctificetur. Qui enim in lege ſua ſæpiſſimè edicit: *Homines ſancti eſtote mihi.* Et Levit.11.v.44.45. *Ego Dominus Deus veſter: Eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum.* Sic Levit.19.2. & 20.v.7.16. & alibi ſæpius, qui, inquam, omnibus cultoribus ſuis ſanctitatem imperat, non poteſt prohibere, vt ſanctificentur. Hoc ſolum igitur volunt iſthæc verba, in Domo Domini omnia debere *ordine atque decenter* fieri: quod ipſum Apoſtolus hiſce verbis expreſſit, πάντα εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1. Corinth. 14. 40. Ne igitur ſanctæ Domini Carnes cum reliquis populi ſacrificijs commiſceantur, in duobus illis occidentalibus Angulis, Atrio poſtico vtrinq; adhærentibus, carnes ſacrificiorum pro reatu & peccatis præcipiuntur coquendæ.

1. Culina ſacrificiorum ſanctorum.

Quid ſit ſanctificari populum. Exod. 22.31.

2. Culina Sacrificiorum populi.

v.21. *Et eduxit me in Atrium exterius & ecce*) verte: *Et ecce Atrium in Angulo Atrij, Atrium in Angulo Atrij.* Locos culinarios geminos eſſe diximus: alios in appendicibus Atrij poſtici, de quibus præcedente verſu: Iam reliquos deſcribit in

Digitized by Google

bit in Atrio exteriore: illi namque fuerunt in Regione Atrij mediani. Dicit autem in quatuor Angulis extremij Atrij, quatuor minora fuiſſe Atria, ſingula in ſingulis Angulis, hinc & hinc efformata. Hóc enim iſta verba volunt: *Atrium in Angulo Atrij, Atrium in Angulo Atrij.* In reliquis autem verſibus huius Capitis, quatuor adhuc explicantur, quæ ad deſcriptionem horum Atriorum pertinent. *Primum* eſt de forma horum Atriorum. verſ. 22. *Secundum* de quantitate eorundem, eodem verſu. *Tertium* de interna diſpoſitione & commoditate culinaria Atriorum, verſ. 23. *Quartum* denique de Atriorum vſu, v. 24. videamus.

Ad primum quod ſpectat, dicit Atria illa fuiſſe Atria fumaria ſeu vaporaria, חֲצֵרוֹת קְטֻרוֹת à Radice קָטַר ſuffivit, ſuffumigavit, ſuffitum fecit. Inde קִטְרָה vaporarium, locus Caminis ſeu vaporarijs refertus: vnde aliqui vertunt, *Atria Caminata.* Quicquid ſit, intelligenda ſunt loca vapori fumoq; libera, **Ein Gartkuchin auffm freyen Platz.** Hic enim coquebantur carnes ſacrificiorum populi, vt poſteà dicetur. *Forma harum culinarum.*

Quadraginta [cubitorum] *longitudine, & tringinta latitudine.*) Hoc eſt ſecundum membrum de Atrijs, quantitas nimirum in longitudinem & latitudinem: quæ ſi lineis deſcribantur, figuram efficiunt, quam Architecti γνώμονα, ſeu normam vocant. **Ein Winckelmeß.** *Quantitas.*

Additur amplius in fine verſus 22. Menſurà vna ipſis quatuor Angulatis. Hóc eſt, vna eademque quantitas fuit, omnibus iſtis Atrijs in quatuor angulis Atrij. Porrò in Hebræo textu hic peculiare aliquid viſendum, notandumque: nam poſtremæ voci מְהֻקְצָעוֹת præter Holem, quod ad nominis pluralis formam pertinet, omnibus reliquis etiam literis, puncta ſuperimpoſita conſpiciuntur, quæ prorſus nullam habent rationem Grammaticam, neque quid ſignificent, ego quidem uſpiam invenio. Tacentibus igitur alijs, ego meam coniecturam qualemcunque expono: Loquitur de Atrijs Angulorum, quæ Atria ex textu iam diximus habere formam Gnomonis ſeu normæ, ſi ſecundum textus longitudinem, & latitudinem adſignatam adſcribantur. Illa autem forma habet Angulos internos ſex. Cùm igitur dicit, *vna menſura iſtis quatuor Angulatis*; & ſimul voci *Angulatis*, ſecundum numerum ſex literarum, ſex quoque iiſdem puncta ſuperinſcribit, puto Prophetam, ſex iſtis punctis, ſex Atriorum Angulos ſubindicare voluiſſe: ac ſi dixiſſet, vna eademque menſura eſt *Sexangulatis* iſtis Atrijs. Hæc mea eſt coniectura de punctis iſtis non Grammaticis, quæ ſi mentem Prophetæ aſſequitur, benè habet: ſin minus, aliquid tamen dicere, quam in re extrà periculum poſita, prorſus tacere malui.

v. 23. *Et paries per circuitum*) verte: *Et ordo erat circumquaq; illis, circumquaque quatuor illis; & foci fabrefacti erant ab infra ſeu ſubter ordinibus iſtis circumquaque.*

Hoc tertium Membrum eſt, de commoditate Atriorum iſtorum culinariâ: Circumcirca nimirùm fuiſſe ordines focorum, qui ab infra ita fabrefacti fuerint, vt ligna & ignis ſubiici, quæcunque autem coquenda, & elixanda, commodiſſimâ occaſione ſuperimponi potuerint. *Commoditas culinarum.*

v. 24. *Et dixit ad me*) Poſtremò vſum harum culinarum oſtendit: vt miniſtri Domus, id eſt, Levitæ & Sacerdotes, ibi *coquant ſacrificia populi*, eas nimirum ſacrificiorum partes, quibus, peractis ſacris, ipſi victitabant & convivabantur.

CAPVT

Digitized by Google

C A P V T X L V I I.

A R G V M E N T V M.

RΕſtant duo poſtrema capita viſionis noſtri Ezechielis, Numero 47. & 48. In quibus hæc quatuor membra abſolvuntur. *Primum* præſtantiam & nobilitatem terræ exponit, quam Dominus præſenter incolit: ab initio capitis 47. vſq; ad verſ. 13. eiuſdem. *Secundum*, terminos terræ definit ad quatuor plagas orbis, à v. 13. vſque ad 21. *Tertium*, rationes dividundæ deſcribit, à verſ. 21. vſque ad 30. capitis ſequentis. *Poſtremò* denique forma Civitatis ſanctæ deſcribitur, à verſ. 30. capitis 48. vſque ad capitis, & totius Prophetiæ finem.

Ad præſens igitur caput quod attinet, *duo priora* membra in eo abſolvuntur, & inchoatur *Tertium*. Videamus Textum.

P A R S I.

1. Origo aquarum.

v. 1. *Et reduxit me ad oſtium Domus*) In prima parte huius capitis deſcribitur *præſtantia & nobilitas* terræ, quam Dominus illi præſens vberrimam & admirabilem largitur, à verſ. 1. vſque ad 13. Eſt autem *Quadripartitum* hoc membrum. *Primum* enim Fons & origo aquarum ſeu divinarum benedictionum deſcribitur, v. 1. 2. *Deinde* earundem miranda incrementa, à verſ. 3. vſq; ad verſ. 6. *Tertiò* mirabiles arbores ripariæ, v. 6. & 7. Et *quartò* deniq; effectus à verſ. 8. vſq; ad 13.

v. 1. *Et reduxit me*) Deſcriptio benedictionis divinæ, & originis. & incrementorũ explicatione abſolvitur. Origo v. 1. & 2. explicatur. *Incrementa* verſibus 3. 4. & 5. Porrò benedictionum divinarum magnitudinem, non ſimplicibus, ſed *figuratis verbis* exponit Propheta. Confert enim illas cum ſcaturigine fontium, quam Architectus ille ſibi demonſtraverit. *Locus* autem ſcaturiginis huius monſtratus eſt ſub ipſo limine Domus, ſive Templi, inde ebullientes aquæ, ad latus dextrum Altaris (Auſtrale videlicet) verſus orientem emanabant. Ad ipſam enim frontem Domus conſpicatus originem, ad extimam portam Orientalem deductus, ibidem aquas vidit emanantes. Vbi obſervanda eſt vox Hebræa מְפַכִּים מַיִם à Radice פִּכָּה in piel. Quod ſignificat

Aquæ phialantes.

effluere, emanare, ſed *lentè*, tanquam è phiala manando. *Aquæ phialantes.* Nam ab illa radice deſcendit nomen פַּךְ, quod *Lenticulam* ſignificat. 1. Samuel. 10. 1. *Et accepta Lenticula ſeu phiala olei, inunxit caput eius.* Ita hoc loco, *aquæ phialantes*, denotat aquas leniter & placidè fluentes. **Die fein ſtill / leinſe vnd ſanfft daher flieſſen /** non impetu torrentis, ſed effuſione phialæ. **Als wann man einem ein Roſwäſſerlin oder köſtlich Oel auff den Kopff tröpfelt.** Qua re denotatur, vt ſuo loco videbimus, Regnum Dei non venire cum pompa, aut oſtentatione, ſed lenta & placida eſſe divinæ gratiæ principia. *Simile enim eſt Regnum*

Matth. 13. 31.

cælorum grano ſynapis, quod minimum eſt inter ſemina, ſed in magnam & patulam excreſcit arborem: ſicuti de incremento etiam harum aquarum, immediatè ſubſequitur.

2. Aquarum ſanctuarii incrementa.

v. 3. *Cùm egrederetur vir*) Scaturiginem aquarum vidimus, *iam ſecundo loco* earundem incrementa deſcribuntur. Architectus namque, ſive Monſtrator Ezechielis, *quarta vice*, ſecundum decurſus aquarum orientem verſus, menſus eſt millenos cubitos, & poſt ſingulos millenos, traduxit Prophetam per aquas vbique diverſas, & ſubinde altiores & altiores illas deprehendit. Nam *prima* vice traductus, aquas vix talares habuit: **Hat kaum die Füß netzen können.** *Secundò* traductus, altitudinem genuum deprehendit. *Tertiò* traductus, Lumbares invenit. Ad *quartum* autem millenarium, in tantam altitudinem atque vim excreverunt, vt tranſiri ampliùs non potuerint, ſed natando fuerint tranſ-

tranſmittendæ. Quid hæc augeſcens diverſitas altitudinis aquarum iſtarum denotârit, *miranda nimirum incrementa benedictionum divinarum*, id ſuo loco, Deo dante, explicabitur.

v. 6. *Et dixit ad me Nunquid vidiſti*) Originem & incrementa *Aquarum* vidimus, iam *tertio* loco, *Arbores ripariæ* deſcribuntur, quas Monſtrator Propheticus, vati noſtro monſtravit, in vtraque fluminis ripa conſitas. Obſervanda autem eſt forma orationis: nam per interrogationem alloquitur Prophetam. *Nunquid vidiſti fili hominis?* Quaſi diceret: vidiſti quidem, & admiratus es auctas altitudines aquarum, poſt millenos cubitos, ſed putas ne te omnia vidiſſe, quæ iuxta haſce aquas viſu digna ſunt? Quibus verbis ad attentionem, & diligentiam excitatus Propheta, reductus à Demonſtratore ſuo, ſecundum ripam fluminis revertitur. Et ecce, quod antea non obſervaverat, in vtraque ripa fluminis, plurimas, & pulcerrimas eaſque frugiferas, arbores effloreſcentes videt. *3. Arbores ripariæ.*

v. 8. *Et ait ad me*) Iam *quarto* loco *effectus* ſequuntur, ab hoc v. 8. vſq; ad 13. vbi tria omninò obſervanda ſunt. 1. *Salubritas* aquarum, verſ. 8. & 9. Secundò, *multitudo piſcium*, verſ. 10. Tertio denique, frugifera *fertilitas* illorum arborum, verſ. 12. *4. Effectus.*

Ad primum quod attinet, ad ſalubritatem nimirum aquarum, dicit monſtrator, *emanare illas, per Galilæam ſuperiorem, & campeſtria loca, donec veniat in mare.* Intelligendum autem eſſe *mare mortuum*, omnes circumſtantiæ luculenter evincunt. Dictum enim eſt has aquas fluere orientem verſus, vbi mare mortuum ſeu Aſphaltitis lacus occurrebat. Tum reliqua loca, quorum mentionem facit Monſtrator, idem declarant: Nam *Engedi*, cuius in ſequenti verſu meminit, quæ alio nomine *ChatZatZon Thamar* dicta eſt, Geneſ. 14. 7. & 2. Chronic. 20. 2. Locus eſt ad mare mortuum. Videatur etiam 1. Samuel. 24. 1. Sic de *Enaglaim* Hieronymus ſcribit, eſſe locum in ipſo principio Aſphaltitis lacus, vbi Iordanis influit. Sed cuius efficaciæ, cuiuſque virtutis ſunt hæ Aquæ? Exponit hoc Demonſtrator: *Aquæ iſtæ venient in mare* mortuum: *Et cum exoneratæ fuerint in mare, ſanabuntur aquæ illæ.* Omnes vno ore conteſtantur Hiſtorici, mare mortuum, quod & *mare Sodomorum* appellatur, nullum prorſus animal alere, ex quo ipſo mortuum dicitur, nec quicquam ibi gigni, quàm bitumen, ad quod ſterilitatis, ex vltione Sodomorum, damnatus eſt locus. Vnde apud Hiſtoricos Aſphaltitis nomen accepit. Nam ἄσφαλτος, Græcis bitumen ſignificat: Inde ἀσφαλτίτης ὁ: Et fœmin. ἀσφαλτῖτις λίμνη, lacus bitumen fundens. *Salubritas. Mare mortuum:* חַצְצֹן תָּמָר. *Plinius lib. 5. cap. 16.*

De hoc Aſphaltite, ſeu mari mortuo dicit Prophetæ Demonſtrator, quòd, quàm primùm fluminis iſtius aquæ, in illud exoneratæ fuerint, tùm damnatas iſtas aquas, ſalubritate harum ſanatum iri. Et addit amplius, *omne reptile ſuper terram, quocunq; aquæ iſtæ venerint, victurum.*

Et ſingulariter notandum eſt, in Hebræo eſſe nomen duale נַחֲלַיִם quaſi eſſent duo flumina, cùm tamen ſit flumen vnum, qua re denotantur & verbum & ſacramenta. Vt ſuo loco, Deo dante, explicabitur.

verſ. 9. *Et erunt piſces multi ſatis*) Secundus effectus: Exoneratis aquis Sanctuarij in Aſphaltitin, non tantùm aquæ corrigentur, ſed, cùm antea nihil animalium ibi viveret, iam mirum in modum ibidem loci piſces multiplicabuntur. Hoc primùm enunciat Demonſtrator, ſimplicibus verbis: *Erunt ibi piſces multi valdè* (Hebr. piſcis multus) *repetita* cauſa: *Quia aquæ iſtæ, e ſanctuario ebullientes, illuc venerunt:* Et *tertio*, omnia victura, ad quæ aquæ iſtæ pervenerint. *2. Piſcium & piſcationum multitudo.*

v. 10. *Et ſtabunt ibi piſcatores*) Multitudinem piſcium duobus modis amplificat. *Altero* per Ratiocinationem, ex novis ſtudijs piſcatorum. Cum enim prius, circa Alphaltitin lacum, nulli piſcatores conſpicerentur: quoniam nec

piſcis,

piſcis, nec quicquam aliud animalium ibi eſſet. Iam exoneratis illis ſalutaribus, piſcatorum ibi, & piſcationum omnia plena futura ſunt: *Ab Engedi, vſq; ad Enaglaium*, hoc eſt, circa circum expendentur, & exſiccabuntur ſagenæ.

In ſpeciem erunt piſces eorum, ſicut piſces maris magni, multi valdè) *Secunda* amplificatio per *comparationem* facta eſt: Confert enim piſces ſanati maris, cum piſcibus maris magni, & duos habet comparationis gradus, Alterum *multitudinis*, alterum *varietatis* ſpecierum. Et plurimi erunt, & diverſiſſimarum ſpecierum, piſces.

Loca Cænoſa.

V. 11. *Exitus autem eius)* verte: *In cœnoſis autem eius & paludes eius, non ſanabuntur, ſed ſalſa erunt.* Hic verſus ab interpretibus diverſimodè explicari ſolet: Alij namque *collectivè* illum accipiunt, in hunc ſenſum: quòd ſicuti mare ipſum, in quod aquæ iſtæ influunt, ſanetur, itaq; quoque omnia cœnoſa, & paluſtria loca, quæ nulla vnquam alia arte frugifera reddi poterant, earundem aquarum ſalubritate, redditum iri fructuoſa. Alij verò per *Exceptionem* interpretantur: Quòd licet aquæ iſtæ, & mare mortuũ, & omnia reptilia, quocunq; venerint ſanare poſſint, cœnoſa tamẽ & paluſtria, ſanari nunquã. Quæ ſententia, meo quidẽ iudicio, & Hebræo textui vicinior eſt, & elegantẽ habet ſpiritualium rerum ſignificationem. Licet enim gratiæ divinæ flumen omnia peccata ſanet, extra illud tamen, cœnoſa & paluſtria loca, hoc eſt, ſceleribus polluti impœnitentes, & omnes in meritorum ſuorum paludibus innatantes, divinæ gratiæ contemptores, & neglectores, non ſanantur. Nam vt extra Eccleſiam, & communionem beneficiorum Chriſti nulla ſalus eſt, ita impij, & præfracti peccatores, nihil de illis participabunt. Hæc ſunt loca cœnoſa & paluſtria, æternâ damnata ſterilitate.

3. Arborum fructuoſa fæcunditas.

verſ. 12. *Et ſuper fluvium*, ſive *ad flumen, in ripa eius hinc & hinc)* De effectibus aquarum dixit, hoc eſt, de ſalubritate & fructuoſa earum fæcunditate: Iam ad *arborum effectus* deſcribendos accedit, quas monitu Demonſtratoris, Propheta noſter in vtraque fluminis ripa conſpexit. Pauciſſimis autem verbis aliquot membra de hiſce arboribus exponit. 1. Primùm dicit omnes illas arbores *proferre fructus eſculentos*, hoc eſt, non agreſtes, feros, & inconditos (wild vngeſchlacht ding) qui non eſſent vtiles ad victum: Sed omnes proferre fructus lætos, fructus dulces conditos, & veſcentibus iucundiſſimi atque gratiſſimi ſaporis. Hoc vnum eſt.

Fructuum nobilitas.

Secundò dicit: *Quarum folia non decidunt)* Reliquis enim & frutetis & arboribus, temporibus autumni folia defluunt, vel tempeſtatum violentiâ detrahuntur, hiſce autem arboribus folia nunquam defluunt, ſed comatæ perpetuo virore florent.

Coma perennantes.

Tertiò: *Quarum fructus non conſumuntur)* Sicut viror iſtarum arborum perennis eſt, ita fructus quoque ſunt immortales, nulli neque putredini, neque ferarum, aut tempeſtatum infeſtantibus iniurijs obnoxij.

Fructus immortales.

Quartò: *Per ſingulos menſes afferent primitiva.* Non ſatis fuit Demonſtratori, laudaſſe fructus non perituros: ſed vices quoque proventuum explicat: quod vt rectius intelligamus, Hebræus textus ita eſt reſtituendus: *In menſibus ſuis primogenita edent*, vel (ſi Latinis auribus nõ adverſum eſſet) *primogenitabunt*. Vbi elegantia phraſeωs Hebrææ notanda eſt, qui *primogenitum* vocant, quodcunque *in ſuo genere excellens* atque ſummum eſt, ſumptâ ratione loquendi ex nobilitate, & præſtantia iuris primogenitorum: qui, vt lege conſtat, in hæreditatis diviſione portionem duplam acceperunt. Primogenitum igitur, quaſi duplum, eoque nomine, quaſi præſtantiſſimum, & excellentiſſimum nominatur. Nec refert ſeu bonum id, ſeu malum ſit, de quo ſermo eſt, vtrobique enim *ſuperlativum* exprimit. Exempli gratia, Iob. 18. 13. *Comedet ramos eius, primogenitus mortis.* בְּכוֹר מָוֶת Hoc eſt, peribunt impij, cruentiſſimâ omnium, miſerrimâ, & funeſtiſſimâ morte. Hic eſt primogenitus mortis. Sic Eſa. 14. v. 30 paſcentur.

Fructus menſtrui primogeniti.

Primogenitum quid Hebræus

Deut. 21. 17.

Iob 18. 13.
Primogenitus malorum: i. bipedum nequiſſimus.
Eſai. 14. 30.

Digitized by Google

paſcentur *Primogeniti tenuium*, id eſt, tenuiſſimi & abiectiſſimi Iudæorum. Exemplum in re bona: *Ego primogenitum conſtituam eum, excelſum in Regibus terræ,* hoc eſt, mirum in modum exaltabo & glorificabo eum. Ita & hoc loco, *Arbores primogenitabunt* (factitio verbo, ſicut & Hebræum יְבַכֵּר factitium eſt ex בְּכִיר) hoc eſt, proferent nobiliſſimos, & præſtantiſſimos fructus. Sed ais, de hoc iam in præcedentibus egit? Non ſimpliciter igitur dicit, proferent primogenita, ſed circumſtantiam temporis adiungit, *in menſibus ſuis proferent primogenita,* hoc eſt, ſingulis menſibus, novos, eosq; maturos & præſtantiſſimos fructus proferent. Atq; cum hoc mirandum, factuq; impoſſibile videri poterat, per anticipationem cauſam adiungit, vnde arboribus iſtis tanta fertilitas, quia videlicet aquæ illarum, quibus rigantur, *è ſanctuario* egrediuntur. *Pſalm. 89. 28.*

Quintò: *Et erunt fructus eorum*) Poſtremò tàm fructuum, quàm foliorum vtilitatem enarrat. Sicut enim & fructus & folia præſtantiſſimi ſunt: ſic & vtraque præſtantiſſimos habent vſus. Fructus enim in *cibos* eſt, folia in *medicinam*. Hactenus *deſcriptio nobilitatis terræ.* *Fructuum & foliorum vtilitas.*

PARS II.

v. 13. *Sic ait Dominus Deus*) Deſcripſit hucuſq; nobilitatem, & præſtantiam terræ: iam in ſecunda capitis parte, eiuſdem *terminos* definit, vt quæ, & quanta inter tribus Iſraëliticas dividenda eſſet, liquidò conſtaret. *Terræ dividendæ quantitas.*

Antea verò, quàm ad ipſam terminorum deſcriptionem perveniat, oſtendit terram illam, cuius terminos mox definiturus erat, inter *duodecim tribus* Iſraël, & ita quidem dividendam eſſe, vt *Ioſepho ſint funiculi*, hoc eſt, vt familiæ Ioſephi duæ portiones attribuantur, altera Ephraimo, Manaſſi altera. Portiones autem συνεκδοχικῶς funiculos vocat, quia funiculis dividebantur. Sicut noſtri Menſores hodiè perticis ſeu calamis vtuntur. De iure autem ſeu privilegio Ioſephi, quo Iacobus eos, non tanquam nepotes, ſed tanquam filios, declaravit, vt videlicet in hæreditate dividunda, non ſecundum ſtirpem, ſed ſecundum capita, ſicut reliqui filij Iacobi, portiones accipiant, legimus Geneſ. 48. 5. & 49. 22. *1. Privilegium Ephraimi & Manaſſis.*

v. 14. *Vt poſſideatis eam*) Secundum præliminare eſt, vt omnes æquo iure illam terram poſſideant, quiſque videlicet portionem ſuam. Hebr. textus ita habet: *vt poſſideatis eam, vir, ſicut frater ſuus.* Qui Hebraiſmus, vir ſicut frater, hanc vim habet, vt vnuſquiſque æquè ac alter poſſideat. Nam Hebræi, de duobus aut pluribus in maſculino loquentes, dicunt, *vir & frater eius*, de duabus autem rebus in fœminino, dicunt, *vxor & ſoror eius*, qua de re alibi dixi copioſiùs. *2. Diviſionis æqualitas.* *In locis Theologicis.*

Super quam levavi manum meam) Tertium præliminare, eſt de hæreditatis certitudine. Dicit enim ſe *Iuramenti Religione, promiſiſſe hanc terram patribus ipſorum*, promiſſionem igitur ſuam ſe completurum. Rurſus autem notanda eſt oratio Synecdochica: Nam per *manuum ſublationem*, ipſum iuramentum intelligit. **Ich habe dir einen vffgeregten Eyd geſchworen / den will ich dir halten.** *3. Hæreditatis certitudo.*

v. 15. *Hic autem eſt terminus terræ*) Iam demùm ſequitur deſcriptio terminorum, quibus terra in hæreditatem dividunda circumſcribitur. Ordine autem per *quatuor plagas* ſingula latera definit, initio facto in latere aquilonari, inde per ortum, & meridiem, venit ad latus ſeu terminum occidentis. *Deſcriptio terminorum terræ.* *Latus aquilonare.*

Hic ergò eſt Terminus in latere Aquilonari) Aquilonis terminus incipit à mari magno, & porrigitur ſecundum viam Chethlonis, quâ venitur in Tzedad, & inde in Chamath, in Beroth, in Siphraim, quæ ſunt inter terminum Damaſci, & inter terminum Chamath. Sunt autem iſthæc omnia loca, à mari magno, ſecundum montes Hermonim, Damaſcum & Arabiam verſus. Nam

I Chau-

Digitized by Google

Chauran Arabiæ oppidum eſt, Regnum Arabiæ, Damaſci, & Iudææ diſterminans, quod Ptolomæus & alij Geographi vocant Auranam. Chatzar-Henon eſt oppidum, in parte maximè Aquilonari: quod Num. 34. v. 9. 10. Et ſequenti cap. Ezechielis 48. v. 1. Chatzar-Henan dicitur. Inter omnia autem iſthæc loca frequentiſſima ſunt in ſcripturis, *Damaſcus* & *Chamath*, quam antiquus interpres, vbiq; Emath tranſtulit. Vide Ioſ. 13. 5. Ierem. 49. v. 23. 2. Reg. 14. v. 25. 28. Et alibi ſæpius.

Latus orientale.

verſ. 18. *Latus Orientis, à Chauran*) Orientale latus, terminatur confinio Chauran, Damaſci, terræ Iſraëliticæ trans Iordanem, vſque ad *mare mortuum*, quod hoc loco dicitur, *mare Orientale*, alibi mare ſalſum, Num. 34. v. 3. 12. Deuter. 3. 17. & alibi.

Notandum hoc loco: per terram Iordanis, non eam tantùm Iſraëliticæ terræ partem intelligendam, quæ cis Iordanem, ſed etiam, quę trans Iordanem ſita fuit, quam tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſis incolebant: Mentionem enim facit Gilhaad, quæ trans Iordanem fuit. Qua occaſione commodè explicari poteſt, locus præſtantiſſimi illius Pſalmi 42. v. 7. *Anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui, de terra Iordanis, & Hermonim, de monte modico.* Mein Gott/ betrübt iſt mein Seel in mir/ darumb dencke ich an dich/ im Land am Jordan/ vnd Hermonim/ auff dem kleinen Berge. Quibus verbis *tres extremitates* terræ Iſraëliticæ deſcribuntur. Nam per *terram Iordanis*, intelligit David latus ſeu terminum orientalem: per *montes Hermonim*, intelligit latus ſive terminum Aquilonarem: *per montem modicum*, montana deſerti, quibus terra Iſraëlitica, à deſerto Ægypti diſterminabatur, adeoq; latus Auſtrale intelligit, vt hic ſit ſenſus Davidis: In quibuſcunq; terræ Iſraëliticæ extremitatibus, Exul ego miſer latitem, ſive ad ortum, ſive ad Septentrionem ſive meridiem vagabundus oberrem, tui tamen memoria, animo meo nunquam elabitur. Dicuntur autem Montana illa deſerti, mons parvus, per comparationem ad montes Hermonim, qui propter ſummam celſitatem, vbique in ſcripturis celebrantur, quorum reſpectu, montana illa verſus Auſtrum, vix depreſſus colliculus æſtimari poterant.

NB. Explicatio loci. Pſalm. 42. 7.

Latus Auſtrale.

v. 19. *Latus Auſtrale*) Ex orientis latere in Auſtrale deſcendit, quod definitur, Tamare, Aquis contentionum in deſerto, & exitu torrentis in mare magnum. Quod latus eodem planè modo deſcribitur, Num. 34. v. 4. 5. Niſi quòd plurium ibi interiacentium locorum mentio fit.

Thamar autem fuit extremum oppidum Iudeæ, ad lacum Aſphaltitis, verſus meridiem.

De *aquis* autem *contradictionis* hiſtoriam legimus Num. 20. v. 13. & 27. 14. In deſerto Sin, vel Cades.

Torrens iſte, dicitur alibi torrens Ægypti, Num. 34. 5. Ex quo loco præſentem interpretor.

Latus occidentale.

v. 20. *Deniq; latus occidentis*) Quartò & poſtremò latus occidentale deſcribit, ipſo mari magno, ſeu mediterraneo. Hinc *mare*, reſpectu terræ ſanctæ, frequenter in Scripturis ſumitur pro occidente. Idem latus deſcribitur, Numer. 34. 6. Sed mentionem etiam facit hic verſus, longitudinis huius lateris: porrigitur videlicet hic terminus occidentalis in mari, vſq; dum è Regione occurrat, Chamatha ſive Emath, cuius in deſcriptione lateris Aquilonaris fecerat mentionem. Hoc latus eſt occidentis. Et hi ſunt termini totius terræ ſanctæ.

PARS III.

Diviſio terræ.

v. 21. *Et dividetis*) Deſcripſit hucuſque nobilitatem & præſtantiam terræ: definivit eiuſdem terminos: iam ipſa diviſio expeditur, ab hoc verſu 21. penultimi capitis, vſq; ad verſum 30. ſequentis vltimi.

Digitized by Google

Sed antequam portiones,& ſortes ſingulis tribubus adſignantur, ſub finem huius capitis,rurſus quædam *præliminares conditiones*,quas in diviſione terræ,obſervare debeant, præmittuntur, ab hoc verſu 21. capitis penultimi vſque ad capitis finem. *Deinde* ipſa diviſio ſubſequitur ab initio vltimi capitis vſque ad verſum 30.

v.21.*Et dividetis terram)* Prima conditio Diviſionis eſt, vt terram iſtam inter tribus Iſraëlis dividant. *Conditiones diviſionis. 1. Quibus dividenda terra?*

v.22.*Sortiemini autem illam in poſſeſſionem)* Secunda conditio, vt in iſta diviſione peregrinos & advenas neutiquam excludant: ſed ipſis etiam haud minus,quàm ipſis indigenis Hebræis, ſuas portiones adſignent. Deſcribuntur autem advenæ,qui,& quales eſſe debeant, ſi hoc diviſionis privilegio gaudere velint. *Vt* videlicet *accedant ad Iſraëlitas*, & *in medio illorum procreent liberos*,hoc eſt,cum illis vivant,conſtantem figentes inter ipſos ſedem,nec ſint cives reptícij,ſeu vagabundi errones. Qui autem cives advenæ & conſtantes fuerint, illi eaſdem portiones,cum Iſraëlitis indigenis ſortientur. *2. Qui peregrini non excludendi.* *Πρόσκαιροι.*

v.23. *In tribu autem, in quacunq; fuerit advena)* Tertia conditio, *locum ſortis*, quam capiat advena,definit: In ea ipſa videlicet tribu concedendam eſſe portionem,in quâ quiſq; advena vixerit. Adeò nullum diſcrimen eſt, inter advenas & indigenas, inter Hebræos & gentes in Regno Chriſti, ſed *vnus eſt Paſtor*, & *ovile vnum*. Vt ſuo loco dilucidius explicabitur. Hæc de præliminaribus: Quæ cum præcedentibus, verſibus 13. & 14. deſcriptis, hanc differentiam habent, quòd illa Hebræos, inter ſeſe concernunt: hæc verò Hebræos & advenas. *3. Locus ſortis advena.*

CAPVT XLVIII.

ARGVMENTVM.

ACcedimus,*divino ductu*,ad explicationem capitis quadrageſimi octavi & vltimi Ezechielis: Cuius partes ſunt duæ: In *priore*, recitantur portiones diviſæ terræ,à verſu 1. vſq; ad 30.

In *poſteriore*,deſcribitur civitas ſancta, à verſ.30. vſque ad capitis,& totius Prophetiæ finem.

PARS I.

v.1.*Et hæc nomina tribuum)* Prior pars capitis, portiones ſingulis tribubus attribuendas recitat à verſ.1. vt dictum eſt, vſq; ad 30. Poteſt autem hæc diviſionis deſcriptio *in tria membra* commodè diſtingui: Quorũ *primum*, earum tribuum portiones exhibet, quæ ſunt à termino Aquilonari, vſq; ad oblationem, ſeu portionem terræ ſanctam, à v.1. vſq; ad v.8. *Portiones tribuum.*

Secundum membrum deſcribit ipſam illam portionem ſanctam, à verſ.8. vſq; ad 23.

Tertium membrum exhibet nobis reliquarum tribuum partes, à portione ſanctâ, vſq; ad terminum Meridionalem, à v.23. vſq; ad 30.

v.1.*Hæc ſunt nomina tribuum)* Oblatio ſancta ex meditullio terræ offerenda eſt, portio videlicet ab occidentali termino, vſque ad terminum orientalem pertingens. Tribuum igitur portiones, hinc & hinc, vel ad aquilonem, vel ad Auſtrum ſitæ ſunt. Hoc primum membrum recitat portiones tribuum, ab oblatione ſanctâ, verſus Aquilonem ſitas.

Quarum omnium prima eſt *Dan*, cuius terminus eſt ipſe limes Aquilonaris, ſicuti præcedente capite 47. v.15.16.17. deſcriptus eſt. *Longitudo* autem à termino occidentis, hoc eſt, à mari magno, vſq; ad terminum orientis pertingit. Quam ipſam etiam rationem longitudinis locorum, mathematici obſervant, in Æquatore illam, vel parallelo numerantes, v.1. *1. Portiones Aquilonares.*

Digitized by Google

Secundam portionem, eodem tractu, adſcribit *Tribui* Aſſer, v. 2.

Tertiam,	Tribui	*Nephthali*, v. 3.
Quartam,	Tribui	*Manaſſes*, v. 4.
Quintam,	Tribui	*Ephraim*, v. 5.
Sextam,	Tribui	*Ruben*, v. 6.
Septimam,	Tribui	*Iuda*, v. 7.

Hæ ſunt portiones, ab Aquilone, vſq; ad oblationem ſanctam.

2. *Oblatio ſancta.*

v. 8. *Iuxta terminum Iudæ*) Secundum deſcriptæ diviſionis membrum, *oblationem* terræ *ſanctam* determinat, ab hoc verſu 8. vſq; ad verſ. 23.

Vbi hæc peculiariter obſervanda ſunt. *Primò*, Determinatio totius oblationis, verſ. 8. *Secundò*, ſingularum portionum iſtius oblationis deſcriptio. Eſt autem diviſio oblationis gemina. *Prima* generalis, eaque bipartita. Dividitur enim in portiones Principis, & partem intermediam ſanctam, ver. 8. & 21. *Deinde*, Intermediana ſancta, ſubdividitur in tres portiones. Quarum *vna* Sacerdotibus cedit, de qua verſu 9. 10. 11. 12. *Secunda* Levitis, verſ. 13. 14. Et *Tertia* communitati Civitatis, à verſ. 15. vſq; ad 20. Videamus ſingula. Nam accuratâ, & admirandâ diligentiâ, à Demonſtratore noſtro deſcripta ſunt.

Deſcriptio oblationis ſanctæ.

v. 8 *Iuxta terminum Iudæ*) Septem portiones ſeptem tribuum, inde à termino terræ Aquilonari exhibuit. Iam in medio ferè terræ, oblatio ſeu *pars ſancta* occurrit: quæ fuit portio terræ, *vicies quinquies mille* cubitos *lata*, & totius terræ ſpatium, à termino videlicet occidentis, vſque ad terminum orientis *longa*. Hoc enim vult Demonſtrator, quando dicit, *longitudinem oblationis eſſe, ſicut vnam portionum* (reliquarum videlicet tribuum) *à latere*, ſeu termino, *orientis vſq; ad latus occidentis*. Totus igitur ille tractus, habens in latitudine cubitos *vicies quinquies mille*, in longitudine ipſius terræ ſpatium, à termino orientali vſque ad occidentalem, eſt *oblatio ſancta*. Emphaticè autem loquitur textus Hebræus: Hæc portio eſt ILLA oblatio, quam offeretis. Voce Demonſtrativâ, ad cap. 45. nos remittens, cuius octo primis verſibus, hanc ipſam oblationem etiam deſcripſerat. Vtrumq; igitur caput, & 45. & præſens 48. coniungamus. Hæc eſt determinatio totius oblationis.

QVADRATVM SANCTVM.



v. 8. Poſtrema verba, verſus octavi ita habent: (*Et erit ſanctuarium in medio eius*) Totam oblationem ſanctam vidimus, iam hæc verba de eiuſdem generali diviſione nos erudiunt. Dicit enim Demonſtrator, in medio oblationis eſſe *Sanctuarium*, hoc eſt, portionem quandam ſingulari ſanctitati deputatam. Nec tamen ipſum ſanctuarium, ſeu *Domum Domini*, ſpecialiter ita dictam, hoc loco intelligit, de qua verſu decimo demùm agit. Sed, cùm tota oblatio ſancta ſit, ſicuti cap. 45. 1. & hoc ipſo cap. 48. v. 20. nominatur, media tamen eius portio, peculiaribus vſibus, peculiariter eſt deputata: vt in ſequentibus ſpecialiter explicabitur. Ad quantitatem porrò intermediæ huius areæ quod ſpectat, de *latitudine* quidem illius, ex iam dictis conſtat, eſſe cubitorum, *vicies quinquies mille*.

v. 8. *Lon-*

v.8. *Longitudinem verò*, proximè ſequentes 9. & 10. item 13. & 15. verſ. exprimunt, *æqualem* illam eſſe latitudini, cubitorum videlicet vicies quinquies mille. Omnium autem clariſſimè hanc quantitatem intermediæ huius areæ definit, verſus 20. qui expreſsè dicit, *eſſe hanc oblationem, vicies quinquies mille* (cubitorum) *per vicies quinquies mille* (cubitos) *quadratam*. Fuit igitur hæc Area, quam hoc loco ſanctuarium appellat, tota quadrata, cuius ſingula latera, vicies quinquies mille cubitos habuerunt.

Cubitos autem hoc loco, non *Calamos* intelligendos eſſe, ex cap. 45. v. 2. patet. Ibi enim cum de ſuburbio Templi & Atriorum loquutus eſſet, ſub finem orationis apertè cubitorum mentionem facit: *Quinquaginta cubitorum ſuburbium*, ſive, *Ambitus* eſto *circumquaq;*. Vnde manifeſtò patet, præcedentes menſuras omnes, etiam de cubitis intelligendas eſſe. Qua ipſa etiam ratione locus cap. 42. v. 16. 17. 18. 19. & 20. Ezechielis, clariſſimè elucidatur, Cubitos ibi, & nequaquam Calamos, intelligendos eſſe. Nam ſi omnes interiores partes, Templi, & Atriorum, eam, qua ſingulari & admiranda deſcriptæ ſunt, diligentiam æmulantes, menſuremus, & convenienti *συμμετρίᾳ* ad tertij Atrij exteriorem murum metiendum accedamus, exactè illum quingentorum *cubitorum*, neutiquam autem quingentorum *calamorum* deprehendimus. Id quod in deſcriptione hac diligenter obſervandum eſt. **N. B. Cubitos, non Calamos, intelligendos eſſe.**

v. 9. *Oblatio illa, quam oblaturi eſtis*) Totam oblationem ſanctam vidimus, quæ eſt portio terræ, longa quidem, ſecundum quantitatem terræ, à termino orientis, vſq; ad terminum occidentis, Lata verò, cubitos vicies quinquies mille. Vidimus etiam generalem eius portionis diviſionem, quòd videlicet ex medio huius oblationis, Area quadrata, Radicis vicies quinquies mille cubitorum, Area nimirùm ſanctuarij, in peculiares vſus deputata eſt. Iam huius Areæ quadratæ *ſpetialis ſub diviſio* ſequitur. Nam *tres* illa partes habuit, quarum *duæ* ſibi invicem æquales ſunt, Longitudinis ſecundum quantitatem quadrati, cubitorum nimirùm vicies quinquies mille, Latitudinis verò ſingulæ ſunt, cubitorum decem millium. Facit amborum latitudo cubitos vicies mille. Reliqua eſt *tertia pars, longitudinis* quidem eiuſdem, cum duabus illis, ſed *latitudinis* tantum quinq; millium cubitorum: ſic enim totum completur quadratum. Inter has tres partes huius ſanctuarij, illa, quæ proxima eſt ad terminum Sortis Iudæ, *Sacerdotibus* cedit, & in medio illius eſt *Templum* ſive ſanctuarium Domini; Media pars, *Levitis*; Tertia, *Communitati Civitatis*. Sicuti in textu, hæc ſingula, & ordinè, & diligenter deſcribuntur. **Quadrati ſancti ſpecialis diviſio.**

v. 9. *Oblatio illa*) Eſt deſcriptio 1. partis, quæ *Sacerdotum eſt*. Et in verſu quidem nono, generaliter longitudo & latitudo eius definitur, ſed in verſu 10. accommodatur illa quantitas ad plagas terræ, & ſub finem 10. verſus, ſimul indicatur, in huius partis medio conſpicuum eſſe Templum, ſeu Sanctuarium Domini. Idem planè habuimus ſupra cap. 45. v. 3. Tum in verſu 11. Sacerdotum ſanctitas requiritur, qua præter alios condecorati eſſe debeant. De qua etiam ſupra cap. 44. 14. Et tandem in verſ. 12. huius partis confinis terminus deſignatur, quòd, ſicut ex altera parte ad ſortem *Iuda*, ita ex hac, ſita ſit ex oblatione Levitarum. **1. Portio Sacerdotum.**

verſ. 13. *Levitarum autem*) Secundo loco deſcribitur *portio Levitarum*, eiuſdem planè longitudinis & latitudinis cum portione Sacerdotum. Atq; hæc eſt intermedia, inter oblationem Sacerdotum, & oblationem Civitatis: addita lege, in verſ. 14. Non conceſſum eſſe Levitis, vt quicquam de hac oblatione terræ, quæ ſancta eſt Domino, vel vendant, vel commutent, vel alienent, ratione quacunq;. **2. Portio Levitarum.** **Kirchengut.**

v. 15. *Quinquies verò mille*) Tertio loco *Communitas Civitatis* deſcribitur. Illa eſt portio, ſive parallelogrammum, eiuſdem quidem longitudinis, cum oblationis ſanctæ quadrato latere, ſed latitudinis, non amplius *quinquies mille* **3. Communitas Civitatis.**

cubitorum. Sic oblatio ſancta, in vicies quinquies mille cubitis, per vicies quinquies mille cubitos, *tota quadrata eſt :* Sicuti Spiritus S. in ſequenti 20. verſu, phraſi Geometrica, ex media Schola Mathematicorum deſumpta, expreſsè loquitur. Hæc deſcriptio abſolvitur verſibus 15. & ſeqq. vſq; ad 20. hac Methodo.

1. *Menſura parallelogrammi.* v.15. Quantitatem totius huius parallelogrammatis definit. Quòd videlicet ſit longum vicies quinquies, & latum quinquies mille cubitos: hoc addito, quòd in medio huius parallelogrammatis, *ſit ſedes Civitatis ſancta.*

2. *Menſura Civitatis.* v.16. Civitatis determinat *quantitatem*, quæ quatuor millium & quingentorum cubitorum, in *Quadrato* eſt: hoc eſt, ſingula latera Civitatis, ad Aquilonem & ad Auſtrum, ad ortum & ad occaſum, quater mille & quingentorum ſunt cubitorum.



3. *Menſura ſuburbiorum.* v.17. *Suburbia*, per omnem Civitatis circuitum deſcribit, quòd videlicet in omnes plagas, ab Vrbis ambitu latitudinis ſint 250. cubitorum. Tanta nimirùm, vt Civitate in medio poſitâ, reliqua ſpatia *latitudinis* parallelogrammi, ſuburbiorum latitudine complerentur. Fuit enim tota latitudo huius parallelogrammi, quinque millium cubitorum, vnde ſi Civitatis quantitas, quater mille videlicet & quingenti, cubiti ſubtrahantur relinquuntur cubiti quingenti: qui bipartiti, duceni videlicet & quinquageni, hinc & hinc ſuburbijs cedunt, Septentrionem & Meridiem verſus. Eiuſdem quantitatis ſuburbia, cingunt vrbem, etiam ad ortum & occaſum. Vnde conſequitur totum hoc intermedium ſpatium, in cuius medio Civitas ſita eſt, rurſus *quadratum eſſe*: Nam Civitati *quadratæ*, æqualis latitudinis ſuburbia circumponuntur, quæ perfectum vndiq; relinquunt *quadratum*, cuius Radix eſt, latitudo parallelogrammi, quinquies mille nimirùm cubiti.

4. *Reſidua parallelogrammi ſeu communitatis Civitatis.* v.18. *Et quod reſiduũ erit*) Quarto loco, *Reſidua* parallelogrammi explicantur. Totum enim hoc parallelogrammũ, quod communitati Civitatis cedit, *Latum* eſt quinquies mille, *Longum* vicies quinquies mille cubitos, ſecundum radicem videlicet totius intermedij quadrati, quod ſpecialiter oblatio ſancta, vel quadratum ſanctum dicitur. Ex medio autem parallelogrammi, *quadratum* Radicis, quinquies mille cubitorum, *Civitati & ſuburbijs* cedit: Relinquuntur ergò ex vtraq; parte verſus ortum, & verſus occaſum ad complementa huius parallelogrammi, *dena millia* cubitorum.

Hæc duo ſpatia, quæ ſingula duplo maiora ſunt, quam ipſa Civitas cedunt in vſus incolarum Civitatis, qui omnes dicuntur *Miniſtri Civitatis.* Hoc enim officium erat omnium civium, vt reliquis fratribus ſuis, ex omnibus

tribubus

Digitized by Google

tribubus, locisque totius terræ, ad conventus ſive Eccleſiaſticos, ſive politicos adventantibus, miniſtrarent, in cuius rei compenſationem & vſus, hæc communitas civitatis, ex oblatione ſancta, ipſis conceſſa eſt. Id quod ex ſequenti verſu 19. qui præcedentis epexegeſin habet, manifeſtiſſimum evadit: is ad verbum ita habet: *Et Miniſter civitatis, ſervient illi, de omnibus tribubus Iſraëlis*, hoc eſt, quotquot in civitate illa victuri ſunt, ſervi publici futuri ſunt. Cui autem ſervient? omnibus & ſingulis, ex quibuſcunque tribubus, aut oris adventaverint. Hic eſt ſenſus verſus 19.

NB. Incola ſancta civitatis, omnium ſanctorum ſervi.

verſ. 20. *Totam oblationem ſanctam.)* Hic verſus Epilogus eſt, partialis huius deſcriptionis, eius partis ſanctæ oblationis, quæ generaliter *ſanctuarium* appellatur, hoc eſt, portio, ſacris vſibus deputata. Colligit autem hic verſus in ſummam, totius portionis quantitatem, eſſe videlicet Aream, *vicies quinquies mille* cubitorum, *per vicies quinquies mille* cubitos *quadratam*, hoc eſt, Aream vicies quinquies mille cubitos *longam*, & totidem cubitos *latam*. Vbi notanda eſt Phraſis *Geometrica*, quam demonſtrator Prophetæ, ex medijs Mathematicorum ſcholis, huic ſuæ deſcriptioni adhibuit. *Area viginti quinque millium cubitorum, per viginti quinque millia cubitorum quadrata.* Quæ res & Mathematicas diſciplinas commẽdat, & quòd Theologiæ ſtudioſus earundem non prorſus ignarus eſſe debeat, non obſcurè demonſtrat.

Epilogus deſcriptionis quadrati ſancti.

Mathematicorum ſtudiorum commendatio.

verſ. 21. *Et quod reliquum fuerit.)* In verſ. 8. diximus, diviſionem *oblationis ſanctæ* geminam eſſe: generalem alteram, alteram ſpecialem. *Generalem*, qua in portiones Principis, & ſanctuarium dividitur. *Specialem*, qua ſanctuarium, ſive oblatio ſancta, ita dicta, in portiones *Sacerdotum*, *Levitarum, & poſſeſſionem*, ſeu *communitatem civitatis* diſtributa eſt. De hac ſpeciali, diligenter hactenus & ſufficienter tractatum eſt. Iam in hoc verſu 21. accedit ad diſtributionem generalem. Poſteaquam enim quadratum ſanctitatis expedivit, iam Principis deſcribit portiones. Quas ita definit, vt oblationis ſanctæ quadrato, in medio conſtituto, quicquid hinc & hinc, hoc eſt, tàm ad ortum, quàm ad occaſum, reliquum fuerit, à fronte quadrati, inter tribuum portiones, ad orientis & occidentis terminos porrectum, id omne *Principis* eſſe dicat.

Portiones Principis.

v. 21. Circa finem ita habet. *Sic erit oblatio ſanctitatis, & ſanctuarium Domus in medio eius)* In hiſce vltimis verbis verſus 21. & ſequente v. 22. eſt Epilogus vtriuſque, tàm ſpecialis, quàm generalis diſtributionis, oblationis ſanctæ. Dicit enim: *Sic erit oblatio ſancta, &c.* hoc eſt: Explicui hactenus, quæ ſint portiones quadrati ſancti, portio nimirùm *Sacerdotum*, & in medio illius, ſanctuarium Templi, portio *Levitarum, & poſſeſſio* denique *civitatis*, in cuius itidem medio ipſa civitas. Explicui ſimiliter, quæ ſint portiones principis, à frõte nimirũ quadrati, duo λείμματα inter terminos Iuda, & Benjamin, ad ortum & occaſum vſque porrecta. Sicq; omnis diviſio, oblationis ſancta expedita eſt.

verſ. 23. *Et reliquum tribuum.)* In diſpoſitione & Oeconomia primæ partis huius capitis dictum eſt, diſtributionem terræ ſanctæ tribus membris abſolvi, quorum *primum* recenſeat portiones tribuum, à termino Aquilonis vſque ad oblationem ſanctam, à v. 1. vſque ad 8. *Secundum* membrum, deſcribere & diſtribuere ipſam portionem ſive oblationem ſanctam, à v. 8. vſque ad 23. *Tertium* membrum exponere, reliquarum tribuum portiones, inde ab oblatione ſancta, vſque ad terminum meridionalem. Duo priora membra huc uſq; abſolvimus, iam, explicãdo verſum 23. accedimus ad membrum *tertium*, quæ videlicet trbus, & quonam ordine, inde ab oblatione ſancta, vſq; ad terminum terræ meridionalem, ſuas portiones poſſideant, à v. 23. vſq; ad 30.

Reliquarum tribuum portiones.

Ea res plana eſt, atque ita ſe habet, proximam ab oblatione ſancta portionem, meridiem verſus, ab orientis termino, vſque ad occidentis porrectam, poſſidet tribus *Benjamin*. Vltimam præcedentem, ab Aquilone, numerandi initio facto, poſſidet tribus Iuda. Vnde conſequitur, oblationem ſanctam, inter

Oblatio ſancta inter Iuda & Beniamin media.

Digitized by Google

inter portiones tribus *Iuda*, & tribus *Benjamin*, intermediam eſſe. Cuius rei præcedens verſus 22. In deſcriptione portionis principis, mentionem fecit. Hoc vnum eſt: proximam portionem ab oblatione ſancta, meridiem verſus, poſſidere *Benjamin*, v.23.

Sequentem poſſidet *Simeon*, v.24.
Proximam *Iſaſchar*, v.25.
Proximam *Zabulon*, v.26.

Deſcriptio termini Auſtralis.

Vltimam, verſus meridiem, portionem, tribus Gad poſſidet, v.27. cuius, & totius adeò terræ ſanctæ, *Meridionalis terminus* deſcribitur notatione *Thamar*, *Aquarum contradictionis*, ſive cades & *torrentis*, influentis ibi in occidentis Angulo, in Mare magnum. v.28. Qui idem Auſtralis terminus, etiam Num. 34. v.3.4.5. deſcribitur, vt diximus in verſ. 19. præcedentis capitis 47. noſtri Ezechielis: hoc ſolo diſcrimine, quòd plurium ibi locorum mentio facta eſt, & hic *Thamar* ponitur, quæ ibi non nominatur. Sunt autem (quod obiter hic

Thamar quid?

monendum puto) qui per *Thamarem*, *palmiram* intelligunt, hoc eſt, civitatem palmarum: nam Thamar תָּמָר Hebræis Palmam ſignificat. Sed hanc ſententiam non habere locum, manifeſtè patet: quia demonſtrator noſtri Ezechielis, deſcribens terminum Meridionalem, in ipſo capite orientis, nominat Thamarem. Palmira verò, reſpectu terræ ſanctæ, verſus Septentrionem ſita fuit. Vocatur etiam *Iericho*, ciuitas palmarum, Deut. 34.3. Iud. 1.16. & 3.15. quam Ioſua, Domini iuſſu, ſono buccinarum ſubuertit. Ioſ. 6.23. Sed & illa, à termino hoc Meridionali, & remotior eſt & ſeptentrionalior. Sed & *Engedi*, prius חַצְצוֹן תָּמָר dicta fuit, Geneſ. 14.7. & 2. Paralip. 20.2. Quicquid ſit, Thamar, cuius hoc loco apud Ezechielem mentio fit, civitas fuit non procul à mari mortuo, in Angulo Orientis, & Meridiei. Secundus locus, cuius in hoc termino Meridionali mentio fit, ſunt *Aquæ contradictionis*, in deſerto Cades, מֵי מְרִיבַת קָדֵשׁ quæ hiſtoria nota eſt ex Num. c.20.

Tandem fit mentio, *torrentis* influentis in mare. Is eſt torrens Ægypti dictus. Numer. 34.5. Qui ebibitur à mari magno. Ioſuæ 13.3. nominatur Sichon.

v.29. *Iſta eſt terra, quam ſortiemini.)* Hic verſus *Epilogus* eſt prioris partis huius capitis: hactenus videlicet deſcriptam eſſe, & magnitudinem, & diuiſionem terræ, quæ ſorte portionibus æqualibus inter tribus Iſraëlis dividunda.

PARS II.

De Civitate.

Verſ. 30. *Hi autem ſunt exitus.)* Poſterior capitis pars civitatem ſanctam deſcribit, à verſ. 30. vſque ad finem capitis, & totius voluminis Ezechielis. In qua deſcriptione hæc *quatuor* obſervanda ſunt.

Primò, quantitas ſingulorum laterum civitatis. *Secundò* numerus, & nomina, portarum, in ſingulis lateribus. *Tertiò*, totus civitatis ambitus. Et *quartò tandem* civitatis nomen.

I. Civitatis quantitas.

Ad primum quod attinet, *civitatis quantitas*, definitur, quater millium & quingentorum (cubitorum) in ſingulis lateribus, in quadrato, quæ ipſa eadem quantitas, etiam ſuprà definita fuit, in v.16. huius capitis.

EXAMEN & deciſio quæſtionis, vtrum in hiſce deſcriptionibus, CVBITI vel CALAMI intelligendi ſint.

Vbi *rurſus* hæc ἀπορία definienda eſt. Quia in Hebræo textu, *hoc loco* neque *cubitorum*, neque *calamorum* mentio fit, quæſtio oritur, vtrum *cubiti* an *calami*, in huius quantitatis definitione, intelligendi ſint?

Sententia D. Hieronymi.

Qua de re B. Hieronymus in caput 45. Ezechielis ita ſcribit: *poſt Ceremonias Sacerdotum, cultumq; eorum & cibum, quæ debeant ſumere, quæ vitare, nunc terræ ſanctæ facit deſcriptionem: & antequam omnem in tribus dividat, de cunctis tribubus iubet eligi locum, qui in longitudine habeat viginti quinque millia, & in latitudine decem millia. Et quia non eſt poſitum cubitorum, ſive pedum, aut vlnarum: ſubintelligi datur, ſigni-*

Digitized by Google

tur, ſignificari calamum, qui erat in manu viri, & habebat menſuræ ſex cubitos, & ſextam partem vnius cubiti, id eſt, παλαιστήν. *Diligens ſupputet Lector, quot calami mille paſſus faciant, & quam multa millia in longitudine fuerint, & in latitudine,* &c. Quam ſententiam & *Nicolaus de Lyra*, & alij plures interpretes amplectuntur. Sed vt ſupra quoque monuimus, ſatis evidenter monſtrari poteſt, *non* calamos, *ſed* cubitos intelligendos eſſe. *Quam Lyra & alii plures interpretes ſequuntur.*

Primùm enim, in eodem ipſo illo loco, in quem Hieronymus recitatâ modo verba commentatus eſt, expreſſa *cubitorum* fit mentio, contrà, quàm verba ipſius diſertè ſonant, vt videre eſt, Ezech. 45. v. 2. Licet enim demonſtrator Ezechielis, non ad ſingulos menſurarum numeros, verſu 1. & 2. ibi loci poſitos, *cubitorum* mentionem adijciat, ſub finem tamen verſus ſecundi, apertè nominat *cubitos*, ambitum videlicet exteriorem Templi, quinquaginta *cubitorum* eſſe. Vnde ἀπὸ κοινοῦ, præcedentium quoq; numerorum, atq; menſurarum qualitas & denominatio æſtimanda eſt. Qui loquendi modus, non infrequens eſt in linguâ ſanctâ, perinde ac ſi dicam: Sunt mihi debitores, quorum vnus viginti debet; ſecundus triginta; tertius quadraginta *florenos*. Vbi facilè quivis intelligit, poſtremam determinationem ad omnes præcedentes numeros referendam eſſe. Atque eadem planè ſententia eſt, noſtri Ezechielis in dicto loco. *Demonſtratio noſtræ ſententiæ. NON calamos. SED cubitos intelligendos eſſe.* *I. Ex regula interpretandi generali.*

Secundum Argumentum ſumitur ex Ezech. cap. 42. v. 16. & ſeqq. Ibi, cùm deſcribatur quantitas atrij exterioris, etiam mentio fit cubitorum: nam in verſ. 16. legitur vox אַמּוֹת, quâ hoc ipſum, quod in controverſia eſt, eleganter deciditur: ſiquidem hâc vnâ voce, q̃ ſecundũ literas, אַמּוֹת hoc eſt cubitos, ſecundum puncta verò מֵאוֹת hoc eſt cẽtenos, exprimit. Et quoties centenos, præcedens dictio, numeralis interpretatur, videlicet quingentos: adeò vt ſingula latera atrij extremi habuerint cubitos quingentos. Quod autem & in dicto v. 16. & in ſequentibus reliquorum laterum deſcriptionibus, etiam *calamorum* fit mentio, nullam aliam habet interpretationem, niſi quòd demonſtrator Prophetæ, quingentos illos cubitos, per *calamos* dimenſus ſit, & ſanè per *calamos eius menſuræ*, quam ab initio ſtatim cap. 40. deſcripſerat. Quorum ſinguli, habuerunt cubitos ſex, ſinguli porrò cubiti, cubitum & palmũ. Quâ de re, ſupra quoque diximus. Videatur ſuprà. *2. Ex dictione & Phraſi Hebraica.*

Tertium argumentum, quod omnium firmiſſimum & pulcerrimum eſt, ex ipſius ſtructuræ Geometricâ commenſuratione, & Symmetria deſumptum, vbi contra Hieronymi & Nicolai de Lyra cõmentationes ita concludi poteſt: *3. Ex συμμετρία Geometrica.*

Talis dandus eſt ambitus Atrij extremi, qualem totius ſtructuræ,
Geometrica συμμετρία concedit.
Sed non alium, quàm quingentorum *cubitorum*,
Geometrica συμμετρία concedit.
Ergò non alius, quàm quingentorum *cubitorum*
Ambitus eſt ſtatuendus.

Ad *probationem minoris* hæc requiruntur, *primùm*, vt conſtet, interius atrium eſſe centum cubitorum, id verò apertè patet, ex Ezech. c. 40. v. 47. vbi ſic legitur: *Et menſus eſt hoc Atrium longitudine* centum cubitorum, *& latitudine* centum cubitorum, *quadratum.* Hoc vnum eſt. *Deinde* amplius requiritur, vt conſtet, latitudinem atrij, tàm *mediani*, quàm *extremi*, vtrobique fuiſſe *centum cubitorum.* De latitudine igitur atrij extremi apertè hoc conſtat, ex Ezech. cap. 40. verſibus. 19. 23. 27. vbi dilucidè ſcribitur, tertiâ vice: à portâ ad portam fuiſſe *cubitos centum.* De latitudine atrij intermedij idem conſtat, ex eodem capite, verſib. 28. 32. 35. vbi diſertè dicit Propheta, demonſtratorem dimenſum eſſe atrium intermedianũ, & *eaſdem planè habuiſſe menſuras*, quas antea, in atrio exteriore. Cùm igitur deprehẽſum ſit, in extremo atrio, à portâ ad portam, ſpatium *centum cubitorum* fuiſſe: ſequitur, in atrio mediano, quod eaſdem

Digitized by Google

dem planè menſuras habuit, à porta ad portam itidem fuiſſe ſpatium *centum cubitorum*, quod probandum fuit. Ex quibus omnibus rurſus ita concluditur.

Si atrium tertium ſeu intimum centum cubitos quadratum fuit, & medianum, latum *cubitos centum*, extremum denique etiam *centum cubitos* latum, à porta ad portam, neceſſariò ſequitur, ambitum huius tertij atrij, in lateribus, *quingentos cubitos*, nequaquam autem *quingentos calamos* habere.

Sed verum eſt *prius*. Verum igitur & *poſterius*.

Ad *maiorem quod attinet*, vera illa, & nota eſt, omnique contradictione caret, in omnibus omnium Geometrarum Scholis. Subſumptum paulò ante probatum eſt. *Stat igitur concluſio*, Latera nimirùm extremi atrij, ſingula, quingentos *cubitos* habere, non autem quingentos *calamos*, ſicuti Gloſſa ordinaria ex Hieronymo, & hanc ſequutus Nicolaus de Lyra, præter rationem ſtatuerunt.

Vtilitas præcedentis demonſtrationis.

Sed vt ad præſens inſtitutum, & textum noſtrum Propheticum redeamus, quem, de magnitudine & quantitate civitatis ſanctæ, explicandum habemus, ex hac ipſa facta probatione, magna quoque lux præſenti loco accedit. Quia enim demonſtratum eſt, verſum primum & ſecundum capitis quadrageſimi quinti Ezechielis, non de *calamis*, ſed de *cubitis* intelligendos eſſe. in illis ipſis autem verſibus, aliquid etiam habetur, de quantitate quadrati ſancti, cuius accuratam delineationem, & diſtributionem in ſecundo membro, prioris partis, præſentis vltimi capitis Ezechielis habuimus, & in cuius complexu, in tertiâ videlicet portione, quæ communio civitatis appellatur, hæc civitas, quam modo contemplamur, ſita eſt, patet duos iſtos locos vna interpretatione coniungendos eſſe.

Definitio menſuræ laterum civitatis.

Cùm igitur ex dictis manifeſtum ſit, latus quadrati ſancti, eſſe *vicies quinquies cubitorum*, (cuius quantitatis, in dicto Ezechielis loco, cap. 45. v. 1. monſtratâ ratione ac modo, mentio fit) non autem *vicies quinquies mille calamorum*, vt præter Hieronymum & Nicolaum de Lyra, etiam interpretatio interlinearis ſtatuit, ex diſtributione quadrati ſancti, (quam hoc vltimo capite, à verſ. 8. vſque ad 22. examinavimus) etiam hoc fit manifeſtum, *aſſignatos numeros laterum civitatis*, non de *calamis*, ſed de *cubitis* intelligendos eſſe. Quia enim quadratum ſanctum, per vicies quinquies mille cubitos (*non calamos*) quadratum eſt. Decies mille autem cubiti, portioni Sacerdotum, & decies mille cubiti, Portioni Levitarum cedunt, reliqui ſunt quinquies mille cubiti, qui cedunt poſſeſſioni civitatis: vnde clariſſimè, & extra omnem contradictionem ſequitur, haſce menſuras, quas in hac poſteriore parte capitis, de magnitudine civitatis, & ſuburbiorum proponit demonſtrator, de *cubitis* debere, nec vnquam de calamis intelligi poſſe. *Latitudo* enim iſtius portionis, eſt quinquies mille cubitorum, quam vrbis & ſuburbiorum quantitas, in cubitis menſurata, totam occupat.

Deductio ad abſurdum & impoſſibile.

Si nolis cubitos, ſed calamos intelligere, periculum fac, & quid ſequatur attende. Habebit enim hac ratione, civitas cum ſuburbijs, quinquies mille *calamos*, qui faciunt cubitos, *tricies mille* (calamus equidem ſex cubitos habet,) ſed tota latitudo poſſeſſionis eſt tantùm *quinquies mille cubitorum*. Contentum igitur ſexies maius & amplius erit, quàm ſpatium continens. *Quod & abſurdum eſt, & impoſſibile.* Patet ergò menſuram civitatis ſanctæ, de *cubitis*, non autem de *calamis* intelligendam eſſe, quod & hoc loco, & pluribus præcedentibus, vt & alibi monuimus, diligenter eſt attendendum.

Dimenſio laterum civitatis.

Quibus præmiſſis, facilima iam ſunt expeditu, quæ de civitate ſancta explicanda reſtant. Dicit enim demonſtrator, ſingula latera civitatis habere, quater mille, & quingentos, ſc. *cubitos*. Nam cubitos, non calamos, intelligendos eſſe, iam probatum eſt. Exprimit autem demonſtrator, hanc quantitatem in ſingulis lateribus, *ſingulariter*: verbi gratiâ, lateris *Aquilonaris*, v. 30.

Lateris

Digitized by Google

Lateris *Orientalis*, v. 32. Lateris *Meridionalis*. v. 33. Et tandem lateris *occidentalis*, v. 34. Hoc primum membrum eſt, ex quatuor propoſitis, de *quantitate laterum* civitatis.

Secundum membrum eſt, de *numero & nominibus portarum*, in ſingulis lateribus. Qua de re demonſtrator, hoc *primùm* exponit generaliter, portas civitatis à tribubus Iſraelis denominatas eſſe, v. 31. *Et portæ civitatis, de nominibus tribuum Iſraëlis: Deinde* in ſpecie declarat, quæ portæ tribuum, in quibus civitatis lateribus conſpiciantur. Tres videlicet in ſingulis lateribus. *II. Numerus Portarum.*

In latere nimirùm *Aquilonari*, porta *Ruben*, porta *Iuda*, & porta *Levi*, verſ. 31.

In latere *Orientali*, itidem tres: porta *Ioſeph, Beniamin, & Dan*, verſ. 32. Per portam Ioſeph autem intelligit Ephraim & Manaſſen coniunctim, quia tribus Levi, & ipſa portam occupat.

In latere *Meridionali*, rurſum tres, *Simeonis, Iſchaſchar, & Zebulon*, v. 33.

Et tandem in *Latere Maris*, hoc eſt, occidentis etiam tres, porta videlicet *Gad, Aſſer & Nephthali*. v. 34.

Tertium membrum eſt de toto *ambitu* civitatis, qui ex collectione quatuor laterum producitur. Ductis igitur quatuor, in quater mille & quingentos cubitos, producuntur cubiti *decies octies mille*, quem *ipſum numerum* in verſ. 35. exprimit *demonſtrator*. *III. Ambitus civitatis.*

Quartum & poſtremum membrum eſt de *Nomine Civitatis*, quod vltimo verſu exprimit demonſtrator, dicens: *Et Nomen Civitatis, ab hodie, ſeu deinceps erit:* יְהוָה שָׁמָּה hoc eſt, *DOMINVS IBI*. Hactenus explicationem textus percurrimus, quem obſcurum quidem & impeditum, gratia & auxilium demonſtratoris noſtri Prophetæ, planum ſatis & expeditum nobis reddidit: jam circumſpiciendum eſt, quæ ſit totius huius viſionis, *ſpiritualis contemplatio* & vſus: ne in hac civitate, & hoc templo, quod tantâ diligentiâ & admirabili ſtudio Spiritus S. deſcripſit, tanquam in ignotâ regione, locisque peregrinis verſemur: quam viam eodem demonſtratore duce & gratiâ ingrediamur. *IV. Nomen civitatis.*

CONTEMPLATIO SPIRITVALIS Templi, adeoque totius viſionis Propheticæ Ezechielis.

Quod *Paulus Apoſtolus* ſcientiâ Theologicam, quâ excellenter prępolluit, non in ſcholis aut Synagogis Hieroſolymitanis, ſed in ipſo tertio cœlo; non ab hominibus, ſed ab ipſo Domino & Servatore noſtro Ieſu Chriſto edoctus, de aliis noſtræ Religionis capitibus pronunciavit: Scientiam noſtram non omnibus numeris abſolutam, ſed ex parte eſſe: *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte Prophetamus*. 1. Cor. 13. v. 13. Idem & nos de præſenti viſione Ezechielis noſtri, quam poſtremis novem capitibus deſcriptam vidimus, intrepidè pronuntiamus. Cùm enim tanta ſit ipſius textus obſcuritas, quantam vix alibi, tantâ copiâ & multitudine rerum, in toto ſcripturarum volumine occurrere puto, vnde factum eſt, vt non apud omnes Interpretes ſufficiens, & huius viſionis ſatis dilucida expoſitio reperiatur: quis polliceri auſit, ſe ipſius ſpecialiter explicationis, quæ vt ſanctior multò & ſublimior, ita quoque obſcurior multò & intricatior eſt, plenam & perfectam daturum interpretationem? Ductu tamen & auxilio noſtri demonſtratoris, qui & Prophetam noſtrum Ezechielem, & nos, per totam Templi & Civitatis ſtructuram, quam feliciſſimè deduxit, quid adſequi valeamus, conabimur, ſi non ad omnia & ſingula penetrare *Spirituales huius viſionis ſignificationes, in hac vita nemo ſufficienter interpretabitur.*

penetrare liceat, quod nec ſperare, nec promittere poſſum, aut debeo: ea tamen, Deo revelante, ex hac viſione Ezechielis proferemus, quæ & ſapientiam, & bonitatem Dei, patris gloriam & maieſtatem Chriſti Salvatoris, eiuſdem regnum, Eccleſiam, noſtram, in eodem viventium, ſalutem & decus, & futuræ denique vitæ ſpem, atque excellentiam, pulcerrimè ſunt & admirabiliter illuſtratura.

Methodus meditationum.

Sicut autem, in explicatione huius viſionis, novem continua capita, à quadrageſimo nimirùm Ezechielis, vſque ad finem libri, ſine interpoſitione locorum communium (pauciſſimis exceptis, poſt Exordium) continua interpretatione, nova methodo, coniunximus: ita iam quoque in ſpiritualibus hiſce meditationibus, ſpirituales huius viſionis ſignificationes explicaturi ſimiliter neque capitum, neque verſuum ordinem obſervabimus. Sed cum tres ſint principales viſionis partes, *Templum*, *Civitas*, *& Terra ſancta*, nos meditationes quoque noſtras in *eadem ipſa tria capita*, hac ratione tribuemus, vt ſemper à generalioribus & latioribus ſeu amplioribus, ad ſpecialiora deveniamus: initio facto à *Terra ſancta*, pergendo inde ad *civitatem ſanctam*, & hinc ad *Templum*, donec tandem in ipſum *ſanctuarium*, ſeu *Sanctum Sanctorum Templi*, & *atria* eiuſdem *poſtica* liceat penetrare. Quæ ratio, licet capitum & verſuum ordinem, non obſervet, memoriæ tamen & dilucidıtati rerum non mediocriter, ſpero inſervituram.

Principalia meditationum capita.

Primùm omnium autem explicandus, & demonſtrandus eſt totius viſionis *ſcopus*, *& finis*, quo vel neglecto, vel non ritè conſtituto, in obſcuro & incerto, omnes meditationes noſtræ verſarentur. Quâ parte reliquis connumeratâ, quatuor omninò meditationis membra exurgunt. 1. *Scopus* viſionis Prophetæ. 2. Cotemplatio & diſtributio *terræ ſanctæ*. 3. Contemplatio *Civitatis*. 4. Contemplatio *Templi*, & omnium eiuſdem partium. *Singula ordine videamus.*

I.

SCOPVS PROPHETICÆ viſionis.

Viſiones Propheticæ.

Principiò, totam hanc deſcriptionem, & ſtructuram Templi ac Civitatis, diviſionem quoque & diſtributionem terræ ſanctæ, non in rei veritate externâ, ſed in *viſione Propheticâ*, & revelatione internâ extitiſſe, ex ipſo textu Prophetico conſtat. Cùm enim Propheta noſter in Babylonica captivitate verſaretur, oblata ipſi eſt hæc Templi, & Vrbis, & terræ ſanctæ deſcriptio. Sed oblata ipſi eſt *in viſionibus*, vt aperta textus verba habent: quas viſiones, vocat *viſiones Dei*, cap. 40. v. 2. Et viſiones, vocat, *multitudinis* numero, quia non vnius rei, ſed plurimarum deſcriptio exhibita eſt. *Viſiones Dei* vocat, quia non levium, ſed graviſſimarum rerum ſunt viſiones, vt in textus explicatione dilucidiùs expoſuimus, viſiones igitur fuerunt; non externæ dimenſiones rerum.

De rebus.

Secundò cuiuſmodi autem rerum ſunt viſiones? Reſp. Templi, Civitatis, & terræ ſanctæ. Sed non externum illud *Hieroſolymitanum* Templum lignis & lapidibus extructum, non *externas* illas Hieroſolymas, induſtriâ & artificio hominum excitatas, neque *externam* illam Regionem terræ Chanaan, limitibus circumſcriptam, intelligendam eſſe, plurimis id, iiſque immotis atque indubitatis Argumentis conſtat. Ex magno illorum numero, præcipua duntaxat videamus.

NON TERRENIS.

Id quod aliquot Argumentis probatur.

1. Ex indicatione Prophetica.

1. *Primum* illorum, ipſa Phraſis Prophetica ſuppeditat, dicit enim cap. 40. v. 2. *ſe ſuper montem, ad quem in viſionibus Dei adductus erat, vidiſſe, quaſi ædificium*

Digitized by Google

cium civitatis. Qua phraſi ſatis innuit, ſe non de civitate, ſed de *quaſi* civitate fuiſſe informatum, quæ non revera, ſed in viſione extaret.

Secundum, ex civitatis & Templi *SITV* exurgit, qui in hâc viſione longè alius deſcribitur, quàm fuit Hieroſolymarum. Ibi enim Templum in ipſa vrbe conſpiciebatur, ita tamen, vt minor vrbis pars, à Templo meridiem verſus recederet, maior & amplior pars vergeret in ſeptentrionem. Haud aliter (*vt parva magnis conferamus*) quàm in hac ipſa Tubingenſium civitate videre eſt. Vbi hoc proximum, primarium Vrbis Templum (olim D. Georgio ſacrum) in editiori loco ſitum, aliquam, ſed eam minorē vrbis partem, verſus meridiem adhærentem habet: maiorem verò, ampliorē & decliviorem partē, verſus Septentrionē extructam contuetur. In *viſione* autē noſtri Ezechielis, civitas non tantùm in *Auſtrum* vergit, cap. 40. v. 2. ſed, ſicuti in deſcriptione vidimus, tanto intervallo, quantùm tres ferè civitates caperet, à Templo verſus meridiem, remota eſt. Cùm enim quadratum ſanctum (cuius latera vicies quinquies mille cubitos habent) in tres portiones tributum ſit, quorum *vnum* decies mille cubitorum, verſus Septentrionem ſanctuario cedit; *Medium* eiuſdem latitudinis, Levitis; *Tertium*, habens reſiduum quinquies mille cubitorum, verſus meridiem, civitati: patet totam portionem Levitarum, inter portionem civitatis, & ſanctuarij *interpoſitam* eſſe, cui præterea accedit ſanctuarij portionis dimidium, nam in medio eius Templum ſitum eſt. Vnde apparet, civitatem, per decies quinquies mille cubitos à Templo, verſus meridiem recedere multùm, *diverſâ diſpoſitione*, quàm fuit Hieroſolymarum.

2. Ex ſitu civitatis & Templi.

Tertiò, ſimilis diverſitas in ipſius quoque *terræ diviſione* apparet, eaque varia & multiplex. *Primùm* enim terra illa Chanaan, filijs Iſrael promiſſa, ſic inter tribus fuit tributa, vt quæ *tribus amplior & copioſior* eſſet, ampliorem etiam haberet hæreditatem, ſed in viſione noſtrâ, *omnibus æqualis eſt poſſeſſio*, cap. 47. verſ. 14. Poſſidebitis terram, *vnus æquè ac alter*, quin etiam *peregrinis*, qui in hac terra peregrinantur, ſua ſingulis eſt attribuenda portio. Ibidem, verſ. 22. *Deinde* & ſitus, & formæ ratione, etiam differt viſionis diviſio, à priſtina illa: diverſis namque ſpatijs, & diverſimodè terminatis, poſſeſſiones ſuas habuerunt, ſingulæ tribus: hæc longior, quàm latior, illa rotunda, illa angulata magis, illa ad ortum, hæc ad occaſum ſita fuit. Sed noſtræ terræ diviſio *æquabilis & vniformis* eſt: omnes enim portiones, ab ortu in occaſum, per totam amplitudinem terræ æquabili tractu porriguntur, cap. 48. Verùm neque *ordo & diſpoſitio* rerum priſtinæ reſpondet. Nam Hieroſolymæ veteres, ſitę fuerunt in *tribu Benjamin*. Ioſuæ 18. verſ. 28. In noſtra viſione, ſita eſt Vrbs & Templum, in portione ſive *oblatione ſancta*. In veteri diviſione *tribus Iuda*, vt populoſiſſima & viribus potentiſſima, ad hoſtium incurſiones feliciùs excipiendum, extremum locum verſus meridiem occupavit, in noſtra viſione, & Vrbe & Templo, & tota oblatione ſancta, eſt *Septentrionalior*. Et huiuſmodi differentiæ plures etiam monſtrari poſſent, quibus viſio noſtra, ab antiquo illo rerum ſtatu *diſcriminatur*.

3. Ex multiplici differentia ad priſtinam ſive externam terram Chanaan.

Quartò, idem patet ex ſacrificijs, & toto cultu Prophetici Templi. Licet enim ſacrificia & cultus huius Templi, magnam partem phraſibus & ceremonijs antiquæ religionis deſcribantur: multis tamen vicibus, eorundem numerus ac modus, mutantur, innovantur, diminuuntur, vel adaugentur cap. 4. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, viſionem noſtram, non de antiquis illis Hieroſolymis, Templo aut terrâ Chanaan, ſed de novo quodam Templo, novâ terrâ, novâ civitate accipiendam eſſe.

4. Ex ſacrificiorū diverſitate.

Quintò. Denique omnium planiſſimè hoc patet, ex *deſcriptione admirandi fluminis*, quod ſub ipſo Domus limine ſcaturiens, & mirabilib⁹ augmentis creſcens, in *Mare mortuum* exoneratum, non tantùm exitiales eiuſdem

5. Ex admirando flumine ſanctuarii.

Digitized by Google

Aquas ſalubritati reſtituit & fœcundat: ſed in vtraque ripâ pulcerrimis *arboribus* exornatum eſt, quæ ſingulis *Calendis* novos ſuos & maturos, eoſque tùm ad ſpeciem & iucunditatem pulcerrimos, tùm ad vſum & vtilitatem præſtantiſſimos & nobiliſſimos fructus proferunt, quin & *folia* arborum ad medicinas faciendas inſigniter conducunt: Quorum omnium in hiſtoria rerum nihil eſt reperire.

Ex quibus omnibus inter omnes pios & attentos auditores, clariſſimè conſtare puto, per hāc viſionem, *nullum externum Templum aut Vrbem*, terramve, quàm vel in ſacris literis deſcriptam habeamus (ſive ante, ſive poſt captivitatem Babylonicam conſideratam) vel quam hodierni etiam Hebræi, ſub Adventum ſui Meſſiæ, iamdudum miſerè expectati, vaniſſimis opinionibus ſomniant, imaginandam eſſe. Plurima enim ſunt, vt vidimus, quæ neq; veteribus iſtis Hebræorum reſpondent, nec audacibus iſtis figmentis vnquam reſponſura ſperari poſſunt.

Verus viſionis Scopus. Hactenus in *veri Scopi inveſtigatione* per ἄρσιν demonſtratum eſt, quid non denotet viſio noſtra Prophetica, iam vt ad cognitionem propius accedamus, *de* θέσεως *veritate* amplius eſt inquirendum. *Terra Civitas.* Terræ igitur & civitatis deſcriptio *Eccleſiam* denotat, cuius amplitudinem, diſpoſitionem, ordinem, & bona eleganter depingit, ſicuti ſuo loco ſpecialiter videbimus. Ea enim eſt terra, de qua Salvator: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. 15. Ea eſt civitas, de qua Pſalm. 46. 5. *Rivuli fluminis, lætificant civitatem Dei, ſanctas habitationes Altiſſimi. Deus in medio eius, non commovebitur.*

Templum. TEMPLVM porrò ipſum *Salvatorem*, Chriſtum Dominum, nec minùs *beneficia & cultum* eiuſdem variè deſcribit. Eodem ipſo, clariſſimo & certiſſimo interprete: *Deſtruite, ſeu ſolvite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Iohan. 2. 19.

Sanctum Sanctorum. SANCTVM Sanctorum, & Aula maximè poſtica, ipſum *cælum & vitam æternam* deſcribunt, cuius rei prolixam interpretationem in Epiſtola ad Hebræos legimus, cumprimis cap. 9.

Adeoque ſpiritualia atque cœleſtia ſunt, non externa mundana & corporalia, quæ hâc viſione Propheticâ nobis proponuntur.

Cur Spiritus S. hanc viſionem, adeo obſcuram eſſe voluerit. Sed quid, *obijcias*, opus eſt, tot maximarum difficultatum tricis & tot obſcuris rerum & ſinuoſis ambagibus: Annón iſthæc omnia, in alijs ſcripturarum locis clariſſimè & planiſſimè explicata extant? quid cauſæ igitur, vt tantum operæ & ſtudij, in obſcuriſſima hac, & multis difficultatibus intricata viſione ponamus: Quin potius horas & labores, textibus planis & expeditis impendimus? quibus meditandis, vt facilior & iucundior, ita procul dubio vtilior quoque & fructuoſa magis noſtra eſſet occupatio? Sed audi, quiſquis delicatulus huiuſmodi cogitationibus torpedinem mulces: *primùm* quidem verum eſt, quòd nihil adeò ex hac viſione noſtra Prophetica, elici poſſit, quod non alibi planiſſimis & perſpicuis verbis expoſitum reperiatur: *plures* tamen cauſæ ſunt, eæque graviſſimæ, quibus viſum eſt S. S. eaſdem res & planis atque perſpicuis verbis, & rurſum alias figuratis, & quibuſdam involucris rerum proponere.

Amabilis temperatura ſcripturarum. Si enim plana omnia & expedita eſſent, citius noſtrum torperet ſtudium & diligentia. *Rurſus*, ſi obſcura omnia & intricata eſſent, multorum citiùs obſtupeſceret & frangeretur labor, quàm ad veri cognitionem evaderet. Illa igitur *temperatura*, quòd expedita & plana quædam, alia rurſus intricata & difficultatibus implicita ſunt, plurimum & iucunditatis habet, & vtilitatis.

Hæc

Digitized by Google

De doctrina Christiana lib. 2. cap. 5. & 6.

De cauſis & vtilitatibus obſcuritatum in ſcripturis.

Hæc omnia, cùm pulcerrimis verbis ab *Auguſtino* ſint expedita, illa recitare, quàm mea cumulare malò. Sic autem habent: *Multis & multiplicibus obſcuritatibus* (ſcripturarum ſcil. Lectores) *decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio ſentientes, quibuſdam autem locis, quid vel falsò ſuſpicentur, non inveniunt, ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt.* [Quæ Auguſtini, vel maximè certè in hanc noſtram Propheticã viſionem congruunt.] Sed pergit Auguſtinus: *Quod totum, proviſum divinitùs eſſe, non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerunque vileſcunt.*

Et poſt aliqua: *Nemo ambigit, & per ſimilitudines libentiùs quæq; cognoſci, & cum aliqua difficultate quæſita, multò gratiùs inveniri. Qui enim prorſus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, faſtidio ſæpe marceſcunt. In vtroque autem languor cavendus eſt. Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificavit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret.* Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. *Hactenus Auguſtini verba*, quibus ora obtunduntur illis, qui nihil operæ aut ſtudij, in hâc obſcuriſſima Propheticâ viſione ponendum eſſe, ſomniare poſſent.

I. Dominus in cognoſcenda hac viſione, diligentiam præcipit.

Sed, quod *maius* etiam eſt, attendendum ad exhortationes Dominicas, quibus nos ad diligentiam contemplationis, huic viſioni tribuendæ, ipſe excitat. Sic enim habemus Ezech. cap. 40. v. 4. *Et loquutus eſt ad me vir demonſtrator: Fili Hominis,* vide *oculis tuis, & auribus tuis* audi, *&* pone *cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi: quia, vt* oſtẽdantur tibi, *adductus es huc,* annuncia *omnia, quæ tu vides, domui Iſraël.* Quibus in verbis *non tantùm* repetitiones & ingeminationes notandæ ſunt, vide oculis tuis, auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ oſtendam tibi: quæ certè omnia ſingularem diligentiam requirunt. Sed & illud obſervandum, non ſatis ſtudij aut diligentiæ haberi, ſi Propheta hæc intelligat: *Verùm* & illud quoque in mandatis dari, vt quæ didicerit, & cognôrit Propheta, illa omnia oſtendat Domui Iſraël, annuncia omnia, quæ tu vides, domui Iſraël.

Officium Eccleſiæ Miniſtri.

Non hoc igitur ſolùm officium eſt Eccleſiæ Miniſtri, vt in ſcrutandis ſcripturis ſacris omnem ſuam operam ſtudiumque inſumat, nam vt *oſtendatur tibi,* adductus es huc: *verùm* & hoc requiritur, vt quicquid cognitionis rerũ ſacrarum aſſequutus fuerit, *id omne,* quantâ maximâ diligentiâ curaque poteſt, ſuis etiam communicet Auditoribus. Id quod ignavum illud fucorum genus diligenter obſervet, qui cum in Eccleſiæ miniſterio verſantur, omni ſuo defunctos ſe eſſe officio ſomniant, quùm duas treſùe hebdomadatim (ſuos, quos habent, *poſtillatores* κατὰ πόδας ſectando) populo dederint conciones, reliquum omne tempus, vel ignavo otio, vel rebus ludicris, vel lucroſis & quæſtuoſis illiberalibus, vel etiam turpibus & ſcurrilibus, per totos annos conſecrant. Indigna res viro Prophetico, *quin vide oculis tuis, auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ oſtenduntur tibi. Quia, vt oſtendantur tibi, adductus es huc.* Oſtenſa autem eſt Prophetæ noſtro viſio hæc, vt omnium longiſſima & prolixiſſima, ita omnium longè obſcuriſſima & difficilima, quàm in Dominici mandati obſequium, tanto cum ſtudio atque diligentia, non tantùm attendit, ſed omnibus ſuis numeris adeò perfectam & abſolutam in literas retulit, vt attentus & ſcrutans Lector, nunquam poſſit *admirando ſatiari.* Idem omnibus Prophetis, hoc eſt oĩb. Eccleſiæ miniſtris, dictũ, hæc, vt oſtendantur tibi, adductus es huc, *oſtenduntur* autem nobis, non tantùm *poſtillatores,* ſed *ſacra ſcriptura,* ſacra biblia, hîc vide oculis tuis: hîc aurib. tuis audi, hîc pone cor tuũ in omnia, quæ oſtenduntur tibi: *Oſtenduntur* inquam nobis, non tantùm plani & expediti Textus, ſed oſtenduntur etiam impediti & obſcuri. Hîc elaborandum, hîc deſudandum eſt. Et hîc dico verbum, verbum verum, *laboremus, videamus, audi-*

Exhortatio ad ſcrutandum ſcripturas.

mus, ponamus, in omnia cor noſtrum: omnibus tamen vitæ diebus erit, quod videamus, audiamus, ponamus in corda. Adeò nimirùm profundum & inexhauſtum mare eſt ſcriptura ſacra, tot myſteriorum & doctrinarum abyſſis inundans. Sed *vbi* oſtenduntur nobis hæc myſteria? Vbi, inquam? In ſacris Biblijs, inquam, quæ partim *Hebræo*, *Græco* partim idiomate exarata, ſummo Dei beneficio habemus. Hic certè omnibus Theologiæ Studioſis, quotidie auribus, hæc Dominica verba, circum ſonare debent: Fili Hominis, vide oculis tuis, auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ oſtendam tibi: Quia vt oſtendantur tibi, *adductus es huc.* Elaborandum videlicet, vt omnes Architecti huius demonſtrationes, deſcriptiones, & verba, diligenter attendamus, & animis noſtris intimè imprimamus. Id vt fieri commodè & feliciter poſſit, labor certè atque *ſtudium* in fontium, hoc eſt in Hebraicæ & Græcæ Linguæ cognitione aſſequenda, ponendum eſt indefeſſum. Vide enim, & audi, quæ *E G O* oſtendam tibi אֲשֶׁר־אֲנִי מַרְאֶה אוֹתָךְ Quæ *Ego*, inquam, oſtendam tibi. Quia vt oſtendantur tibi, adductus es huc. Hoc ſcilicet eſt *officium*, hæc ſancta eſt, & inviolabilis vocatio, omnium Theologiæ ſtudioſorum, vt videant, vt audiant, quæ ipſe Dominus oſtendit. Id autem ab illis, qui Hebrææ & Græcæ Linguæ prorſus ignari ſunt, fieri non poteſt. Qui enim *interpretes* & varias ſcripturarum *translationes* duntaxat ſequitur (*de Prophetis loquimur, & miniſtris verbi, non de Auditoribus & populo*) is quaſi per *internuncium* aut *famulum* quendam, Architectum audit, & veluti conſpicillis ex intervallo contuetur demonſtrationes. Qui verò in fontibus ſcripturas rimatur, is demum cum Ezechiele noſtro, quaſi *coràm* videt Architectum Dominum, & veluti, *ore ad os* cum eodem colloquitur. *Ex quibus* non tantùm neceſſitas, ſed & vtilitas linguarum ineffabilis conſpicitur, & quantum differat, Sacroſanctam Theologiam vel in fontibus bibere, vel eandem in derivatis translationum rivulis conſectari. Dictum igitur & divinitùs ſibi mandatum putato quivis Theologiæ Studioſus, de linguarum, Hebrææ & Græcæ aſſequutione, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, pone cor tuum in omnia, quæ *Ego* oſtendo tibi, in Hebræo veteris, in Græco, Novi Teſtamenti textu: Quia vt oſtendantur tibi, adductus es H V C. Hoc age.

Ad linguæ Hebraicæ ſtudium exhortatio.

Vbi loci laudanda & commendanda eſt, aurea planè noſtri ſeculi, in conſequenda linguarum cognitione felicitas: atque vt de *Hebræâ* ſpeciatim loquar, ea multorum hodiè doctorum virorum laboribus ac ſtudijs, ita exculta & locupletata floret, vt nunquam in *Germania*: inter quos, clariſſimi & doctiſſimi viri Dn. Georgij Weiganmeijeri, p. m. olim in hac Cathedra ſanctæ Linguæ Profeſſoris celeberrimi, ſacra monumenta, ſtudij & perfectionis ratione, facilè *primas* tenent. Ea, quotidie vobis ex hac eadem Cathedra, in hac Tabula publicè oſtenduntur & quàm fieri poteſt planiſſimè explicantur. Valeant igitur & vigeant, & in cuiuſvis Theologiæ ſtudioſi animo, plurimum valeant, verba Domini apud Ezechielem noſtrum: *Fili Hominis*, Fili conſecrate Theologiæ ſtudio, *vide oculis tuis, auribus tuis audi, & pone Cor tuum in omnia, quæ oſtenduntur, quia vt oſtendantur tibi, adductus es huc*. Cave vt negligentiæ pœnas olim repoſcat Architectus.

Aurea noſtri ſeculi felicitas in cognoſcenda lingua Hebr.

Georgius VVeigenmeir.

Neque ego hîc requiro, quod toto certè corde optandum eſſet, vt omnes ad id perfectionis evadant, vt publicos ſanctæ linguæ Profeſſores agere poſſint, ſatis eſt, ſi vltra procedere, per occaſiones negatum ſit, vt in ſcholis ea fundamenta jaciantur, quibus reliquo tempore Miniſterij adjutus ſine cortice, *quod aiunt*, natare, Hebræum Textum privatim legere, & variantes interpretationes, quæ illarum, ad fontes propius accedat, *Domini ductu* examinare poſſis. Verùm vt reliquas omnes vtilitates taceam, *inexplicabile* dictu eſt, quanta pio & religioſo animo iucunditas & divina voluptas ſit, cum

Hebr. linguæ iucunditas.

Domi-

Digitized by Google

Dominum Deum ſuum, ijſdem verbis, ac phraſibus, quibus ipſe olim cum
ſanctis hominibus loquutus eſt, etiam hodie, in verbo ſuo loquentem atten-
dere, & cum eodem, ſanctorum hominum vocibus ac votis, colloqui & con-
ferre poſſe. *Hæc piis atque expertis hominibus divina atque cæleſtia ſunt gaudia, igno-* *NB.*
rantibus nulla cupido. *Lucem* tacco, quæ Hebræo Lectori, omnium transla- *Vtilitas linguæ*
tionum *collatione*, nova quaſi & planè *cæleſtis* effulget. *Impoſſibile* enim eſt, vt *Hebrææ.*
eàdem dictionis iucunditate, vocum proprietate, & rerum ipſarum perſpicui-
tate, ex linguâ in linguam fiat translatjo.

Hæc *vna* exhortatio eſt ad diligentiam, quam ab initio ſtatim Prophetæ *Fidelitas in do-*
noſtro Dominus ipſe propoſuit. *Fili hominis, vide oculis tuis, &c. plures* alias *cendo.*
paulò poſt videbimus, ſi vnicum illud caput, quod de fideli *communicatione*
eſſe diximus, paulò altiùs animis noſtris impreſſerimus: *Annuncia omnia*, quæ
tu vides, *domui Iſraël.* Si enim debitam diligentiam & ſtudium, in aſſequendâ
cognitione rerum adhibuimus, non minor cura & ſolicitudo requiritur, vt ea,
quæ novimus, *fideliter* alijs, atque *vtiliter* proponamus. Quod non de eo ſo-
lùm intelligendum eſt, vt in docendo & concionando, *numerum horarum* &
dierum *ordinem* obſervemus: ſed vt *fideliter* & *commodè* doceamus. Fidelitas re-
rum neceſſariarum & vtilium, perfectionem docet. *Exemplo* Salvatoris: *jam* *Iohan. 15.15.*
non dico vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus eius, vos autem dixi Ami-
cos, quia omnia, quæcunque audivi à patre meo, *nota feci vobis.* *Mandato* Sal-
vatoris: *Docete eos ſervare* omnia, *quæcunque mandavi vobis.* *Exemplo* quoque *Matth. 28.20.*
Pauli: *Non ſubterfugi, quò minùs annunciarem, omne conſilium Dei.* Et hanc *Actor. 20.27.*
ſuam diligentiam Epiſcopis Epheſinis, illorumque nomine, omnibus Eccle-
ſiæ miniſtris commendans, ita loquitur: *propter quod vigilate, memoriâ retinen-* *Ibid. verſ. 31.*
tes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens vnumquem-
que veſtrûm. Hoc fidelitatis eſt, vt nihil prætermittamus communicare eo-
rum, quæ vtilia ſunt & neceſſaria. *Commoditas docendi*, facilitatem & perſpicui-
tatem methodi atque orationis commendat. *Sunt enim*, qui licet aliquid do- *Vituperium*
ctrinæ & cognitionis aſſequuti fuerint, dum tamen proponere & communi- *τῶν ἀεροβα-*
care volunt alijs, non auditorum, quos erudire debent, ædificationem, vt *τούντων.*
quàm feliciſſimè illi & maximè perſpicuè inſtituantur ſpectant, ſed vt tranſ-
marina ipſorum eruditio, & rara, eaque gravis, quàm ſomniant eloquentia,
omnibus, ore hiantibus, admirationi ſit, vnicè curant. Itaque res ipſas, quas
tractant, tantâ involvunt obſcuritate, vt vel à nemine, vel à pauciſſimis, quid
velint, intelligi poſſint. Illud vanitatis Axioma, imitantes: *Obſcura rem, & eris*
magnæ exiſtimationis. Quòd vitium tàm in ſcholis, quàm in Eccleſijs docentiũ,
longè omnium *peſtilentiſſimum* eſt. Sicut enim Ezechiel noſter, *primùm* ideò
huc adductus erat, vt oſtenderentur illi, hæc omnia, *ita* hoc quoque in man-
datis eidem datum erat, vt eadem omnia annunciaret omnibus. Quæ autem
illa ſit annunciatio, quæ propter obſcuritatem ita intricata, & propter affecta-
tam quamcunque eruditionis opinionem ſic vitiata eſt, vt nemo ſit, qui in-
telligat? Certè ſicut legere, & non intelligere, eſt negligere, ita concionari vel
interpretari, & ſeſe ad captum auditorum *non accommodare*, eſt nugari. Sive igi- *Regula docendi*
tur in ſcholis, ſive in Eccleſijs doceamus, operam dabimus, vt quęcunque, *Do-* *vniverſalis.*
mini gratiâ, monſtrata, aut revelata nobis ſunt, eadem *omnia*, quantâ maximâ
fieri poteſt vtilitate & perſpicuitate alijs communicemus. **Man muß alſo**
predigen/das ein jedes armes Spital Weiblin auß dem Brůl mercken vnd
faſſen kan. *Fons publicus*, omnibus ex æquo: ad ſitim reſtinguendam Aquas fun- *Simile.*
dit, ſi enim doctis tantùm, & nobilibus; dignus, qui fimo obturetur. Haſce
admonitiones, *prima* diligentiæ exhortatio ſuppeditat, videamus reliquas.

Aliam igitur exhortationem ad diligentiam, in hac viſione adhibendam, *II.*
legimus Ezechiel. cap. 43. v. 10. 11. quæ ita habet: *Tu fili hominis, annuncia* vel in- *Exhortatio ad di-*
dica *filijs Iſraël domum hanc, vt confundantur, propter iniquitates ſuas, & metiantur fa-* *ligentiam & ſtu-*
bricam vel diſpoſitionem. *dium hanc viſio-*
nem cognoſcendi.

v. 11. *Et cùm confundentur propter omnes iniquitates ſuas, quas fecerunt, tum formam Domus & diſpoſitionem eius, & egreſſus eius, & introitus eius, & omnes formas eius, & omnis ſtatuta eius, omnes,* inquam, *formas, & omnes leges eius demonſtra illis, & ſcribe coram oculis eorum, & cuſtodient omnes formas eius, & omnia ſtatuta eius, vt faciant ea.*

Attendite animum Lectores & Auditores, quanto cum ſtudio & diligentiâ, Dominus in hâc ſecundâ exhortatione, iam non Prophetam tantùm, ſed totam Domum Iſraëlis, hoc eſt, omnes pios & fideles in Eccleſia excitet. Nec enim verborum ſatis, nec acervationum & repetitionũ ſatis invenire poteſt, quibus & hortandi ſtudium exprimat, & animos auditorum extimulet. In priore exhortatione, Prophetam maximè inſtruxit, quâ cum diligentiâ, in huius viſionis contemplatione verſari, & eandem ipſam, ſuis auditoribus proponere & explicare debeat. In hac ſecunda repetitione, illud ipſum quidem repetit, ſed addito fine explicationis, qui vtilitatem & commodum reſpicit fidelium. Quid enim vel vſus, vel opus eſt, hanc tàm obſcuram viſionem, vel attendere vel explicare alijs? Reſp. Dominus: *vt confundantur propter iniquitates ſuas, & metiantur vniverſam diſpoſitionem.* Quis obſecro, *per immortalem Deum,* tantam in hac viſione vtilitatem repoſitam eſſe, opinari queat, niſi præſentibus verbis ipſe Dominus, eam interpretaretur nobis? Vtilis eſt non tantùm ad *agnoſcendum peccata,* ſed ad eorundem quoque conſequendum *remiſſionem.* Id quomodo fiat, in proceſſu patebit. *Videbimus* enim in hac ſolâ Domo eſſe *ſanctitatem,* reliqua omnia prophana, & æternâ maledictione damnata. *Videbimus* Chriſtum vnum eſſe verum Altare expiationis, eundem eſſe gratiæ Thronum & ſanctitatem noſtram, eundem vitam æternam. Quæ omnia nobiliſſima ſunt, & ſola cœleſtia atque beata dona, quæ in medio Eccleſiæ nobis diſpenſantur, & in hâc Propheticâ viſione, pulcerrimis figuris depinguntur.

Vtilitas huius viſionis.

Alterum huius exhortationis caput eſt, de *gratitudine,* & novo pietatis, ſanctitatis, & omnis obediẽtiæ ſtudio *Renatorum.* Hoc enim eſt obſervare, omnes *formas, leges, ſtatuta,* omnem *diſpoſitionem, ſabricam & ordinẽ Domus.* Quæ omnia; vt ab omnibus Eccleſiæ civibus accuratè obſerventur, omnibus ea, annunciare, deſcribere; & ante ora atque oculos diligentiſſimè depingere Propheta iubetur. *Satis de ſecunda exhortatione.*

III. Exhortatio, ad diligentiam in hac viſione ponendam.

Tertiam legimus, Ezechiel. cap. 44. v. 5. *Et dixit ad me Dominus: Fili Hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor tibi, de omnibus ſtatutis Domus Domini, & de omnibus legibus eius, pone,* inquam, *cor tuum,* ad leges *aditus domus, cum omnibus exituum è ſanctuario.*

Alteras repetitas vices ſomnij Pharaonis, *Ioſephus de negotij certitudine,* ita quoque comprobante eventu, interpretatus eſt: quid nos, de requiſito ſtudio & diligentiâ, in hâc viſione Propheticâ adhibendâ iudicabimus? quam Dominus non *altera* duntaxat, ſed iam *tertiâ* vice, tantis verborum augmentis & amplificationibus repoſcit. *Ignavus* certè ſit, & Dominicarum admonitionum negligens auditor, quiſquis tàm ſerias, & anxias, & toties, tot commutatis, cumulatis atque repetitis verbis; inſtitutas exhortationes, excors neglexerit. Quam etiam negligentiam, *impuritatem* habituram eſſe, nemo vecors ſibi perſuadere debet. Quæ omnia eò inculcantur, vt cùm, quæ ad Textus explicationem & intelligentiam ſpectare poſſunt, mediocri, vt ſpero, diligentiâ & ſtudio perſequuti ſimus: Iam non minore cura & ſollicitudine; ad ea pertractanda accedamus, quæ ſpecialis ſunt contemplationis. Id quod in ſcopi inveſtigatione, Appendicis loco, fuit annectendum: Sequitur alterum caput, de contemplatione & diſtributione terræ ſanctæ.

II. DISTRI-

Digitized by Google

II. DISTRIBVTIO TERRÆ ſanctæ.

Diximus, velle nos in hac contemplatione, à generalioribus ad ſpecialiora progredi, hoc eſt, primùm ingredi velle terram ſanctam, inde perrecturos ad Civitatem ſanctam, donec tandem ad ipſum Templum, ad ſanctum ſanctorum, adeoq; ipſam aulam poſticam perveniamus: Illud iter iam, demonſtrato Scopo, *Numinis ductu* feliciter ingredimur.

Patet igitur ex demonſtratis, hanc deſcriptionem terræ, non de *externâ* terrâ Chanaan, ſed de ſpirituali terrâ, hoc eſt, de Eccleſiâ, intelligendam eſſe. Sicut enim ſancti illi Patriarchæ, Abraham, Iſaac, Iacob, & reliqui, probè intellexerunt, promiſſam terram, non veram fuiſſe patriam, ideoque ſpes ſuas in *fide multò nobiliore* fixerunt, atteſtante Epiſtola ad Hebræos, cap. 11. v. 9. 10. *Abraham fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Iacob, cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim, fundamenta habentem Civitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Quæ verba cœleſtem quidem Chanaan futuræ vitæ reſpiciunt, eâdem tamen ratione docent, nihil ſcripturis novum eſſe, ſi per res externas, bona ſpiritualia depingantur, vt apud Ezechielem noſtrum per terram ſanctam, Eccleſia Domini.

Deſcribitur autem terra ſanctę hęreditatis, eiuſq; diſtributio, Ezechiel. cap. 45. à Principio, & cap. 47. à v. 13. vſq; ad v. 30. capitis 48. vltimi Ezechielis.

Ratio diſtributionis terræ ſanctæ.

In qua diſtributione, hoc omnium *primùm* obſervandum eſt, Dominum Deum in partitione terræ, hoc primum præceptum dediſſe, vt antea, quàm vlla portio vlli tribuum adſignetur, prius è medio terræ, *portio* ſatis magna, lata videlicet vicies quinquies mille cubitos, per totam terræ longitudinem, in oblationem ſanctam Domino offeratur. Ex qua oblatione, *medium quadratum ſanctum*, per vicies quinquies mille cubitos, *partim* Sacerdotibus & Templo, *partim* Levitis, partim Civitati cedit, Reliqua *duo lemmata* oblationis extra quadratum, quorum alterum à quadrato verſus ortum, alterum ab eodem verſus occidentem vergit, *Principi* cedunt.

MEDITATIONES SPIrituales.

I. Eccleſiæ & magiſtratus conſtitutio, primò omnium ſollicitè curanda.

Vnde conſtat, Eccleſiæ militanti hanc *primam* debere eſſe *curam* & ſollicitudinem, vt ex omnibus, quæ poſſideant bonis, primùm omnium offerant Domino oblationem ſanctam, ad *Eccleſiæ* & *pij magiſtratus* neceſſariam ſuſtentationem. Sicut enim Eccleſiæ miniſterio, ad inſtitutionem ſalutis, ſic pio Principe ad vitæ tranquillitatem carere non poſſumus. Primum igitur locum, & primam ſollicitudinis curam habeat, in Chanaan novi Teſtamenti, vera Eccleſiæ & politiæ conſtitutio. *Quærite primùm Regnum Dei & Iuſtitiam eius, ac cætera adycientur vobis*, Matth. 6. *Matth. 6.33.*

II. Magiſtratus, eſt ſanctum officium. Ezech. 48. v. 8.

Ex eodem patet, quàm ſanctum ſit, & Deo cum primis placens *officium*, officium pij Magiſtratus. Primùm enim Dominus *totam* portionem, ex qua ſua etiam pars Principi cedit; vocat oblationem ſanctam. Magiſtratus enim non eſt humana, ſed divina ordinatio. *Siquidem non eſt poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, Rom. 13. v. 1. & ſeqq. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*, ibid. v. 7. *Eamq; ob cauſam, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam ſubditos eſſe oportet*, v. 5. *Rom. 13. v. 1.*

Magiſtratus ſeu Princeps commune Aſylum patriæ.

Si porrò de officio pij magiſtratus quæritur, ex hac ipſa portionis diſpoſitione, quodnam illud ſit, manifeſtum eſſe poteſt. Ex oblatione namq; quadratū

medium ſanctuario, Sacerdotibus Levitis, & communitati Civitatis cedit: ipſa verò Principis portio, duabus à quadrato alis, *inter reliquas* tribuum portiones, hinc & hinc, vſq; ad terræ terminos porrigitur. In medio igitur reliquarum tribuum conſtitutâ portione Principis, *medium* illum & *commune Aſylum* eſſe debere ſignificat, ad quem ex omni loco Regni, omnibus Regni Civibus facilis aditus, & tutum auxilij refugium eſſe poſſit. Nam *patriæ pater* eſſe debet Princeps, & ſedulus populi ſui *Paſtor*.

IV. Princeps, primam Eccleſiæ curam habeat.

Quòd autem Principis Alæ vtrinque *quadratum ſanctum* complectuntur, Principem curam viri Principis hanc eſſe debere ſignificat, vt ſacroſanctum Miniſterium verbi, & omnem cultum divinum, ſalvum & integrum conſervet. Non enim paci & tranquillitati politicæ duntaxat cuſtos datus eſt Princeps, ſed etiam rebus ſacris ita præfectus, vt fidei & Religionis puritatem, primâ curâ & ſolicitudine, conſervet, tueatur, propaget. Vtraque nimirum Decalogi Tabula, pij Principis cuſtodiæ commendata eſt: quam ob cauſam, non minus ea curare debet, quæ ad nominis divini gloriam, & decus ſpectant, quàm ea, quæ ad Civium Regniq; ſalutem. *Exempla* ſunt pij Reges, *David, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias*, & quidam alij: qui hanc ſibi primam curam datam fuiſſe, rectè pieq; crediderunt, vt abolitis Idololatrijs, purus & ſyncerus Domini cultus obſervaretur. Hoc eſt, medio ſinu complecti *quadratum ſanctum*, & hinc atq; hinc poſſidere alas.

V. Princeps non eſt ſolutus legibus.

Licet autem ſanctum, & divinum ſit Principis munus, non tamen poteſtatem prorſus *liberam & arbitrariam* habet, ſed ſicut Sacerdotibus & populo, ſuæ ſunt leges, ita Principi quoque. Cùm enim non propria, ſed divinitùs delegata poteſtas ſit, poteſtas Magiſtratus: *Non enim poteſtas eſt, niſi à Deo*, Apoſtolo teſte: facilè intelligitur, non ad *propriam*, ſed *ad Domini voluntatem*, omnes officij partes exequendas eſſe. Quam ob cauſam, præter alias, quas hæc viſio noſtra Principi leges dictat (*vti ſuo loco videbimus*) in hâc diſtributione, hæc peculiariter, graviterq; eſt promulgata. *De terra erit Principi poſſeſſio in Iſraël, & non depopulabuntur vltra Principes populum meum, ſed terram dabunt Domui Iſraël ſecundum tribus eorum*. Et rurſus v. 9. Hæc dicit Dominus Deus: *Sufficiat vobis Principes Iſraël)* (ſcilicet portio veſtra, ex oblatione vobis adſignata) *iniquitatem & rapinas intermittite, judicium & iuſtitiam facite, deſinite exturbare populum meum*. Et rurſus: *Non accipiet Princeps de hæreditate populi, vt eos exturbet de poſſeſſione eorum, ſed de poſſeſſione ſuâ hæreditatem dabit filijs ſuis, vt non diſpergatur populus meus vnuſquiſque à poſſeſſione ſuâ*. Quibus ſtatutis, hoc *meridiano ſole* clarius evadit, Principis poteſtatem, neutiquam *infinitam*, multò minùs *arbitrariæ eſſe libidinis*, vt multi Pſeudopolitici paraſiti impudentiſſimè nugantur, dicentes: *omnia eſſe Principis: omnium Dominum eſſe Principem: Principis voluntatem* (quæ ſæpènumero tamen, vt ex citatis patet, prava atque corrupta eſt) *pro lege habendam: Principem deniq; omnibus legibus liberum atq; ſolutum eſſe*. Quæ omnia, *ſi ſine legitimâ & neceſſaria diſtinctione abſolutè* ſumantur, quàm abſurda & ἀϑεόλογα ſint, quàm fœcunda omnium errorum & libidinis, quàm etiam ipſi *Domino*, omnis Principatus *Authori Principi*, ex toto adverſa, omnibus manifeſtum eſſe poteſt. Si enim magiſtratum omnibus ſimpliciter legibus, Deus vnus & ſolus magiſtratus Author (à quo omnis magiſtratus poteſtatem ſuam habet, quamcunque habet) ſi, inquam, Dominus magiſtrū legibus carere voluiſſet, nullas certè illi fixiſſet. Sed recitari aliquas, iam audivimus: plures aliæ reſtant. Quin verò Dominus Magiſtratum, quem cuſtodem dedit legibus, primùm omnium legibus ſuis divinis ſubditum eſſe voluit, vt reliqui ex Principis obſequio caperent Exempla. Et, vt de *Dominio ac poſſeſſione rerum* ſpeciatim aliquid attingamus, quàm accuratam Dominus diviſionem & diſtinctionem obſervatam velit, ex citatis legibus patet: *Sufficiat vobis Principes poſſeſſio veſtra, iniquitatem & rapinas intermittite: Nolite vltra depopulari populum meum*. Et rurſus: *Non accipiet*

Ezech. 45. 8.

Ezech. 46. 18.

Pſeudopoliticorum peſtilentiſſima nugæ.

Non omnia ſunt Principis.
Ezech. 45. 9.
Ibid. v. 8.

Princeps

Princeps de hæreditate populi,ut oppreſſione exturbet eos,de poſſeſſione ſua. Quibus legibus,non tantùm violentia & oppreſſionibus, iniquitatibus item & rapinis *graviter interdictum*, ſed inter Principis & populi poſſeſſiones, *diligentiſſimè diſtinctum eſt*. Vnde & animos & linguas ſuas informare poſſunt, qui omnia eſſe Principis, aulicâ,eaque blanda & delectabili iucunditate fabulantur. *Pij Principes* autem,pluris faciant,hæc *ſui Domini*, cuius ipſi vaſalli ſunt,præcepta & leges: *Sufficiat vobis Principes poſſeſſio veſtra: iniquitates & rapinas intermittite,&c.* Hæc,inquam,ſtatuta pluris faciant pij Principes,quàm omnium paraſitorum nugas. Suas enim plerunque res agunt, qui talia Principum auribus inſtillant: neque Principis aut Regni, ſed blanda grataq; loquendo,proprias quærunt commoditates. Sufficiat vobis Principes poſſeſſio veſtra: Rapinas & iniquitates intermittite: *hæc fixa vobis & æterna lex eſto*. Ex hoc Dominij ſeu poſſeſſionis *Exemplo*,etiam reliqua *paraſitorum* iudicari poſſunt: vt cùm dicunt, voluntatem Principis habendam pro lege,& quæ id genus ſunt alia. Quia enim divinis legibus,& agendi & habendi Principis deſideria circumſepta ſunt,facile intelligitur,nullam Principis voluntatem,pro lege habendam colendamq; eſſe,niſi cum *divina voluntate*,Principis voluntas conſenſerit. *Mala* enim Lex fuerit, quâ prioribus annis, *Hebræorum Principes*, populum depopulati ſunt; & eundem opprimendo,ſuis eiecerunt poſſeſſionibus. *Peſſima* lex fuerit,quâ iuſtitiam & iudicium negligentes, iniquitatem & rapinas exercuerunt, cuius hoc loco,ex ipſius Domini ore arguuntur. Nihil igitur voluntatis,legis dignitate condecorare convenit, niſi cum Dominica voluntate ſit conformatum, quæ conſtans nobis & æterna lex eſſe debet.

Pius Princeps paraſitorum blanditias ſedulò caveat.

Principis voluntas pro lege habenda non eſt,niſi cum voluntate divinâ conſentiat.

V I.
Æqualitas fidelium.

Inter diſtributionis leges,& hæc vna fuit,vt ſinguli Hebræorum *æqua proportione* caperent poſſeſſiones,Ezech.47.14. *Poſſidebitis terram ſinguli æquè vt frater ſuus.* Æquâ etiam ratione diviſiones. Singulæ enim portiones ab ortu vſq; in occaſum porrigebantur. *AEqualitas* nimirùm eſt *in Regno* Chriſti: vbi omnes æquo iure beneficiorum Chriſti,quæ in Eccleſia diſtribuuntur, reddi poſſunt participes. *Omnes enim filij Dei eſtis per fidem,quæ eſt in Chriſto Ieſu,&c. non eſt ſeruus neq; liber,non eſt maſculus,neq; fœmina,omnes vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu.* Poſſident Chriſtum,omniaque ipſius paſſione & merito impetrata beneficia, *ſinguli fideles* ſeu credentes; æquè ac frater ſuus, hoc eſt; vnus ſicut alter: ſine προσωποληψία.

Galat.3.26.

V I I.
Vocatio Gentium.

Alia diviſionis Lex,dicto cap.47.v.22.hiſce verbis extat: *Dividetis terram in hæreditatem vobis & advenis,qui acceſſerint ad vos,qui genuerint filios in medio veſtrum,&c.* Quæ verba de vocatione gentium vaticinium habent. *In Chriſto non eſt gentilis & Iudæus,circumciſio & præputium,Barbarus,Scytha,ſeruus,liber,ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Quoniam non eſt perſonarum Acceptor Deus: ſed in omni gente,qui timet Dominum & operatur iuſtitiam,acceptus eſt illi.* Sed hoc argumentum illuſtriſſimum,& noſtri ſolatij,cùm ex gentibus oriundi ſimus, pleniſſimum, Prophetæ cumprimis,& Pſalmi Davidici,pulcerrimè & copioſiſſimè tractant. Novum autem Teſtamentum omnium iſtorum vaticiniorum, certiſſima explicat complementa. *Gentes* igitur,ad Evangelium & Regnum Chriſti converſæ,ſunt peregrini illi, quibus in diviſione noſtra Prophetica, ſuæ quoq; attribuuntur portiones.

Coloſſ.3.10.

Actor.10.34.

V I I I.
Regnum Chriſti toto orbe diſperſum.

Portiones terræ dividundæ,*ab ortu in occaſum porriguntur*, ea namq; Eccleſiæ Chriſtianæ amplitudo eſt, vt per totum terrarum orbem diſperſa, nullis vel ortus vel occaſus terminis concludatur. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Eam ob cauſam Chriſtus,diſcipulos ſuos,Euangelium prædicatum ablegaturus,in *univerſum mundum* eos ablegat, & mandato & promiſſione additâ: prædicate Evangelium *omni Creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Ezech.48.v.2. & ſeqq.
Pſalm.2.8.
Marc.16.15.

Licet

IX. *Eccleſia terminatur Fide.* *Ezech. 47. v. 15. &c.*

Licet autem portiones terræ ab ortu in occaſum porrigantur, ſui tamen eiſdem ad omnes plagas *certi termini atq; limites* conſtituti ſunt: In imaginem eius, quòd licet Eccleſia per vniverſum porrigatur orbem, non omnes tamen orbis incolæ ſunt Eccleſiæ cives: ſed in hac ipsa totius vniverſi amplitudine, ſua Eccleſiæ determinata eſt & certis limitibus definita deſcriptio. Illi ſunt *termini fidei Chriſtianæ Catholicæ.* Quiſquis enim intra hos terminos, quos Dominus Deus, per Prophetas & Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ circumdedit, habitaverit, intra complexum terræ ſanctæ, hoc eſt, in gremio Eccleſiæ habitat, ſi maxime *vltra extremos Indos* habitaverit. Hæc enim eſt *communio ſanctorum*, & Chriſtianæ Eccleſiæ *vnitas*, vt qui fidei Chriſtianæ vnitate devincti ſunt, omnium quoq; Eccleſiæ bonorum communione perfruantur. Imo vero quotquot fideles habet orbis Chriſtianos, illi *omnes vnus ſunt* in Chriſto Ieſu, Galat. 3. 28. *Vnum enim corpus & vnus Spiritus, vna ſpes vocationis noſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & pater omnium*, Epheſ. 4. 4. Et digna eſt notatu inſcriptio Petrina: *Simon Petrus, ſervus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, his, qui æquè pretioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem*, Τοῖς ἰσότιμον πίςιν λαχοῦσι. Vbi vbi igitur vel gentiũ vel terrarum ſunt fideles, ibi etiam ἰσότιμος πίςις, per quam fidem, non tantum iuris, terræ & Civitatis ſanctæ participes, ſed vt ibidem Petrus habet, θείας κοινωνοὶ φύσεως *ipſius divinæ conſortes reddimur naturæ.* Limites igitur fidei Chriſtianæ, quæ per vniverſum orbem diffuſa eſt, limites ſunt terræ ſanctæ, limites Eccleſiæ Catholicæ. Quos *fidei limites*, Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis definitos, non minori diligentiâ ac ſtudio tueri & obſervare decet, quam Dominus terræ ſanctæ limites, magnâ curâ & ſollicitudine deſcripſit. *Hæc dicit Dominus Deus, hic est terminus in quo poſſidebitis terram, in duodecim tribubus Iſrael*, Ezechiel. 47. v. 13. & ſeqq. Non enim minus ſceleratum eſt, ſcripturas aut fidei Articulos corrumpere, quàm Regionũ aut poſſeſſionum *limites* transferre, quod Iob 24. 2. in graviſſimorum ſcelerum Catalogo, vt caput Princeps, in ipſa ſceleratiſſimâ iniquitatis arce eſt locatum.

Communio ſanctorum.

2. Petr. 1. 4.

Scripturas corrumpere eſt limites tranſponere.

Viciſſim, quiſquis extra terræ ſanctæ terminos vivit, hoc eſt, quiſquis extra Eccleſiam eſt, is populo ſancto, populo hæreditatis ſanctæ, non eſt accenſendus, nec ſpem habet vllam hæreditatis. Sicut enim extra terminos terræ ſanctæ nulla eſt hæreditatis portio, ſic extra Eccleſiam *nulla ſpes* ſalutis. Sicut autem *fidelis*, vbicunq; locorum aut hominum vivat, incola eſt terræ ſanctæ, hoc eſt, verum membrum Eccleſiæ, ita *infidelis*, licet in medio cœtu fidelium lateat, verum tamen Eccleſiæ membrum non eſt: & ſicut eandem æque pretioſam fidem non habet, ita quoq; ſpem nullam cœleſtis hæreditatis.

X. *Omnibus advenis ad Eccleſiam Aditus patet.*

Alia diviſionis lex, Ezech. 47. v. 23. hiſce verbis promulgata eſt: *In tribu, in quacunq; fuerit advena, ibi dabitis poſſeſſionem illi, ait, Dominus Deus.* Hæc lex non tantum omnibus advenis ſanctas Eccleſiæ *portas* pandit, ſed ipſi quoq; Eccleſiæ præceptum manſuetudinis & charitatis fraternæ præſcribit, vt neminem advenientem excludat, ſed quicunq; & quandocunq; venerunt, modo venerint, poſſeſſionem atque hæreditatem, hoc eſt, omnium Eccleſiæ bonorum participantem communionem illis concedant. *Chriſtus enim, neminem ad ſe venientem forás eyciet*, Iohan. 6. 37. *Vos autem ſicut, Electi Dei, ſancti & dilecti, induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, manſuetudinem, longanimitatem & ſuſcipite* advenam, *ſicut Chriſtus Ieſus ſuſcepit eum.*

Iohan. 6. 37.

Coloſſ. 3. 12.

Calvinianum Decretum, de Abſoluta reprobatione, eſt horrendum. βδέλυγμα.

Hæc lex, ſicut omnibus qui longe ſunt, plurimum ſolatij ſuppeditat, declarat enim Eccleſiæ gremium, & cœleſtis hæreditatis portam, nemini advenæ, qui fidelium cætui ſeſe adiunxerit, vnquam occluſam eſſe: hiſce ſonoris & perſpicuis verbis, præcipiente Domino: *ſortiemini terram in hæreditatem vobis & peregrinis* ſeu advenis, *qui acceſſerint ad vos, &c.* Ita *tonitru* validiſſimum, & *fulmen* præſentiſſimum eſt, quod Calvinianorum dogma, de abſolutâ reprobatione maximæ partis hominum, ad Orcum præcipitat. Ita namque lex diviſionis no-

ſtræ

ſtræ loquitur: *Sortiemini terram in hæreditatem*, vobis & peregrinis, qui ad vos acceſſerint. Cùm igitur omnibus adventantibus Eccleſiæ gremium pateat, omnibus etiam adventantibus ad cœleſtem hæreditatem patet aditus. Et per conſequens Calvinianorum ſomnium, de abſoluto & immutabili Decreto reproborum, purum putum humani cerebri figmentum, & contra miſericordias Domini *blaſphemum atq; horrendum* βδέλυγμα eſt.

Rectè habet (excipiunt Calviniani) patet Eccleſiæ gremium, & cœleſtis hæreditatis aditio, omnibus qui venerint. Reprobi autem, negatâ ipſis divinâ gratiâ, venire non poſſunt, aut ſi inter populum hæreditatis viventes, venire aliquando, aut veniſſe videantur, non alius tamen conditionis ſunt, quàm vel hoſtes, vel proditores, in Civitate munita, haberi ſolent. Ideò namque invitantur, admittuntur & illuminantur aliquo vſq; verbo, *vt tantò periculoſius pereant, & gravioribus mactentur ſupplicijs.* Sic enim Beza, in explicatione totius Chriſtianiſmi cap. 5. Aphoriſm. 4. *Quorundam verò gravior etiam eſt caſus, eorum videlicet, quos EXTERNA quidem PRAEDICATIONE dignatur, ſed qui vocati, nec volunt nec etiam poſſunt reſpondere, quoniam ita ſibi in ſua cæcitate placent, vt dicant ſe videre*: Quibus etiam non datum eſt, *veritatis Spiritum amplecti & credere.*

Calviniani docent: quoſdam ideò tantùm illuminari, vt tantò periculoſius damnentur.

Beza Volum. 1. Tractat. Theolog. pag. 190.

Calvinus, Inſtit. libr. 3. cap. 24. ſect. 12. *Quos* (Deus) *in vitæ contumeliam & mortis exitium* creavit, *vt iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis Exempla, eos, vt in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc eius prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* Et ſequenti ſect. 13. *Iſtud quidem in quæſtionem trahi non poteſt, multis verbum ſuum Dominum mittere, quorum cæcitatem* magis *velit aggravari.* Et poſteaquam inter alia etiam Eſai. 6. 9. citaſſet, hæc tandem ſubijcit: *Ecce, vocem ad eos dirigit, ſed vt magis obſurdeſcant: lucem accendit, ſed vt reddantur cæctiores: doctrinam profert, ſed quò magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne ſanentur.* Et amplius addit: Atque hanc Prophetiam adducens Iohannes, Iudæos Chriſti doctrinæ non potuiſſe credere aſſerit, *quia in eos incumberet, hæc Dei maledictio.*

Calvinus Inſtit. lib. 3.

Iohan. 12. 39

In quam ſententiam, Iohan. *Piſcator*, Hermannus *Rennecherus*, Georgius *Spindler*, D. David *Paræus*, & alij Calviniani Doctores, vbiq; plura, atq; etiam horrida magis effundunt.

Sed haſce omnes φλυαρίας, non tantùm extra Scripturarum oleas vagari, ſed ipſum etiam Deum, miſericordem & veracem, horrendæ Tyrannidis, & deteſtabilis *periurij* condemnare, non tantùm ex viſione noſtra Prophetica, ſed ex alijs etiam ſcripturæ locis innumeris irrefragabiliter patet.

Ecce enim, propoſita lex diviſionis Prophetæ ita habet: *in quacunq; tribu fuerit advena, ibi dabitis poſſeſſionem illi, ait Dominus DEVS.* Quæ verba vniverſalem DEI, & æqualem *in omnes* voluntatem explicare (*procul exploſo abſolutæ reprobationis Decreto*) nemo pius non videt. *Viciſſim* quis non animadvertat deſperatam Domini hypocriſin, quæ ex Calviniano dogmate conſequitur: ſi etiam *lege propoſita* mandaret, vt omnibus adventantibus advenis, poſſeſſiones attribuant, cùm ipſe ſecundum Calvinianas blaſphemias *abſoluto Decreto*, ab omni hæreditatis poſſeſſione maximam partem reiecisſet. *Eodem* pertinet, quòd infrà in contemplatione Templi, *Deo dante*, viſuri ſumus, aquas ex æde ſacra profluentes, & in mare mortuum exoneratas, non tantùm exitialem illam paludem ſanare, ſed omnia vbique obvia animalia vivificare, *exceptis ijs*, quæ in cænoſis & paluſtribus locis, hoc eſt, in peccatis & ſceleribus impœnitentes volutentur. Quod nihil aliud eſt, quàm illuſtris *imago Euangelij*, quod *potentia DEI eſt ad ſalutem omni credenti*: Nihil aliud, quàm *imago ſanctiſſimæ Dei voluntatis*, qui fluminibus ſuperabundantis gratiæ

Refutatio Calvinianæ doctrinæ.

Calviniani Deum hypocritam faciunt.

Rom. 1. 16

Digitized by Google

gratiæ ſuæ, non aliquorum duntaxat, ſed *omnium* in vniverſum hominum ſaluti, conſultum eſſe deſiderat. *Omnes enim homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nec aliquos perire vult, ſed omnes ad pœnitentiam reverti:* Ideoque *annunciat hominibus, vt omnes vbiq; pænitentiam agant. Fidem offerens omnibus.* Eodem affectu, Chriſtus Salvator, *omnes laborantes & oneratos ad ſe advocat*, promittens *animabus illorum refocillationem.* Inter omnia autem cumprimis illuſtre eſt *iuramentum*, omnipotentis & veracis noſtri Dei, quod ſupra cap. 33. 11. habuimus: *Vivo ego dicit Dominus Deus, non delector morte impij, ſed vt convertatur impius à via ſua, & vivat, &c.* Ex quibus omnibus patet, blaſphema Calviniſtarum ſomnia, de Abſoluto Decreto reprobationis, non tantùm legibus diviſionis terræ ſanctæ, hoc eſt, privilegijs & donis Eccleſiæ, ſed vniverſæ quoq; ſcripturæ, adeoq; ipſi *naturæ, iuramento*, & *veritati* Dei noſtri, quod vel cogitatu horrendum eſt, è Diametro repugnare.

1. Timoth. 2. 4.
2. Petr. 3. 9.
Act. 17. 30.
Matth. 11. 28.
Ezech. 33. 11.

X I. *Chriſtus omnium hominum Salvator, omnes vult ſalvari.*

Hactenus particularia terræ ſanctæ contemplati ſumus: ſed neque iucunditate & ſolatio caret, ſi totius quoque diſpoſitionem animis noſtris proponamus. *Longitudo* terræ ab ortu in occaſum, porrigitur; ſecundum *latitudinem*, à Septentrione meridiem verſus, in duodecim tribus diſtributa eſt: ſingulis portionibus, ex ortu in occaſum, per totam longitudinem vergentibus. In *medio* harum portionum & poſſeſſionum tribuum, *vnicâ exceptâ, quâ poſſeſſiones Auſtri, à Septentrionis ſuperantur*, eſt *oblatio ſancta*, & in medio huius *quadratum ſanctum*, in cuius certo monſtrato loco, *ſanctuarium*, &, vt ſuo loco manifeſtum dabimus, *in ipſius ſanctuarij medio*, in Atrio videlicet tertio ſeu intimo, *Altare Holocauſti*, quod, vt ſuo loco monſtrabimus, Chriſtum, expiatorem totius mundi peccatorum, nobis depingit. Adeoq; *Altare Holocauſti*, ſi rem rectâ reputemus viâ, eſt quaſi in *medio* totius terræ ſanctæ *puncto* locatum. Licet enim, vt dictum eſt, vna poſſeſſio, ex parte ſeptentrionali, amplius numeretur, quàm meridionali, in ipſo tamen quadrato ſancto, & pars Levitarum, & communio Civitatis, cum aliqua etiam parte portionis Sacerdotum, à Templo verſus *meridiem* recedit, quæ portiones, vnam propè poſſeſſionem reſtituere poſſunt, adeò, vt *Altare Holocauſti*, in ipſo totius terræ *medio* conſpiciatur. *Hoc quæſo quid aliud eſt*, quàm manifeſtiſſima, pulcerrimaque pictura, quâ Chriſtus TOTIVS mundi Salvator exprimitur. Nam in ipſo medio terræ ſanctæ, per holocauſti Altare depingi voluit, vt teſtaretur, ſe ſuæ paſſionis, & paratæ ſalutis merita nemini hominum invidere, ſed omnibus ex æquo, æquâ voluntate, æquo deſiderio partiri velle. Hoc *nimirùm* illud eſt, quod in medio conſtitutus reparator ſalutis, omnes vndiq; circumfuſos peccatores ad ſeſe advocat, *venite omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos*, Matth. 11. 28. Hoc illud eſt, quod inter cœlum terramq; exaltatus, *paſſis manibus*, omnes totius mundi peccatores ad ſe trahit: ſicut pollicitus fuerat, *ego cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipſum.* Illud, inquam, eſt, quod præſentiam ſuam, in medio Eccleſiæ ſuæ, vſque ad ſeculorum conſummationem, diſertè promiſit. *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi:* Et *vbi duo aut tres, in nomine meo congregati ſunt, ibi ſum in medio eorum.* Sed recurret hæc meditatio, quùm altare Holocauſti ipſum ſumus contemplaturi.

Iohan. 12. 32.
Matth. 28. 20.
Matth. 18. 20.

X I I. *Civibus terræ ſanctæ, hoc eſt, omnibus Chriſtianis, omni iniuſtitia interdictum eſt.*

Mentio quoq; fit in terræ diſtributione, menſurarum & ponderum, Ezech. 45. v. 10. *Statera iuſta, & Ephi iuſtum, & batus iuſtus erit vobis, &c.* Qua conſtitutione *Iuſtitia politica* inter Chriſtianos plantatur. Sicut enim *principibus* Chriſtianis interdictum eſt (vt meditatione V. vidimus) ne impoſitis iniuſtis oneribus, vel iniquis exactionibus populum exhauriant & opprimant: ita *civibus* ipſis, omni iniuſtitia, deceptione & fraudibus inter ſeſe eſt interdictum. *Primùm* enim ea res ſummæ Deo abominationi eſt, Prov. 11. 1. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum, & pondus æquum beneplacitum eius. Adhuc*, inquit Dominus apud Micham, *Domus improbi? Adhuc Theſauri improbitatis? Et Epha minutum deteſtabile?*

teſtabile? Et mox: *Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa?* *De-* *Mich.6.v.10.*
inde ipſis quoque deceptoribus, eſt res pernicioſiſſima. Cùm enim iniuſtus
Mammon, non niſi impiè cumulatis fraudibus, impoſturis, mendacijs, periu- *Avaritia mala.*
rijs & corradi & poſſideri poſſit: *non tantum* ipſi avaritiæ cultores, diurnis & no-
cturnis laboribus, vaniſſ. ſollicitudinibus, curis & technis, miſeri abſumuntur:
Verùm etiam divitiæ illorum, quæ ex iniquitatibus & rapinis conflatæ ſunt, ſu-
bitò ſæpius, vt nebula in auras evaneſcunt. **Vnrecht gewonnen Gut/ den** *Iniuſta pecunia*
dritten Erben nicht erfrewen thut. *Tacco infinitos* caſus, quibus Dominus *vin-* *non habet radices.*
dex iniquitatis, furta, fraudes & rapinas, iniuſtorum eiuſmodi hominum, graviſ-
ſimè & ſeveriſſimè vlciſci ſolet. Ideò, dicto loco, apud Micham, avaris & im-
poſtoribus, qui lancibus, ponderibus atq; menſuris doloſis vſuras faciunt, ita
Dominus comminatur, Mich. 6. v. 12. *Divites civitatis pleni ſunt violentiâ, & ha-*
bitatores loquuntur falſum, quorum lingua doloſa eſt, in ore ipſorum. **Liegen vnd betrie-**
gen iſt beyeinander. *AEgritudine afficiam te, deſolando propter peccata tua. Tu comedes*
ſed non ſaturaberis: & humiliatio tua erit in medio tui, &c. Tu ſeres (ſeminabis) *ſed non*
metes, tu calcabis olivas, ſed non vnges te oleo, & muſtum, ſed non bibes vinum. *De in-*
conſtantia vero, & *fugacitate* divitiarum iniquitatis, eleganter Ieremias: *Sicuti*
perdix fovet ova, & non excludit: Itaqui facit divitias. ſed iniuriâ, in dimidio dierum
ſuorum derelinquet eas, & in fine erit ſtultus. Exemplo eſt nobilis ille ſtultus, cuius
memoriam Lucas Evangeliſta conſecravit, Luc. 12. v. 20. *Stulte, hac nocte ani-*
mam tuam repetunt à te, quæ autem parâſti, cuius erunt? Sic eſt ſcil. *qui Theſaurizat, &*
non eſt dives in Deo. *Qui vero* cœleſtes & æternas divitias cum fœdiſſimo hu- *Avari omnium*
ius mundi ſtercore commutant, illi demum *ſtultorum omnium*, maximè *mortalium ſtul-*
ſunt ſtultiſſimi. Multo enim hoc, quàm χρύσεα χαλκείων, vel Equum fiſtulâ *tiſſimi.*
permutare, ſtultius atq; dementius eſt. *Tandem Iuſtitia* politica inter Chriſtia- *Avaritia ſocieta-*
nos etiam ideò requiritur: Quia ſine hac non etiam mundana ſocietas ſtare *tem Civilem peri-*
poteſt: quà, dum hanc vitam vivimus, in mundo carere non poſſumus. *Sicut* *mit.* *Simile.*
enim, ſi vnumquodque membrum corporis noſtri hunc ſenſum haberet, vt
valere ſe poſſe non putaret, niſi proximi membri valetudinem & vires ad ſe
traduxiſſet, debilitari certè & interire totum corpus neceſſium eſſet: Ita ſi v-
nuſquiſq; noſtrûm, ad ſe rapiat cõmoda aliorum, detrahatq; quod per fraudes,
impoſturas, ſtateras doloſas, & minutum deteſtabile Epha, cuiq; poteſt, pro-
prij emolumenti gratia, ſocietas hominum, & communitas evertatur, neceſ-
ſe, id quod etiam ſine Chriſto ſapientes gentium, & intellexerunt, & elegan-
ter eâdem de re ſunt commentati. *Statera* igitur iuſta, & *Epha* iuſtum & *Batus* iu-
ſtus ſit vobis, quicunque cives & incolæ eſtis terræ ſanctæ, hoc eſt, Eccle-
ſiæ Chriſtianæ vera membra. Et longe turpiſſimum ſit dedecus, Domini po-
pulum, ab *externis* ſive Ethnicis hominibus, in hac iuſtitiæ parte ſuperari.
Eam ob cauſam, toties & tot cumulatis Argumentis, & de avaritiâ cavendâ, &
iuſtitiâ viciſſim colendâ, & nos, & omnes Chriſtiani nominis confeſſores, *Apo-*
ſtolus exhortatur. *Nolite errare: neq; fures, neq; avari, neq; rapaces regnum Dei hæredi-* *1. Cor. 6. 10.*
tabunt. Et hoc ſcitote, quòd omnis avarus, qui eſt Idolorum ſeruus, non habet hæredita- *Epheſ. 5. 5.*
tem, in Regno Chriſti & Dei. Nam *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, &* *1. Timoth. 6. 9.*
in laqueum, & in deſideria multa, & ſtulta, & nociua, quæ mergunt homines & in inte-
ritum & perditionem. Radix enim *omnium malorum eſt avaritia. Ne quis* igitur *ſu-* *1. Theſſ. 4. 6.*
pergrediatur, neque circumveniat fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his o-
mnibus: ſicut & prædiximus vobis & teſtificati ſumus. *Nemo quod ſuum eſt quæ-* *1. Corinth. 10. 24.*
rat, ſed quod alterius. Charitas enim *quæ ſua ſunt non quærit. Deponite* igitur iniuſti- *1. Corinth. 13. 5.*
tiam, avaritiam, fraudes & impoſturas omnes, quas diminutis ponderibus, do-
loſis ſtateris, menſuris, technis, aut quibuſcunque rationibus alijs exercuiſtis. *Epheſ. 4. 28.*
Qui furabatur, non furetur amplius, magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod
bonum eſt, vt habeat, vnde tribuat, neceſſitatem patienti.

Sufficiant modò hæ meditationes de diviſione terræ ſanctæ.

I I I.

DE CIVITATE ſancta.

Accedimus *divinæ benignitatis gratiâ*, ad contemplationem Civitatis ſanctæ, quæ vnâ cum Templo in Quadrato ſancto (diverſis quanquam locis) extructa eſt. Hoc enim in medio portionis *Sacerdotũ*, illa verò in medio *communionis Civitatis* conſpicitur, *interiectâ*, inter portionem Sacerdotum & communionem Civitatis, *poſſeſſione Levitarum*. Hæc enim eſt diſtributio *quadrati ſancti*. Cùm igitur vtraque ſtructura, tàm *Civitatis* quàm *Templi* in *quadrato ſancto* ſurgat, atque ex præmiſſis generaliter quidem conſtet, Civitatem ſanè, benè iuſto intervallo, inde à Templo (quod in Septentrionem vergit) meridiem verſus recedere, intervallum tamen iſtud, nondum nobis *definitum* eſt. Ea propter definitionem hanc, in principio huius contemplationis *primam* inveſtigabimus. Licet enim de *Calamis* & *cubitis*, alijſque menſuris in ſuperioribus, de *intervallis* tamen *maioribus*, quæ huic quæſtioni enodandæ accommodata ſunt, nihil dum perfectè explicatum eſt. Ad dimetiendum igitur quadratum ſanctum, nec non *diſtantiam* Civitatis à Templo inveſtigandum, de ſpatiorum menſuris, contemplabimur.

DE MENSVRIS SPATIORUM.

Cubitus communis, ſeſquipes.

Propheticus pes, & novem vnciæ.

Principiò, quia Propheta noſter omnia διαστήματα per Calamos & cubitos dimenſus eſt, de ijs in ſuperioribus iam abundè ſatis eſt dictum. Cubitum nimirum habere pedem vnum & dimidium: Et ſanè cubitum Prophetæ noſtri eſſe palmi-cubitum, hoc eſt, quemlibet cubitum conſtare cubito communi & palmo, hoc eſt, pede vno, & tribus palmis ſeu digitis duodecim in vniverſum digitis XXVIII. ſive pede vno & vncijs novem.

Calamus Propheticus.

Diximus etiam, *Calamum* conſtare cubitis ſex, ſed palmi-cubitis, quorum ſinguli cubitum communem (ſeu ſeſquipedem) palmo ſuperat. Calamum igitur Propheticum pedes habere *decem cum dimidio*. Iam, quæ ad ſpatiorum dimenſionem amplius pertinent, adijcimus, vt cum Hebræis cubitis atque calamis comparata, lucem rebus offerant maiorem.

Ratio menſurandi diverſa.

Diverſimodè autem Græci & Romani, & aliter veteres, aliter hodierni ſpatia metiuntur. *Græci* per ſtadia, certo pedum numero, computata. *Romani* per milliaria, quibus à mille paſſibus nomen eſt.

Differentia inter pedes Græcos & Romanos.
Pedes Græci 24. faciunt Romanos 25.

Pes Romanus, vncias habet XII. ſeu digitos XVI. Sed *pes Græcus*, ſemunciâ, Romano maior eſt, hoc eſt, parte viceſima quarta. Columella libr. 5. cap. 1. *Modus omnis areæ pedali menſura comprehenditur, qui digitorum eſt* XVI. *Pes multiplicatus in paſſus, & actus, & climata & iugera, & ſtadia, centuriaſq́ue, mox etiam in maiora ſpatia procedit.* Non de omnibus hiſce, ſed de paſſibus duntaxat & ſtadijs in præſentia.

Paſſus quid?

Paſſus (qui ex paſſis, hoc eſt, deductis manibus nomen habet) quinq; pedes habet. Sic Columella dicto loco: *paſſus pedes habet quinq́ue.*

Stadium quid?

Stadium paſſus habet centum viginti quinque. Columella dicto loco. Et Plinius libro 2. capite 23. ita habet: *Stadium, centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinq́ue.* Hæc ille. *Græcum Stadium* paſſus habet tantùm C. ſeu *pedes tantum* DC. Græcos.

Milliare,

Milliare, quod nomen à mille paſſibus habet, *octo ſtadia* continet. Sic enim Columella, lib. 5. cap. 1. *Stadium deinde habet paſſus* CXXV. *hoc eſt, pedes* DCXXV. quæ octies multiplicata, efficit mille paſſus. Sic veniunt (in milliare ſcilicet) quinq; millia pedum. Sed hæc *milliaria Romana* ſunt, non *Germanica*, quæ hodiè in duarum horarum itinera vulgò computantur, quo temporis ſpatio plura Romana emetiri licet, quot autem, ex ſequentibus patebit. *Milliare quid?* *Milliariorum differentia.*

Leuca eſt iter vnius Horæ: adeoq; dimidium milliaris Germanici: Duæ ergò Leucæ vni Germanico reſpondebunt milliari. *Leuca quid?*

De hac re ſequentes verſus leguntur apud *Nicolaum de Lyra*, in Ezechiel. cap. 48.

Quinq; pedes paſſum faciunt: paſſus quoq; centum
Viginti quinq;, ſtadium: Si vis miliare
Octo dabis ſtadia: Duplicatum ſit tibi Leuca.

De eodem Argumento elegantem locum habet *Iuſtus Lipſius*, in Epiſtolica inſtitutione, Centur. 3. Epiſtola 59. qui locus inter cætera ita habet, ad Nicolaum Micaultium. *Iuſtus Lipſius de ſpatiis.*

Græci per ſtadia ferè computant: atq; ea etſi alibi alia, tamen communi more & vſu, ſexcentorum pedum hîc ſunto. Pes autem Græcanicus Romano ſemunciâ eſt maior. Romani per milliaria metiuntur, quibus à mille paſſibus eſt nomen. Paſſus autem pedes quinos continet, & pes Romanus, vulgari noſtro, paulo eſt maior. Octo ſtadia, paulò minùs (ita Plutarchus) in milliare vnum imputantur: Etſi Suidas ſeptem cum dimidio diſtinctiùs profert. Nos hodie per Leucas ferè computamus, atque eas horario ſpatio finimus. Nunc quæritur, quot priſca, ſive Romana milliaria in Leucam noſtram veniant? Vulgò tria aſſerunt: nec malè, ſi hodierna Italica aut Romana ſpectamus. Si vetera, vereor vt errent. Antonini Itinerarium, qui inſpicit & comparat, videbit palàm, milliaria illa vinci ab hodiernis. Qui lapidum intervalla, qui hodieq; in veteribus viјs, ſigna milliarium, cum numeris ſuis extant, idem cenſebit. Idem, qui hæc noſtra mox producenda, comparabit. Si enim tria tantùm milliaria, in vnum noſtrum ſumes, ſurgent ſpatia diurna, ab homine confecta, ſupra omnes humanas vires. Sed illud de lapidibus, per ſe mihi firmum eſt, & exſtant cùm alibi hodie, tum in Luſitania, viâ militari ad Emeritam Auguſtam, vbi ſingula milliaria ſingulæ ſuæ columnæ inſcriptæ diſtinguunt. Qui ſpatium dimenſi ſunt (inter alios, amicus noſter Carolus Cluſius) *certò aſſerunt, quatuor ea venire in vnam Leucam. Hoc igitur ſequemur.* Hæc ibi.

Ex quibus patet, Leucam eſſe ſpacium vnius Horæ, adeoque *dimidium milliaris Germanici*, ita dicti, non quòd *mille* duntaxat paſſus habeat: ſed cùm Romanis mille paſſus, in milliare venirent, ipſum iſthoc nominis, tàm *Leuca*, quàm *Leuca duplo* remanſit, licet aliquoties mille paſſus contineat. *Leuca ſpatium vnius Horæ.*

Patet ſecundò, duas Leucas reſpondere milliari vni germanico: hoc enim ſolemus duarum horarum itinere communiter definire. *Duæ Leucæ milliare germanicum.*

Tertiò patet, in vnam Leucam, quatuor milliaria Romana priſca conſpirare. Si qui tria velint de hodiernis Italicis, id ſententiæ intelligendum eſſe. *Vna Leuca quatuor Italica priſca.*

Quartò denique *conſequitur*, octo demum milliaria *Italica priſca*, vni reſpondere Germanico, bihorario itinere definito. *Octo priſca Romana, vnum Germanicum.*

Et tandem omnibus collatis, manifeſtò patet, quòd ſicut octo ſtadia ſeu *mille paſſus*, milliare Romanum faciunt: ita triginta duo ſtadia, hoc eſt, quater mille paſſus, faciant leucam, & ſexaginta quatuor ſtadia, ſeu paſſus octies mille, æquent milliare germanicum, ſive Leucas duas. *Octo ſtadia, milliare Romanum.*

Conſideratâ *proportione temporis*, res ita habet *Leuca*, horario ſpatio conficitur: in Leucam, quatuor milliaria Italica veniunt. Singulis igitur *Ho-*

Digitized by Google

ra quadrantibus, ſingula milliaria Italica conficiuntur. Et, quod idem eſt, *ſingulis* horarum quadrantibus ſtadia *octona*.

His ita *expoſitis*, verſus ſupra citatos ex Nicolao de Lyra, & corrigo, & ſuppleo in hunc modum:

Verſus de dimenſione ſtadiorum.

Quinq; pedes paſſum faciunt: paſſus quoq; centum
Viginti quinq; , ſtadium: Si vis miliare
Octo dabis ſtadia: Quadruplum fiat tibi Leuca:
Leuca viro cuicunq; gradus Horaria pandit.
Leuca duplex, Horam duplicatam vult Alemanno.

NB. Palmicubitus eſt ſeſquipes cum quadrante $1\frac{3}{4}$.

Latus quadrati ſancti $1\frac{1}{8}$ *Mill. ferè.*

Iam inſtructi cognitione rerum, *metimur* & quadratum ſanctum, & interiectum ſpatium, inter Templū & Civitatem. Diximus in textu, latus quadrati ſancti habere vicies quinquies mille cubitos, qui reſoluti (eo obſeruato, quòd ſunt palmicubiti) faciunt 43750. pedes (*Quinq; pedes paſſum faciunt*) Ergò paſſus: 8750. *Mille paſſus* dant *milliare* Italicum, & *octies mille* paſſus faciunt vnum *milliare germanicum*. Latus igitur Quadrati ſancti eſt milliare Germanicum vnum, cum parte octava proximè: deficiunt enim *paſſus quinquaginta cum ducentis*.

Secundum illos, qui Nicolaum de Lyra, & Hieronymum ſequuti, latus quadrati ſancti, non de *cubitis*, ſed de *calamis* intelligunt, haberet latus vnum 262500. pedes. (Quinque pedes paſſum faciunt) Ergò paſſus 52500. Qui dant milliaria *Germanica ſex cum dimidio*, & parte inſuper decima ſexta, ſeu paſſibus quingentis. Hæc eſt contemplatio quantitatis totius Quadrati ſancti.

$6\frac{1}{2}$ Mill. 500. paſſus.

Portiones tàm Sacerdotum, quàm Levitarum, *longitudine* ſuâ æquant, latus Quadrati, ſed *latitudine* ſua ſingulæ non plures continent, quàm cubitos decies mille, qui faciunt pedes 17500. Et hi, paſſus 3500. hoc eſt, *non integram* Leucam.

Iam ad vrbem accedimus, cuius exterior ambitus eſt vnius lateris, *quinquies mille* cubitorum, qui pedes faciunt 8750. Et hi, paſſus 1750. exhibent, qui dimidium Leucæ non omninò complent, deſunt enim paſſus 250. qui præciſè faciunt duo ſtadia. Et hoc quidem latus vnum eſt Civitatis.

Ambitus Civitatis 1. Mill, minus $\frac{1}{8}$.

Totus igitur *ambitus* Civitatis, milliare germanicum vnum, minus parte octava complectitur. **In zween Stunden kan man umb die Statt gehen.**

Diſtantia inter Civitatem & Templum.

His *explicatis*, iam amplius quæritur: *quanto intervallo Civitas à Templo* diſtet? De hoc, vt apertè conſtare poſſit, in quadrato noſtro ſancto ita eſt procedendum: Conſtat inter portionem ſacerdotum, & communionem Civitatis, totam portionem Levitarum interiectam eſſe, cuius *latitudo* eſt *decies mille* cubitorum: Ezechiel. 45. 5. & 48. 13. *Conſtat amplius* portionem *Sacerdotum*, in qua Templum conſpicitur, eiuſdem eſſe latitudinis, cum portione *Levitarum*. Ezechiel. 45. 3. & 48. 10. *Tertiò conſtat*, Templum in ipſo medio portionis Sacerdotum locatum eſſe, Ezech. 45. 3. Et clariùs cap. 48. 10. Et erit ſanctuarium eius in medio eius, in medio ſcil. portionis Sacerdotum. *Inſuper & hoc conſtat*, Templi extremum Atrium, in vno latere habere, *quingentos cubitos* Ezech. 45. 2. Et, amplius, *quinquaginta cubitos* eſſe in ſuburbanis per gyrum: adeoque omnium extremum ambitum totius ſanctuarij (ſuburbanis ſimul computatis) eſſe, *ſexcentorum cubitorum*. Dicto capite, dicto verſu. Iam ita ratiocinandum: A Civitate vſq; ad portionem Sacerdotum, ſunt *decies mille* cubiti. A portione Levitarum, vſq; ad medium portionis Sacerdotum, ſunt *quinquies mille* cubiti. Verùm, hoc nolumus, ſed diſtantiam à portione Levitarum, vſq; ad extremū ambitū Templi inveſtigamus. Ex quinquies mille igitur cubitis, *trecenti cubiti* (dimidium videl. totius Templi, quod in medio locatum eſt) ſubtrahēdi ſunt:

quo

Digitized by Google

quo facto, reſidui manent quater mille & ſeptingenti cubiti: his adde latitudinem portionis Levitarum, decies mille nimirùm cubitos, & habes *ſummam interſtitij*, inter Civitatem ſanctam & Templum, cubitos nimirùm *decies quatuor mille ſeptingentos*, 14700. Ex his quæſitum facile eruitur. Cubiti namque 14700. faciunt pedes vicies quinquies mille, ſeptingentos viginti quinque 25725. Quinque pedes paſſum faciunt, dictus igitur pedum numerus, paſſus exhibet, quinquies mille centum quadraginta quinq; 5145. hoc eſt, Leucam vnam, cũ parte quartâ, & aliquid amplius ſtadio. Iter igitur à Civitate ad Templum pergenti, horarium eſt cum quadrante. *Ex ſuperiore enim computatione* manifeſtum eſt, in ſingulos horæ *quadrantes*, paſſus *millenos* imputandos eſſe, cùm bihorij ſpatio (quod octo horarum quadrantes habet) octies mille paſſus conficiantur. *Cuius rei quivis peregrinando* (non lentè ſpatiando) *periculum facere poteſt.*

Iter à Civitate ad Templum Horæ $1\frac{1}{4}$.

Regula. Singulis Horæ Quadrantibus mille paſſus imputandi.

Hæc mea eſt ſententia: ſed ſecundum Nicolaum de Lyra, Hieronymum: & alios: qui eoſdem ſequentes, in huiuſmodi dimenſionibus noſtri Ezechielis, non cubitos (vti nos facimus) ſed calamos intelligendos eſſe ſtatuunt, & vrbis amplitudo, & eiuſdem atque Templi intervallum longè maius & amplius ſurgit.

Si enim latus Civitatis (ſuburbia quoq; imputando) ſumatur 5000. Calamorum, prodibit lateris longitudo $1\frac{1}{4}$ milliaris Germanici, & paſſuum inſuper 500. Adeoque totus Civitatis ambitus $5\frac{1}{4}$ milliarium.

Secundum Hieronymum ambitus Civitatis $5\frac{1}{4}$ millarium.

Rurſus diſtantia Civitatis à Templo talis erit. Exhibet illa computatio interſtitium inter Civitatem & Templum 14700. Calamos, qui per ſex reſoluti in cubitos (*Calamus enim ſex cubitos habet*) exhibent 88200. cubitos. Hi rurſus in pedes reſoluti, exhibent 154350. pedes. Ex his paſſus componuntur, 30870. qui faciunt milliaria tria cum tribus quadrantibus & paſſibus inſuper 870. *Secundum igitur* hanc commentationem Calamorum, à proximo ambitu Civitatis, ad proximum ambitum Templi eunti & redeunti, conficienda eſſent ſeptem milliaria Germanica, cum dimidio & amplius. *Maius* autem ſpatium eſſe, vel ex medio, vel altera extremitate Civitatis, in Atria Templi, cuivis eſt manifeſtum. *Quæ omnia*, noſtrum puto calculum, de cubitis, quem ex ipſo Hebræo textu deducimus, non parùm reddunt illuſtriorem. Nam & Civitatem iuſtæ magnitudinis, & intervallum Civitatis ad Templum tolerabile exhibet. Calamorum autem calculus, omnia reddit ſextuplo maiora.

MEDITATIONES SPIRITVALES.

EX *hiſce iam* ad *meditationes* noſtras ſpirituales redeamus. Quarum prima eſt de *differentia ſtatuum in Eccleſia Chriſtiana.* Quanquam enim *Templum* Domini in vtilitatem & commodum civium extructum eſt, benè magno tamen intervallo, ipſum illud *à Civitate* remotum eſſe, noſter calculus edocuit: à Civitate namq; ad Templum pergenti *Horæ & Quadrantis* ſpatium emetiendum eſt. Addo quod ipſa tria illa ſpatia, Quadrati ſancti, portio nimirùm Sacerdotum, portio Levitarum, & communitas Civitatis, diligentiſſimè inter ſeſe diſtincta ſunt. Quæ res hanc meditationem nobis ſuppeditat. *Quanquam Eccleſia* Chriſtiana, cum omnibus ſuis civibus & membris, vnica eſt, ſuis tamen officijs atq; muneribus diſtincti ſunt: quibus alij Eccleſiaſticis, politicis alij defunguntur. *Sicut enim* omnia iſthæc Dominus conſervata vult, ſic eadem nulla ratione vult confundi. *Sacerdotes* & miniſtri ſuo in Cathedra & Templo fungantur officio: *Magiſtratus* & *patres familiâs* in curia & ædibus privatis. Mutuas quidem operas tradant neceſſe eſt, vt tamen inter ſeſe confundantur, aut alij alijs impedimento ſint, diligenti cautione opus eſt. Quæ *meditatio* & Eccleſia-

I. Status Eccleſiaſtici & politici diſtincti ſunt.

ſticis & politicis vtiles vivendi Regulas ſuppeditat. Sunt enim, qui Eccleſiaſti- *Eccleſiæ miniſtri rebus ſacris vacent.* cis functionibus deputati, orationibus vacare, ſtudijs ſacrarum literarum invigilare, concionibus meditandis incumbere, tùm vniverſæ Eccleſiæ, tùm ſa- *Iohan. 5. 39.* luti ſingulorum curandæ, toti dediti eſſe debebant, ſecundum illud *Salvatoris*: Scrutamini ſcripturas: quod ſcripturarum interpretibus, & verbi miniſtris, cumprimis dictum eſt: Et illud *Pauli: Lectioni intende, Exhortationi & doctrinæ*, *1. Timoth. 4. 13.* 1. Timoth. 4. 13. Ipſius eiuſdem commendatiſſimo *Exemplo*, qui Auditores ſuos *Act. 20. 18.* in teſtimonium vocans, de diligentia ſua hiſce verbis teſtatur: *Vos ſcitis à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino, cum omni humilitate, & multis lacrymis, &c. Quomodo nihil ſubterfugerim vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos*, &c. Act. 20. *Matth. 14. 23.* 18. Hoc Exemplum, cumprimis autem *Salvatoris* noſtri, qui totas noctes in orationibus perſeveravit, omnes veri Sacerdotes, ſynceriq; & fideles verbi miniſtri imitari debebant, ita ſuis muneribus invigilando, vt in media auditorum turba verſantes, vnâ cum *Templo* Domini, iuſto quaſi intervallo, ab omni humana converſatione diſiuncti viverent: ſuis demandatis muneribus invigilando, cætera mundanis relinquendo. Hæc nimirùm eſſent ſanctiſſima ſpatia, inter Templum & Civitatem. Sed proh dolor multi ſunt Sacerdotes, qui relicto *Templo*, maximam vitæ partem in *Civitate* tranſigunt, hoc eſt, minimam curarum partem rebus Eccleſiaſticis, *ſtudijs* nimirùm *orationibus* & *concionibus* tribuunt, in rebus domeſticis & privatis vel delectationis, vel commodi causâ plurimùm occupati, ſufficere arbitrantes, ſi diebus Dominicis & Feſtis, ex poſtillatore aliquo, concionem aliquam recitent: aut ſua, quæcunq; in buccam venerint, populo effundant. Tales nimirùm de diſpoſitione vrbis & Templi noſtri Prophetici nihil intelligunt. *Separatum eſt Templum ab vrbe*, iuſto intervallo: ſeparatim habitant Sacerdotes, Templo invigilantes: ſeparata ſint ſtudia & occupationes Vrbanæ ſeu politicæ & Eccleſiaſticæ, politici illis, hiſce Sa- *Politici leges & diſpoſitionem Templi non evertant.* cerdotes & Miniſtri defungantur. *Inſtruxit hactenus* præſens meditatio perſonas Eccleſiaſticas: attendamus modò, cuius admonere poſſit homines *politicos*. Interiecto medio intervallo, diſtincta ſunt Templum & Civitas ſancta: non ideò, vt nullus ad Templum civibus aditus pateat. In hunc namque finem extructum eſt Templum, vt adminiſtrantibus Sacerdotibus, cives omnem ibi cultum divinum exerceant. Sed ideò diſtincta ſunt, vt cives, cultus & Religionis causâ ad Templum accedant, Sacerdotes, ſecundum præceptiones Dominicas, eorundem ſacrificia, & reliqua pietatis ſtudia, ſecundum legem divi- *Ezech. cap. 45. 46.* nam (quam in Ezechiele noſtro, inter conſtitutiones Templi Eccleſiaſticas, diligentiſſimè explicatas vidimus) promoveant. Leges igitur, & *Leges* quidem *divinas accipiant in Templo Domini*, politici homines non ferant: *audiant, attendant, diſcant*, & *obſequantur* ijs, quæ ex ore Domini acceperint, non præcipiant, quæ ipſis placita videbuntur. Sacerdotibus commiſſum eſt, vt ſecundum leges divinas cultus divinos perficiant: Hoc vt ſyncerè & religioſè fiat, omnibus attendendum: in cæteris, quæcunque Dominus per os Sacerdotis præceperit, omnibus Religioſè eſt obtemperandum. *Quæ meditatio* illos erudire debet, qui Pſeudopolitices nimiùm perverſè ſtudioſi, *Sacerdotibus leges figere* annituntur, quibus ritibus illi, quibus etiam donis & muneribus, ſacrificare Domino debeant, hoc eſt, leges & interdicta proponunt, quibus vel ſceleribus taxandis parcant Eccleſiæ miniſtri, vel erroribus atque hæreſibus non confutandis ſileant, idq; propter vtilitatem aliquam aut pacem externam, quam Pſeudopolitici illi omnibus humanis, omnibus divinis rebus anteponendam putant. Sed hoc eſt Templum Domini in mediam vrbem transferre, imò verò, hoc eſt vrbem ipſi Templo Domini mediam inferre, & ſic inferre, vt huic & *Altare* Holocauſtorum & *menſa* propoſitionis, & *candelabra* aurea, & in ipſo ſancto ſanctorum, ipſa *arca Domini & reliqua omnia ſacrata vaſa*, concedere cogatur.

Quæ

Digitized by Google

Quæ,qualis,& quanta hæc ſit, in Templo Domini *temeritas*, nos neque
verbis graviter ſatis explicare poſſumus, nec illi, niſi pœnitentiam egerint,
vtilibus olim lacrymis deplorabunt. Et *Templo & civitati* Domini ſua po-
meria ſunt, ſua vtrique jura, ſua privilegia vtrique: Illis vtrumque corpus
vivat, & vigeat, neutrum neutri ſit nocumento.

Secunda meditatio, quam ex diſpoſitione ſituque vrbis & Templi ſuſci- II.
pimus, commendat *congregationes & cultus publicos. Quanquam* enim cuiuſvis *Conventus & cul-*
hominis Chriſtiani, privata domus privata Eccleſia eſſe debet, & reipſa eſt, in *tus publici pretioſè*
qua verbum Domini, & devotę preces, tàm Iuniorum, quàm ſeniorum co- *habendi.*
pioſè habitant. Inde Paulus ſalutat Eccleſiam domeſticam Priſcillæ & Aquilę,
Rom. 16.3. & 1. Cor. 16.19. & Eccleſiam Nymphæ, Coloſſ. 4.15. *Nihilominus* ta-
men Dominus, publicos congreſſus & conventus haberi vult, vbi in *publicâ*
ſolennitate ſacra publica perſolvantur. Licet enim omnium & ſingulorum preces,
acceptet & audiat Dominus, totius tamen Eccleſiæ coniunctis ſupplicationi-
bus, amplius etiam delectatur. Eam ob cauſam *David* Propheta & Rex, in
Pſalmis ſuis, publicos conventus, & ſæpiſſimè & copioſiſſimè commendat: v-
num & alterum locum accipite, Pſal. 5.8. *In multitudine miſericordiæ tuæ introibo*
in domum tuam, adorabo in templo ſancto tuo, in timore tuo. Et Pſalm. 27. 8. *Domine*
diligo habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et proximo Pſ. 26.4.
Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus
vitæ meæ. Item Pſal. 82.2. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum: con-*
cupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Hæc Pſaltes Regius, qui & ipſe Domi
ſuæ legem Domini, *dies & noctes* diligenter meditatus eſt: cui & ſtudio *invigi-*
lantem, non tantùm in primo Pſalmo beatum prædicat, ſed per nobiliſſimum
& præſtantiſſimum illum Pſal m. 119. v. 176. legem ſeu verbum Domini ele-
gantiſſimè celebrat: verùm etiam, qui ipſe tot præſtantiſſimos Pſalmos *compo-* 2. *Sam.* 23. 1.
ſuit, vir, qui ſuavis in Pſalmis, per quem ſpiritus Domini loquutus eſt, & cuius ſermo, per
linguam eius. Hic, inquam, tantus & tàm celebris Propheta, tanto ſtudio atque
deſiderio concupiſcit tabernacula Domini: quid nos non deſiderabimus? qui
nec Prophetiæ ſpiritu, nec ardore legis divinæ, cum Regio Pſalte ſumus com-
parandi? *Redarguit* hæc meditatio illos, qui levioribus de cauſis, conciones &
cultus publicos negligunt, ſatis ad pietatem eſſe rati, ſi domi ſuæ ſacros vol-
vant codices, & ſuas Deo fundant preces. Habitare debet lex Domini in ci-
vitate ſancta, & in omnium Chriſtianorum ædibus abundanter: ſed *Templum*
Domini, publicis cultibus *Auguſtum* eſſe debet. Gravius autem illos redarguit,
hæc meditatio, qui non leviter tantùm negligunt, ſed leviter *contemnunt* con-
ventus & cultus publicos, cuius contemptus graviſſimas olim Deo, qui no-
ſtræ ſalutis gratiâ tantâ curâ ce itu... in Templo ſuo verbum annunciari cu-
rat, reddituri ſunt rationes.

Tertia meditatio. Contue...es ſitum vrbis & Templi, iuſtum videmus in- III.
teriectum *intervallum.* Na... ...er *ſuburbium civitatis*, & extremum *ambitum Tē-* *Rebus ſacris va-*
pli, exhibuit calculus noſter, ...ſus *quinquies mille centum & quadraginta quinque.* *cantes, omnibus*
5 45. Qui faciunt leucam v... ...n, cum quadrante, & amplius ſtadium atq; paſ- *terrenis abjuncto:*
ſus viginti. *A rebus ... domeſticis, avocatum eſſe animum oportet*, ſi in templo
Domini cultibus divinis ritè vacare velis. Recede igitur è domo tua, recede ex
vrbe patria tua, & non tàm *corpore*, quàm *animo atq; ſpiritu tuo* in domini templū
concede, atq; ita concede, vt iuſto intervallo, cum Deo tractaturus, *terrena* oīa
relinquas. *Deus namq; ſpiritus eſt, in ſpiritu vult, & veritate coli.* Eos confundit hæc *Ioh.* 22. 4. 24.
contēplatio, qui cùm conventus publicos viſitant, corpore præſentes aſſidēt,
animis longinquis ſpatijs peregrinantur: vel iiſdem ſanè præſentes, oēs res do-
meſticas ſuas, totos agros & vineas ſuas, oīa latifundia ſua, ſecum in templo ha-
bent, colunt, verſantq; : eoq; hanc diſpoſitionē Domini, quia inter vrbem &
Templum intercapedinē eſſe voluit, mirùm perturbant. Sed o *Homines ſtultos*,
qui καρδιογνώστην peregrinātia iſthæc corda, nō dijudicaturū eſſe ſtultè *ſomniāt*.

Digitized by Google

ſticis & politicis vtiles vivendi Regulas ſuppeditat. Sunt enim, qui Eccleſiaſticis functionibus deputati, orationibus vacare, ſtudijs ſacrarum literarum invigilare, concionibus meditandis incumbere, tùm vniverſæ Eccleſiæ, tùm ſaluti ſingulorum curandæ, toti dediti eſſe debebant, ſecundum illud *Salvatoris*: Scrutamini ſcripturas: quod ſcripturarum interpretibus, & verbi miniſtris, cumprimis dictum eſt: Et illud *Pauli: Lectioni intende, Exhortationi & doctrinæ,* 1. Timoth. 4. 13. Ipſius eiuſdem commendatiſſimo *Exemplo*, qui Auditores ſuos in teſtimonium vocans, de diligentia ſua hiſce verbis teſtatur: *Vos ſcitis à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino, cum omni humilitate, & multis lacrymis, &c. Quomodo nihil ſubterfugerim vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos*, &c. Act. 20. 18. Hoc Exemplum, cumprimis autem *Salvatoris* noſtri, qui totas noctes in orationibus perſeveravit, omnes veri Sacerdotes, ſynceriq; & fideles verbi miniſtri imitari debebant, ita ſuis muneribus invigilando, vt in media auditorum turba verſantes, vnâ cum *Templo* Domini, iuſto quaſi intervallo, ab omni humana converſatione diſiuncti viverent: ſuis demandatis muneribus invigilando, cætera mundanis relinquendo. Hæc nimirùm eſſent ſanctiſſima ſpatia, inter Templum & Civitatem. Sed proh dolor multi ſunt Sacerdotes, qui relicto *Templo*, maximam vitæ partem in *Civitate* tranſigunt, hoc eſt, minimam curarum partem rebus Eccleſiaſticis, *ſtudijs* nimirùm *orationibus & concionibus* tribuunt, in rebus domeſticis & privatis vel delectationis, vel commodi cauſâ plurimùm occupati, ſufficere arbitrantes, ſi diebus Dominicis & Feſtis, ex poſtillatore aliquo, concionem aliquam recitent: aut ſua, quæcunq; in buccam venerint, populo effundant. Tales nimirùm de diſpoſitione vrbis & Templi noſtri Prophetici nihil intelligunt. *Separatum eſt Templum ab vrbe*, iuſto intervallo: ſeparatim habitant Sacerdotes, Templo invigilantes: ſeparata ſint ſtudia & occupationes Vrbanæ ſeu politicæ & Eccleſiaſticæ, politici illis, hiſce Sacerdotes & Miniſtri defungantur. *Inſtruxit hactenus* præſens meditatio perſonas Eccleſiaſticas: attendamus modò, cuius admonere poſſit homines *politicos*. Interiecto medio intervallo, diſtincta ſunt Templum & Civitas ſancta: non ideò, vt nullus ad Templum civibus aditus pateat. In hunc namque finem extructum eſt Templum, vt adminiſtrantibus Sacerdotibus, cives omnem ibi cultum divinum exerceant. Sed ideò diſtincta ſunt, vt cives, cultus & Religionis cauſâ ad Templum accedant, Sacerdotes, ſecundum præceptiones Dominicas, eorundem ſacrificia, & reliqua pietatis ſtudia, ſecundum legem divinam (quam in Ezechiele noſtro, inter conſtitutiones Templi Eccleſiaſticas, diligentiſſimè explicatas vidimus) promoveant. Leges igitur, & *Leges* quidem *divinas accipiant in Templo Domini*, politici homines non ferant: *audiant, attendant, diſcant, & obſequantur* ijs, quæ ex ore Domini acceperint, non præcipiant, quæ ipſis placita videbuntur. Sacerdotibus commiſſum eſt, vt ſecundum leges divinas cultus divinos perficiant: Hoc vt ſyncerè & religioſè fiat, omnibus attendendum: in cæteris, quæcunque Dominus per os Sacerdotis præceperit, omnibus Religioſè eſt obtemperandum. *Quæ meditatio* illos erudire debet, qui Pſeudopolitices nimiùm perverſè ſtudioſi, *Sacerdotibus leges figere* annituntur, quibus ritibus illi, quibus etiam donis & muneribus, ſacrificare Domino debeant, hoc eſt, leges & interdicta proponunt, quibus vel ſceleribus taxandis parcant Eccleſiæ miniſtri, vel erroribus atque hæreſibus non confutandis ſileant, idq; propter vtilitatem aliquam aut pacem externam, quam Pſeudopolitici illi omnibus humanis, omnibus divinis rebus anteponendam putant. Sed hoc eſt Templum Domini in mediam vrbem transferre, imò verò, hoc eſt vrbem ipſi Templo Domini mediam inferre, & ſic inferre, vt huic & *Altare* Holocauſtorum & *menſa* propoſitionis, & *candelabra* aurea, & in ipſo ſancto ſanctorum, ipſa *arca Domini & reliqua omnia ſacrata vaſa*, concedere cogatur.

Eccleſiæ miniſtri rebus ſacris vacent.

Iohan. 5. 39.

1. Timoth. 4. 13.

Actor. 20. 18.

Matth. 14. 23.

Politici leges & diſpoſitionem Templi non evertant.

Ezech. cap. 45. 46.

Quæ

Quæ, qualis, & quanta hæc ſit, in Templo Domini *temeritas*, nos neque verbis graviter ſatis explicare poſſumus, nec illi, niſi pœnitentiam egerint, vtilibus olim lacrymis deplorabunt. Et *Templo & civitati* Domini ſua pomeria ſunt, ſua vtrique jura, ſua privilegia vtrique: Illis vtrumque corpus vivat, & vigeat, neutrum neutri ſit nocumento.

Secunda meditatio, quam ex diſpoſitione ſituque vrbis & Templi ſuſcipimus, commendat *congregationes & cultus publicos. Quanquam* enim cuiuſvis hominis Chriſtiani, privata domus privata Eccleſia eſſe debet, & reipſâ eſt, in qua verbum Domini, & devotę preces, tàm Iuniorum, quàm ſeniorum copiosè habitant. Inde Paulus ſalutat Eccleſiam domeſticam Priſcillæ & Aquilę, Rom. 16. 3. & 1. Cor. 16. 19. & Eccleſiam Nymphæ, Coloſſ. 4. 15. *Nihilominus* tamen Dominus, publicos congreſſus & conventus haberi vult, vbi in *publicâ ſolennitate ſacra publica perſolvantur*. Licet enim omnium & ſingulorum preces, acceptet & audiat Dominus, totius tamen Eccleſiæ coniunctis ſupplicationibus, amplius etiam delectatur. Eam ob cauſam *David* Propheta & Rex, in Pſalmis ſuis, publicos conventus, & ſæpiſſimè & copioſiſſimè commendat: vnum & alterum locum accipite, Pſal. 5. 8. *In multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo in templo ſancto tuo, in timore tuo.* Et Pſalm. 27. 8. *Domine diligo habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et proximo Pſ. 26. 4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Item Pſal. 82. 2. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Hæc Pſaltes Regius, qui & ipſe Domi ſuæ legem Domini, *dies & noctes* diligenter meditatus eſt: cui ēt ſtudio *invigilantem*, non tantùm in primo Pſalmo beatum prædicat, ſed per nobiliſſimum & præſtantiſſimum illum Pſal. n. 119. v. 176. legem ſeu verbum Domini eleganti ſſimè celebrat: verùm etiam, qui ipſe tot præſtantiſſimos Pſalmos *compoſuit, vir, qui ſuavis in Pſalmis, per quem ſpiritus Domini loquutus eſt, & cuius ſermo, per linguam eius.* Hic, inquam, tantus & tàm celebris Propheta, tanto ſtudio atque deſiderio concupiſcit tabernacula Domini: quid nos non deſiderabimus? qui nec Prophetiæ ſpiritu, nec ardore legis divinæ, cum Regio Pſalte ſumus comparandi? *Redarguit* hæc meditatio illos, qui levioribus de cauſis, conciones & cultus publicos negligunt, ſatis ad pietatem eſſe rati, ſi domi ſuæ ſacros volvant codices, & ſuas Deo fundant preces. Habitare debet lex Domini in civitate ſancta, & in omnium Chriſtianorum ædibus abundanter: ſed *Templum Domini*, publicis cultibus *Auguſtum* eſſe debet. Gravius autem illos redarguit, hæc meditatio, qui non leviter tantùm negligunt, ſed leviter *contemnunt* conventus & cultus publicos, cuius contemptus graviſſimas olim Deo, qui noſtræ ſalutis gratiâ tantâ curâ c[illegible] in Templo ſuo verbum annunciari curat, reddituri ſunt rationes.

Tertia meditatio. Contuentes ſitum vrbis & Templi, iuſtum videmus interiectum *intervallum*. Na[illegible] er *ſuburbium civitatis*, & extremum *ambitum Tēpli*, exhibuit calculus noſter, [illegible]ſus *quinquies mille centum & quadraginta quinque*. 5[illegible]45. Qui faciunt leucam v[illegible]n, cum quadrante, & amplius ſtadium atq; paſſus viginti. *A rebus mi[illegible] domeſticis, avocatum eſſe animum oportet*, ſi in templo Domini cultibus divinis ritè vacare velis. Recede igitur è domo tua, recede ex vrbe patria tua, & non tàm *corpore*, quàm *animo atq; ſpiritu tuo* in domini templū concede, atq; ita concede, vt iuſto intervallo, cum Deo tractaturus, *terrena* oīa relinquas. *Deus namq; ſpiritus eſt, in ſpiritu vult, & veritate coli.* Eos confundit hæc contēplatio, qui cùm conventus publicos viſitant, corpore præſentes aſſidēt, *animis* longinquis ſpatijs peregrinantur: vel iiſdem ſanè præſentes, oēs res domeſticas ſuas, totos agros & vineas ſuas, oīa latifundia ſua, ſecum in templo habent, colunt, verſantq;: eoq; hanc diſpoſitionē Domini, quia inter vrbem & Templum intercapedinē eſſe voluit, mirùm perturbant. Sed o *Homines ſtulti*, qui *καρδιογνώστην* peregrinātia iſthæc corda, nō dijudicaturu eſſe ſtultè *ſomniāt*.

II. Conventus & cultus publici proviſò habendi.

2. Sam. 23. 1.

III. Rebus ſacris vacantes, omnibus terrenis abjunctis.

Ioh. cap. 4. 24.

Digitized by Google

ſticis & politicis vtiles vivendi Regulas ſuppeditat. Sunt enim, qui Eccleſiaſticis functionibus deputati, orationibus vacare, ſtudijs ſacrarum literarum invigilare, concionibus meditandis incumbere, tùm vniverſæ Eccleſiæ, tùm ſaluti ſingulorum curandæ, toti dediti eſſe debebant, ſecundum illud *Salvatoris*: Scrutamini ſcripturas: quod ſcripturarum interpretibus, & verbi miniſtris, cumprimis dictum eſt: Et illud *Pauli*: *Lectioni intende, Exhortationi & doctrinæ*, 1.Timoth.4.13. Ipſius eiuſdem commendatiſſimo *Exemplo*, qui Auditores ſuos in teſtimonium vocans, de diligentia ſua hiſce verbis teſtatur: *Vos ſcitis à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino, cum omni humilitate, & multis lacrymis, &c. Quomodo nihil ſubterfugerim vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos*, &c. Act.20.18. Hoc Exemplum, cumprimis autem *Salvatoris* noſtri, qui totas noctes in orationibus perſeveravit, omnes veri Sacerdotes, ſynceriq; & fideles verbi miniſtri imitari debebant, ita ſuis muneribus invigilando, vt in media auditorum turba verſantes, vnâ cum *Templo* Domini, iuſto quaſi intervallo, ab omni humana converſatione diſiuncti viverent: ſuis demandatis muneribus invigilando, cætera mundanis relinquendo. Hæc nimirùm eſſent ſanctiſſima ſpatia, inter Templum & Civitatem. Sed proh dolor multi ſunt Sacerdotes, qui relicto *Templo*, maximam vitæ partem in *Civitate* tranſigunt, hoc eſt, minimam curarum partem rebus Eccleſiaſticis, *ſtudijs* nimirùm *orationibus* & *concionibus* tribuunt, in rebus domeſticis & privatis vel delectationis, vel commodi cauſâ plurimùm occupati, ſufficere arbitrantes, ſi diebus Dominicis & Feſtis, ex poſtillatore aliquo, concionem aliquam recitent: aut ſua, quæcunq; in buccam venerint, populo effundant. Tales nimirùm de diſpoſitione vrbis & Templi noſtri Prophetici nihil intelligunt. *Separatum eſt Templum ab vrbe*, iuſto intervallo: ſeparatim habitant Sacerdotes, Templo invigilantes: ſeparata ſint ſtudia & occupationes Vrbanæ ſeu politicæ & Eccleſiaſticæ, politici illis, hiſce Sacerdotes & Miniſtri defungantur. *Inſtruxit hactenus* præſens meditatio perſonas Eccleſiaſticas: attendamus modò, cuius admonere poſſit homines *politicos*. Interiecto medio intervallo, diſtincta ſunt Templum & Civitas ſancta: non ideò, vt nullus ad Templum civibus aditus pateat. In hunc namque finem extructum eſt Templum, vt adminiſtrantibus Sacerdotibus, cives omnem ibi cultum divinum exerceant. Sed ideò diſtincta ſunt, vt cives, cultus & Religionis cauſâ ad Templum accedant, Sacerdotes, ſecundum præceptiones Dominicas, eorundem ſacrificia, & reliqua pietatis ſtudia, ſecundum legem divinam (quam in Ezechiele noſtro, inter conſtitutiones Templi Eccleſiaſticas, diligentiſſimè explicatas vidimus) promoveant. Leges igitur, & *Leges* quidem *divinas accipiant in Templo Domini*, politici homines non ferant: *audiant, attendant, diſcant, & obſequantur* ijs, quæ ex ore Domini acceperint, non præcipiant, quæ ipſis placita videbuntur. Sacerdotibus commiſſum eſt, vt ſecundum leges divinas cultus divinos perficiant: Hoc vt ſynceré & religioſè fiat, omnibus attendendum: in cæteris, quæcunque Dominus per os Sacerdotis præceperit, omnibus Religioſè eſt obtemperandum. *Quæ meditatio* illos erudire debet, qui Pſeudopolitices nimiùm perverſè ſtudioſi, *Sacerdotibus leges figere* annituntur, quibus ritibus illi, quibus etiam donis & muneribus, ſacrificare Domino debeant, hoc eſt, leges & interdicta proponunt, quibus vel ſceleribus taxandis parcant Eccleſiæ miniſtri, vel erroribus atque hæreſibus non confutandis ſileant, idq; propter vtilitatem aliquam aut pacem externam, quam Pſeudopolitici illi omnibus humanis, omnibus divinis rebus anteponendam putant. Sed hoc eſt Templum Domini in mediam vrbem transferre, imò verò, hoc eſt vrbem ipſi Templo Domini mediam inferre, & ſic inferre, vt huic & *Altare* Holocauſtorum & *menſa* propoſitionis, & *candelabra* aurea, & in ipſo ſancto ſanctorum, ipſa *arca Domini & reliqua omnia ſacrata vaſa*, concedere cogatur.

Eccleſiæ miniſtri rebus ſacris vacent.

Iohan.5.39.

1.Timoth.4.13.

Actor.20.18.

Matth.14.23.

Politici leges & diſpoſitionem Templi non evertant.

Ezech.cap.45.46.

Quæ

Quæ, qualis, & quanta hæc ſit, in Templo Domini *temeritas*, nos neque verbis graviter ſatis explicare poſſumus, nec illi, niſi pœnitentiam egerint, vtilibus olim lacrymis deplorabunt. Et *Templo & civitati* Domini ſua pomeria ſunt, ſua vtrique jura, ſua privilegia vtrique: Illis vtrumque corpus vivat, & vigeat, neutrum neutri ſit nocumento.

Secunda meditatio, quam ex diſpoſitione ſituque vrbis & Templi ſuſcipimus, commendat *congregationes & cultus publicos*. *Quanquam* enim cuiuſvis hominis Chriſtiani, privata domus privata Eccleſia eſſe debet, & reipſa eſt, in qua verbum Domini, & devotę preces, tàm Iuniorum, quàm ſeniorum copioſè habitant. Inde Paulus ſalutat Eccleſiam domeſticam Priſcillæ & Aquilę, Rom. 16.3. & 1. Cor. 16.19. & Eccleſiam Nymphæ, Coloſſ. 4.15. *Nihilominus* tamen Dominus, publicos congreſſus & conventus haberi vult, vbi in *publicâ ſolennitate ſacra publica perſolvantur*. Licet enim omnium & ſingulorum preces, acceptet & audiat Dominus, totius tamen Eccleſiæ coniunctis ſupplicationibus, amplius etiam delectatur. Eam ob cauſam *David* Propheta & Rex, in Pſalmis ſuis, publicos conventus, & ſæpiſſimè & copioſiſſimè commendat: vnum & alterum locum accipite, Pſal. 5.8. *In multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo in templo ſancto tuo, in timore tuo.* Et Pſalm. 27. 8. *Domine diligo habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et proximo Pſ. 26.4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Item Pſal. 82.2. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Hæc Pſaltes Regius, qui & ipſe Domi ſuæ legem Domini, *dies & noctes* diligenter meditatus eſt: cui et ſtudio *invigilantem*, non tantùm in primo Pſalmo beatum prædicat, ſed per nobiliſſimum & præſtantiſſimum illum Pſalm. 119. v. 176. legem ſeu verbum Domini eleganti ſſimè celebrat: verùm etiam, qui ipſe tot præſtantiſſimos Pſalmos *compoſuit, vir, qui ſuavis in Pſalmis, per quem ſpiritus Domini loquutus eſt, & cuius ſermo, per linguam eius.* Hic, inquam, tantus & tàm celebris Propheta, tanto ſtudio atque deſiderio concupiſcit tabernacula Domini: quid nos non deſiderabimus? qui nec Prophetiæ ſpiritu, nec ardore legis divinæ, cum Regio Pſalte ſumus comparandi? *Redarguit* hæc meditatio illos, qui levioribus de cauſis, conciones & cultus publicos negligunt, ſatis ad pietatem eſſe rati, ſi domi ſuæ ſacros volvant codices, & ſuas Deo fundant preces. Habitare debet lex Domini in civitate ſancta, & in omnium Chriſtianorum ædibus abundanter: ſed *Templum Domini*, publicis cultibus *Auguſtum* eſſe debet. Gravius autem illos redarguit, hæc meditatio, qui non leviter tantùm negligunt, ſed leviter *contemnunt* conventus & cultus publicos, cuius contemptus graviſſimas olim Deo, qui noſtræ ſalutis gratiâ tantâ curâ ... in Templo ſuo verbum annunciari curat, redditurí ſunt rationes.

Tertia meditatio. Contuentes ſitum vrbis & Templi, iuſtum videmus interiectum *intervallum*. Na... ... er *ſuburbium civitatis*, & extremum *ambitum Tẽpli*, exhibuit calculus noſter ... ſus *quinquies mille centum & quadraginta quinque.* 5145. Qui faciunt leucam v... n, cum quadrante, & amplius ſtadium atq; paſſus viginti. *A rebus ... domeſticis, avocatum eſſe animum oportet*, ſi in templo Domini cultibus divinis ritè vacare velis. Recede igitur è domo tua, recede ex vrbe patria tua, & non tàm *corpore*, quàm *animo atq; ſpiritu tuo* in domini templũ concede, atq; ita concede, vt iuſto intervallo, cum Deo tractaturus, *terrena* oĩa relinquas. *Deus namq; ſpiritus eſt, in ſpiritu vult, & veritate coli.* Eos confundit hæc contẽplatio, qui cùm conventus publicos viſitant, corpore præſentes aſſidẽt, *animis* longinquis ſpatijs peregrinantur: vel ijſdem ſanè præſentes, oẽs res domeſticas ſuas, totos agros & vineas ſuas, oĩa latifundia ſua, ſecum in templo habent, colunt, verſantq;: eoq; hanc diſpoſitionẽ Domini, quia inter vrbem & Templum intercapedinẽ eſſe voluit, mirùm perturbant. Sed o *Homines ſtulti*, qui καρδιογνώστην peregrinãtia iſthæc corda, nõ dijudicaturu eſſe ſtultè *ſomniãt.*

II. *Conventus & cultus publici præcipuè habendi.*

2. Sam. 23. 2.

III. *Rebus ſacris vacantes, omnibus terrenis abjunctos.*

Ioh. 4. 24.

Digitized by Google

III.

DE CIVITATE ſancta.

Accedimus *divinæ benignitatis gratiâ*, ad contemplationem Civitatis ſanctæ, quæ vnâ cum Templo in Quadrato ſancto (diverſis quanquam locis) extructa eſt. Hoc enim in medio portionis *Sacerdotũ*, illa verò in medio *communionis Civitatis* conſpicitur, *interiectâ*, inter portionem Sacerdotum & communionem Civitatis, *poſſeſſione Levitarum*. Hæc enim eſt diſtributio *quadrati ſancti*. Cùm igitur vtraque ſtructura, tàm *Civitatis* quàm *Templi* in *quadrato ſancto* ſurgat, atque ex præmiſſis generaliter quidem conſtet, Civitatem ſanè, benè iuſto intervallo, inde à Templo (quod in Septentrionem vergit) meridiem verſus recedere, intervallum tamen iſtud, nondum nobis *definitum* eſt. Ea propter definitionem hanc, in principio huius contemplationis *primam* inveſtigabimus. Licet enim de *Calamis* & *cubitis*, alijsque menſuris in ſuperioribus, de *intervallis* tamen *maioribus*, quæ huic quæſtioni enodandæ accommodata ſunt, nihil dum perfectè explicatum eſt. Ad dimetiendum igitur quadratum ſanctum, nec non *diſtantiam* Civitatis à Templo inveſtigandum, de ſpatiorum menſuris, contemplabimur.

DE MENSVRIS SPAtiorum.

Cubitus communis, ſeſquipes.

Propheticus pes, & novem vnciæ.

Principiò, quia Propheta noſter omnia διαστήματα per Calamos & cubitos dimenſus eſt, de ijs in ſuperioribus iam abundè ſatis eſt dictum. Cubitum nimirum habere pedem vnum & dimidium: Et ſanè cubitum Prophetæ noſtri eſſe palmi-cubitum, hoc eſt, quemlibet cubitum conſtare cubito communi & palmo, hoc eſt, pede vno, & tribus palmis ſeu digitis duodecim in vniverſum digitis XXVIII. ſive pede vno & vncijs novem.

Calamus Propheticus.

Diximus etiam, *Calamum* conſtare cubitis ſex, ſed palmi-cubitis, quorum ſinguli cubitum communem (ſeu ſeſquipedem) palmo ſuperat. Calamum igitur Propheticum pedes habere *decem cum dimidio*. Iam, quæ ad ſpatiorum dimenſionem amplius pertinent, adijcimus, vt cum Hebræis cubitis atque calamis comparata, lucem rebus offerant maiorem.

Ratio menſurandi diverſa.

Diverſimodè autem Græci & Romani, & aliter veteres, aliter hodierni ſpatia metiuntur. *Græci* per ſtadia, certo pedum numero, computata. *Romani* per milliaria, quibus à mille paſſibus nomen eſt.

Differentia inter pedes Græcos & Romanos. Pedes Græci 24. faciunt Romanos 25.

Pes Romanus, vncias habet XII. ſeu digitos XVI. Sed *pes Græcus*, ſemunciâ, Romano maior eſt, hoc eſt, parte viceſima quarta. Columella libr. 5. cap. 1. *Modus omnis areæ pedali menſura comprehenditur, qui digitorum eſt* XVI. *Pes multiplicatus in paſſus, & actus, & climata & iugera, & ſtadia, centuriasq; mox etiam in maiora ſpatia procedit.* Non de omnibus hiſce, ſed de paſſibus duntaxat & ſtadijs in præſentia.

Paſſus quid?

Paſſus (qui ex paſſis, hoc eſt, deductis manibus nomen habet) quinq; pedes habet. Sic Columella dicto loco: *paſſus pedes habet quinq;.*

Stadium quid?

Stadium paſſus habet centum viginti quinque. Columella dicto loco. Et Plinius libro 2. capite 23. ita habet: *Stadium, centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinq;*. Hæc ille. *Græcum Stadium* paſſus habet tantùm C. ſeu *pedes tantum* DC. Græcos.

Milliare,

Digitized by Google

Milliare, quod nomen à mille paſſibus habet, *octo ſtadia* continet. Sic enim Columella, lib. 5. cap. 1. *Stadium deinde habet paſſus* CXXV. *hoc eſt, pedes* DCXXV. quæ octies multiplicata, efficit mille paſſus. Sic veniunt (in milliare ſcilicet) quinq; millia pedum. Sed hæc *milliaria Romana* ſunt, non *Germanica*, quæ hodiè in duarum horarum itinera vulgò computantur, quo temporis ſpatio plura Romana emetiri licet, quot autem, ex ſequentibus patebit.

Milliare quid?

Milliariorum differentia.

Leuca eſt iter vnius Horæ: adeoq; dimidium milliaris Germanici: Duæ ergò Leucæ vni Germanico reſpondebunt milliari.

Leuca quid?

De hac re ſequentes verſus leguntur apud *Nicolaum de Lyra*, in Ezechiel. cap. 48.

Quinq; pedes paſſum faciunt: paſſus quoq; centum
Viginti quinq;, ſtadium: Si vis miliare
Octo dabis ſtadia: Duplicatum ſit tibi Leuca.

De eodem Argumento elegantem locum habet *Iuſtus Lipſius*, in Epiſtolica inſtitutione, Centur. 3. Epiſtola 59. qui locus inter cætera ita habet, ad Nicolaum Micaultium.

Iuſtus Lipſius de ſpatiis.

Græci per ſtadia ferè computant: atq; ea etſi alibi alia, tamen communi more & vſu, ſexcentorum pedum hîc ſunto. Pes autem Græcanicus Romano ſemunciâ eſt maior. Romani per milliaria metiuntur, quibus à mille paſſibus eſt nomen. Paſſus autem pedes quinos continet, & pes Romanus, vulgari noſtro, paulo eſt maior. Octo ſtadia, paulò minùs (ita Plutarchus) in milliare vnum imputantur: Etſi Suidas ſeptem cum dimidio diſtinctiùs profert. Nos hodie per Leucas ferè computamus, atque eas horario ſpatio finimus. Nunc quæritur, quot priſca, ſive Romana milliaria in Leucam noſtram veniant? Vulgò tria aſſerunt: nec malè, ſi hodierna Italica aut Romana ſpectamus. Si vetera, vereor vt errent. Antonini Itinerarium, qui inſpicit & comparat, videbit palàm, milliaria illa vinci ab hodiernis. Qui lapidum intervalla, qui hodieq; in veteribus vijs, ſigna milliarium, cum numeris ſuis extant, idem cenſebit. Idem, qui hæc noſtra mox producenda, comparabit. Si enim tria tantùm milliaria, in vnum noſtrum ſumes, ſurgent ſpatia diurna, ab homine confecta, ſupra omnes humanas vires. Sed illud de lapidibus, per ſe mihi firmum eſt, & exſtant cùm alibi hodie, tum in Luſitania, viâ militari ad Emeritam Auguſtam, vbi ſingula milliaria ſingulæ ſuæ columnæ inſcripta diſtinguunt. Qui ſpatium dimenſi ſunt (inter alios, amicus noſter Carolus Cluſius) *certò aſſerunt, quatuor ea venire in vnam Leucam. Hoc igitur ſequemur.* Hæc ibi.

Ex quibus patet, Leucam eſſe ſpacium vnius Horæ, adeoque *dimidium milliaris Germanici*, ita dicti, non quòd *mille* duntaxat paſſus habeat: ſed cùm Romanis mille paſſus, in milliare venirent, ipſum iſthoc nominis, tàm *Leuca*, quàm *Leucæ duplo* remanſit, licet aliquoties mille paſſus contineat.

Leuca ſpatium vnius Horæ.

Patet ſecundò, duas Leucas reſpondere milliari vni germanico: hoc enim ſolemus duarum horarum itinere communiter definire.

Duæ Leucæ milliare germanicum.

Tertiò patet, in vnam Leucam, quatuor milliaria Romana priſca conſpirare. Si qui tria velint de hodiernis Italicis, id ſententiæ intelligendum eſſe.

Vna Leuca quatuor Italica priſca.

Quartò denique *conſequitur*, octo demum milliaria *Italica priſca*, vni reſpondere Germanico, bihorario itinere definito.

Octo priſca Romana, vnum Germanicum.

Et tandem omnibus collatis, manifeſtò patet, quòd ſicut octo ſtadia ſeu *mille paſſus*, milliare Romanum faciunt: ita triginta duo ſtadia, hoc eſt, quater mille paſſus, faciant leucam, & ſexaginta quatuor ſtadia, ſeu paſſus octies mille, æquent milliare germanicum, ſive Leucas duas.

Octo ſtadia, milliare Romanum.

Conſideratâ *proportione temporis*, res ita habet *Leuca*, horario ſpatio conficitur: in Leucam, quatuor milliaria Italica veniunt. Singulis igitur *Ho-*

L 2 *ra Qua-*

Digitized by Google

quo facto, reſidui manent quater mille & ſeptingenti cubiti: his adde latitudinem portionis Levitarum, decies mille nimirùm cubitos, & habes *ſummam interſtitij*, inter Civitatem ſanctam & Templum, cubitos nimirùm *decies quatuor mille ſeptingentos*, 14700. Ex his quæſitum facile eruitur. Cubiti namque 14700. faciunt pedes vicies quinquies mille, ſeptingentos viginti quinque 25725. Quinque pedes paſſum faciunt, dictus igitur pedum numerus, paſſus exhibet, quinquies mille centum quadraginta quinq; 5145. hoc eſt, Leucam vnam, cũ parte quartâ, & aliquid amplius ſtadio. Iter igitur à Civitate ad Templum pergenti, horarium eſt cum quadrante. *Ex ſuperiore enim computatione* manifeſtum eſt, in ſingulos horæ *quadrantes*, paſſus *millenos* imputandos eſſe, cùm bihorij ſpatio (quod octo horarum quadrantes habet) octies mille paſſus conficiantur. *Cuius rei quivis peregrinando* (non lentè ſpatiando) *periculum facere poteſt.*

Iter à Civitate ad Templum Horæ $1\frac{1}{4}$.

Regula. Singulis Horæ Quadrantibus mille paſſus imputandi.

Hæc mea eſt ſententia: ſed ſecundum Nicolaum de Lyra, Hieronymum: & alios: qui eoſdem ſequentes, in huiuſmodi dimenſionibus noſtri Ezechielis, non cubitos (vti nos facimus) ſed calamos intelligendos eſſe ſtatuunt, & vrbis amplitudo, & eiuſdem atque Templi intervallum longè maius & amplius ſurgit.

Si enim latus Civitatis (ſuburbia quoq; imputando) ſumatur 5000. Calamorum, prodibit lateris longitudo $1\frac{1}{4}$ milliaris Germanici, & paſſuum inſuper 500. Adeoque totus Civitatis ambitus $5\frac{1}{4}$ milliarium.

Secundum Hieronymum ambitus Civitatis $5\frac{1}{4}$ *millarium.*

Rurſus diſtantia Civitatis à Templo talis erit. Exhibet illa computatio interſtitium inter Civitatem & Templum 14700. Calamos, qui per ſex reſoluti in cubitos (*Calamus enim ſex cubitos habet*) exhibent 88200. cubitos. Hi rurſus in pedes reſoluti, exhibent 154350. pedes. Ex his paſſus componuntur, 30870. qui faciunt milliaria tria cum tribus quadrantibus & paſſibus inſuper 870. *Secundum igitur* hanc commentationem Calamorum, à proximo ambitu Civitatis, ad proximum ambitum Templi eunti & redeunti, conficienda eſſent ſeptem milliaria Germanica, cum dimidio & amplius. *Maius* autem ſpatium eſſe, vel ex medio, vel altera extremitate Civitatis, in Atria Templi, cuivis eſt manifeſtum. *Quæ omnia*, noſtrum puto calculum, de cubitis, quem ex ipſo Hebræo textu deducimus, non parùm reddunt illuſtriorem. Nam & Civitatem iuſtæ magnitudinis, & intervallum Civitatis ad Templum tolerabile exhibet. Calamorum autem calculus, omnia reddit ſextuplo maiora.

MEDITATIONES SPIRITVALES.

EX *hiſce iam* ad *meditationes* noſtras ſpirituales redeamus. Quarum prima eſt de *differentia ſtatuum in Eccleſia Chriſtiana.* Quanquam enim *Templum* Domini in vtilitatem & commodum civium extructum eſt, benè magno tamen intervallo, ipſum illud à *Civitate* remotum eſſe, noſter calculus edocuit: à Civitate namq; ad Templum pergenti *Horæ & Quadrantis* ſpatium emetiendum eſt. Addo quod ipſa tria illa ſpatia, Quadrati ſancti, portio nimirùm Sacerdotum, portio Levitarum, & communitas Civitatis, diligentiſſimè inter ſeſe diſtincta ſunt. Quæ res hanc meditationem nobis ſuppeditat. *Quanquam Eccleſia* Chriſtiana, cum omnibus ſuis civibus & membris, vnica eſt, ſuis tamen officijs atq; muneribus diſtincti ſunt: quibus alij Eccleſiaſticis, politicis alij defunguntur. *Sicut enim* omnia iſthæc Dominus conſervata vult, ſic eadem nulla ratione vult confundi. *Sacerdotes* & miniſtri ſuo in Cathedra & Templo fungantur officio: *Magiſtratus* & *patres familiâs* in curia & ædibus privatis. Mutuas quidem operas tradant neceſſe eſt, vt tamen inter ſeſe confundantur, aut alij alijs impedimento ſint, diligenti cautione opus eſt. Quæ *meditatio* & Eccleſia-

I. Status Eccleſiaſtici & politici diſtincti ſunt:

ſticis & politicis vtiles vivendi Regulas ſuppeditat. Sunt enim, qui Eccleſiaſti-
Eccleſiæ miniſtri rebus ſacris vacent. cis functionibus deputati, orationibus vacare, ſtudijs ſacrarum literarum invigilare, concionibus meditandis incumbere, tùm vniverſæ Eccleſiæ, tùm ſaluti ſingulorum curandæ, toti deditì eſſe debebant, ſecundum illud *Salvatoris*:
Iohan.5.39. Scrutamini ſcripturas: quod ſcripturarum interpretibus, & verbi miniſtris, cumprimis dictum eſt: Et illud *Pauli: Lectioni intende, Exhortationi & doctrinæ*,
1.Timoth.4.13. 1.Timoth.4.13. Ipſius eiuſdem commendatiſſimo *Exemplo*, qui Auditores ſuos
Actor.20.18. in teſtimonium vocans, de diligentia ſua hiſce verbis teſtatur: *Vos ſcitis à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino, cum omni humilitate, & multis lacrymis, &c. Quomodo nihil ſubterfugerim vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos*, &c. Act.20.
Matth.14.23. 18. Hoc Exemplum, cumprimis autem *Salvatoris* noſtri, qui totas noctes in orationibus perſeveravit, omnes veri Sacerdotes, ſynceriq; & fideles verbi miniſtri imitari debebant, ita ſuis muneribus invigilando, vt in media auditorum turba verſantes, vnâ cum *Templo* Domini, iuſto quaſi intervallo, ab omni humana converſatione diſiuncti viverent: ſuis demandatis muneribus invigilando, cætera mundanis relinquendo. Hæc nimirùm eſſent ſanctiſſima ſpatia, inter Templum & Civitatem. Sed proh dolor multi ſunt Sacerdotes, qui relicto *Templo*, maximam vitæ partem in *Civitate* tranſigunt, hoc eſt, minimam curarum partem rebus Eccleſiaſticis, *ſtudijs* nimirùm *orationibus* & *concionibus* tribuunt, in rebus domeſticis & privatis vel delectationis, vel commodi cauſâ plurimùm occupati, ſufficere arbitrantes, ſi diebus Dominicis & Feſtis, ex poſtillatore aliquo, concionem aliquam recitent: aut ſua, quæcunq; in buccam venerint, populo effundant. Tales nimirùm de diſpoſitione vrbis & Templi noſtri Prophetici nihil intelligunt. *Separatum eſt Templum ab vrbe*, iuſto intervallo: ſeparatim habitant Sacerdotes, Templo invigilantes: ſeparata ſint ſtudia & occupationes Vrbanæ ſeu politicæ & Eccleſiaſticæ, politici illis, hiſce Sa-
Politici leges & diſpoſitionem Templi non evertant. cerdotes & Miniſtri defungantur. *Inſtruxit hactenus* præſens meditatio perſonas Eccleſiaſticas: attendamus modò, cuius admonere poſſit homines *politicos*. Interiecto medio intervallo, diſtincta ſunt Templum & Civitas ſancta: non ideò, vt nullus ad Templum civibus aditus pateat. In hunc namque finem extructum eſt Templum, vt adminiſtrantibus Sacerdotibus, cives omnem ibi cultum divinum exerceant. Sed ideò diſtincta ſunt, vt cives, cultus & Religionis causâ ad Templum accedant, Sacerdotes, ſecundum præceptiones Dominicas, eorundem ſacrificia, & reliqua pietatis ſtudia, ſecundum legem divi-
Ezech.cap.45.46. nam (quam in Ezechiele noſtro, inter conſtitutiones Templi Eccleſiaſticas, diligentiſſimè explicatas vidimus) promoveant. Leges igitur, & *Leges* quidem *divinas accipiant in Templo Domini*, politici homines non ferant: *audiant, attendant, diſcant*, & *obſequantur* ijs, quæ ex ore Domini acceperint, non præcipiant, quæ ipſis placita videbuntur. Sacerdotibus commiſſum eſt, vt ſecundum leges divinas cultus divinos perficiant: Hoc vt ſyncerè & religioſè fiat, omnibus attendendum: in cæteris, quæcunque Dominus per os Sacerdotis præceperit, omnibus Religioſè eſt obtemperandum. *Quæ meditatio* illos erudire debet, qui Pſeudopolitices nimiùm perverſè ſtudioſi, *Sacerdotibus leges figere* annituntur, quibus ritibus illi, quibus etiam donis & muneribus, ſacrificare Domino debeant, hoc eſt, leges & interdicta proponunt, quibus vel ſceleribus taxandis parcant Eccleſiæ miniſtri, vel erroribus atque hæreſibus non confutandis ſileant, idq; propter vtilitatem aliquam aut pacem externam, quam Pſeudopolitici illi omnibus humanis, omnibus divinis rebus anteponendam putant. Sed hoc eſt Templum Domini in mediam vrbem transferre, imò verò, hoc eſt vrbem ipſi Templo Domini mediam inferre, & ſic inferre, vt huic & *Altare* Holocauſtorum & *menſa* propoſitionis, & *candelabra* aurea, & in ipſo ſancto ſanctorum, ipſa *arca Domini & reliqua omnia ſacrata vaſa*, concedere cogatur.

Quæ

Digitized by Google

Quæ,qualis,& quanta hæc ſit, in Templo Domini *temeritas*, nos neque verbis graviter ſatis explicare poſſumus, nec illi, niſi pœnitentiam egerint, vtilibus olim lacrymis deplorabunt. Et *Templo & civitati* Domini ſua pomeria ſunt, ſua vtrique jura, ſua privilegia vtrique: Illis vtrumque corpus vivat, & vigeat, neutrum neutri ſit nocumento.

II. *Conventus & cultus publici præcipuè habendi.*

Secunda meditatio, quam ex diſpoſitione ſituque vrbis & Templi ſuſcipimus, commendat *congregationes & cultus publicos.* *Quanquam* enim cuiuſvis hominis Chriſtiani, privata domus privata Eccleſia eſſe debet, & reipſa eſt, in qua verbum Domini, & devotę preces, tàm Iuniorum, quàm ſeniorum copiosè habitant. Inde Paulus ſalutat Eccleſiam domeſticam Priſcillæ & Aquilę, Rom.16.3.& 1.Cor.16.19.& Eccleſiam Nymphæ, Coloſſ.4.15. *Nihilominus* tamen Dominus, publicos congreſſus & conventus haberi vult, vbi in *publicâ ſolennitate ſacra publica perſolvantur.* Licet enim omnium & ſingulorum preces, acceptet & audiat Dominus, totius tamen Eccleſiæ coniunctis ſupplicationibus, amplius etiam delectatur. Eam ob cauſam *David* Propheta & Rex, in Pſalmis ſuis, publicos conventus, & ſæpiſſimè & copioſiſſimè commendat: vnum & alterum locum accipite, Pſal.5.8. *In multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo in templo ſancto tuo, in timore tuo.* Et Pſalm. 27. 8. *Domine diligo habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et proximo Pſ.26.4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Item Pſal.82.2. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Hæc Pſaltes Regius, qui & ipſe Domi ſuæ legem Domini, *dies & noctes* diligenter meditatus eſt: cui ēt ſtudio *invigilantem*, non tantùm in primo Pſalmo beatum prædicat, ſed per nobiliſſimum & præſtantiſſimum illum Pſalm. 119.v.176. legem ſeu verbum Domini elegantiſſimè celebrat: verùm etiam, qui ipſe tot præſtantiſſimos Pſalmos *compoſuit, vir, qui ſuavis in Pſalmis, per quem ſpiritus Domini loquutus eſt, & cuius ſermo, per linguam eius.* Hic, inquam, tantus & tàm celebris Propheta, tanto ſtudio atque deſiderio concupiſcit tabernacula Domini: quid nos non deſiderabimus? qui nec Prophetiæ ſpiritu, nec ardore legis divinæ, cum Regio Pſalte ſumus comparandi? *Redarguit* hæc meditatio illos, qui levioribus de cauſis, conciones & cultus publicos negligunt, ſatis ad pietatem eſſe rati, ſi domi ſuæ ſacros volvant codices, & ſuas Deo fundant preces. Habitare debet lex Domini in civitate ſancta, & in omnium Chriſtianorum ædibus abundanter: ſed *Templum Domini*, publicis cultibus *Auguſtum* eſſe debet. Gravius autem illos redarguit, hæc meditatio, qui non leviter tantùm negligunt, ſed leviter *contemnunt* conventus & cultus publicos, cuius contemptus graviſſimas olim Deo, qui noſtræ ſalutis gratiâ tantâ curâ ce[illegible] in Templo ſuo verbum annunciari curat, redditurі ſunt rationes.

2.Sam.23.1

III. *Rebus ſacris vacantes, omnibus terrenis abjuncto:*

Tertia meditatio. Contue[illegible]es ſitum vrbis & Templi, iuſtum videmus interiectum *intervallum.* Na[illegible] er *ſuburbium civitatis*, & extremum *ambitum Tēpli*, exhibuit calculus noſter, [illegible]lius *quinquies mille centum & quadraginta quinque.* 5145. Qui faciunt leucam v[illegible]m, cum quadrante, & amplius ſtadium atq; paſſus viginti. *A rebus nimi[illegible] domeſticis, avocatum eſſe animum oportet*, ſi in templo Domini cultibus divinis ritè vacare velis. Recede igitur è domo tua, recede ex vrbe patria tua, & non tàm *corpore*, quàm *animo atq; ſpiritu tuo* in domini templū concede, atq; ita concede, vt iuſto intervallo, cum Deo tractaturus, *terrena* oīa relinquas. *Deus namq; ſpiritus eſt, in ſpiritu vult, & veritate coli.* Eos confundit hæc contēplatio, qui etiam conventus publicos viſitant, corpore præſentes aſſidēt, *animis* longinquis ſpatijs peregrinantur: vel iiſdem ſanè præſentes, oēs res domeſticas ſuas, totos agros & vineas ſuas, oīa latifundia ſua, ſecum in templo habent, colunt, verſantq;: eoq; hanc diſpoſitionē Domini, quia inter vrbem & Templum intercapedinē eſſe voluit, mirùm perturbant. Sed o *Homines ſtultos*, qui καρδιογνώστην peregrinātia iſthæc corda, nō dijudicaturu eſſe ſtultè *ſomniāt.*

Ioh. 4.24.

Digitized by Google

IV. *Theologiæ Studioſus Arithmetices & Geometriæ, non ſit ignarus.*

Quartâ cum meditatione civitatem ingredimur. Antequam autem pedem inferamus, admirari priùs lubet, *exactam* eiuſdem *perfectamq́; ſtructuram.* Novimus enim *ſpatium communitatis* vrbis, *longitudine* ſua æquare latus quadrati ſancti, hoc eſt, cubitos vicies quinquies mille: *Latitudine* verò tantùm quinquies mille. Iam ſcimus, *civitatis latera in quadrato eſſe quatuor millium & quingentorum cubitorum.* Ezechiel. 48. verſu. 16. 30. 32. 33. 34. *Suburbana* verò ad ſingulas oras, ducentorum quinquaginta cubitorum latitudinis. Ibidem verſ. 17. Quæ omnia ſi exactè ponderentur, apparet *primùm*, civitatem iuſtè *quadratam* eſſe; *ſecundò* apparet, eandem cum ſuburbanis, exactè *complere* latitudinem communitatis, cubitos videlicet quinquies mille. Latus enim civitatis eſt quatuor millium & quingentorum; adde ex vtroque latere ſuburbana, ſingula ducentorum quinquaginta cubitorum, veniunt cubiti quingenti. *Tertiò* apparet hanc civitatem, in medio communionis poſitam, ex vtroque latere, verſus ortum & verſus occaſum duo ſpatia relinquere, quorum vtrumq;, præcisè *duplo* maius eſt, quàm ipſa civitas. Totum equidem ſpatium communionis civitatis, longum eſt cubitos, vicies quinquies mille, quod præcisè æquat, *quinque* quadrata, quorum latera ſunt quinquies mille cubitorum. Civitate igitur, hoc eſt, vno quadrato in medio poſito, ex vtroque latere eiuſdem cum civitate quantitatis duo quadrata relinquuntur, in civitatis agrum communem. *Quartò* denique obſervandum eſt, quàm accuratè demonſtrator ex lateribus civitatis, totum eiuſdem ambitum computaverit: poſtquam enim ſingula latera dimenſus eſſet, vltimo verſu ſummam ſubijcit, dicens: *per circuitum igitur, decem & octo millia.* Quem numerum calculus præcisè procreat. Ducto enim vno latere, (quod quater mille & quingentorum cubitorum eſt) in quatuor, ſurgunt cubiti *decies octo mille.* Ex hoc contuitu civitatis, & exactiſſima συμμετρίας proportione, primùm omnes famuli huius Architecti & demonſtratoris, hoc eſt, omnes Theologiæ Studioſi, admonentur, ne Arithmetices & Geometrias Principia, antequam ad Theologica ſtudia accedunt, negligant: videmus enim hunc demonſtratorem Propheticum, & ſpatia *menſurare*, & latera civitatis *dimetiri, & componere, & multiplicare* numeros exactiſſimè: id, quod is, qui Arithmetices & Geometriæ planè ignarus eſt, neque intelligere, neque alijs explicare, neq; explicata aſſequi feliciter poteſt. Cùm igitur & in hoc, & in alijs pluribus ſcripturę locis Numerorum cognitio, & vel Annorum, vel perſonarum, aliarumque rerum computationes requirantur, facilè intelligitur, in Theologiæ ſtudioſo, qui ad intimos ſcripturæ ſenſus, Dei beneficio penetrare cupiat, horum Principiorum, (niſi illotis, quod aiunt, pedibus irruere velit) cognitionem deſiderari. Quod igitur Plato ſcholis ſuis, inſcribere ſolitus eſt, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω: hoc eſt, *Geometricæ ignarus, nullus ingreditor:* id rectiùs ſcholis etiam Theologicis inſcribi poteſt. Nam in Textu Biblico multoties hærebit, in noſtro autem *templo Prophetico* dimetiendo & contemplando, totus cæcus & mutus fuerit, qui harum diſciplinarum Principia, vel primis labris, quod aiunt, non deguſtaverit. Addo & illud, quòd dictæ diſciplinæ mirum in modum, nobiliſſimæ cotis inſtar, ingenium acuunt, & rerum intelligibilium imagines, tanquam in politiſſimo ſpeculo demonſtrant, mentemq́; noſtram à materiatis & caducis ſordibus avocatam purgatamque, in æternorum contemplationem paulatim adducunt. Quam ob cauſam Philo, Geometriam, ἀρχὴν καὶ μητρόπολιν omnium diſciplinarum meritiſſimè collaudavit. *Plato* quoque dixiſſe refertur: *Deum ipſum* γεωμετρεῖν. Cuius Pronunciati, ſi vllibi in ſcripturis Exemplum extat, hoc certè, quod in Templo Ezechielis, terra & civitate ſancta proponitur, longè omnium illuſtriſſimum eſt. Quantâ enim, & quàm admirandâ diligentiâ, *totum ædificium Templi*, cum omnibus atrijs ſuis, *totam civitatem* cum ſuburbijs ſuis, & communitate, per *quadrata* abſolvat:

Deus Geometra.

Quadrata

Quadrata quadratis componat, & tandem omnia *vno quadrato*, quod *ſanctum* appellamus, concludat, in Textus explicatione vidimus maniſeſtiſſimè. Rectiſſimè igitur, & veriſſimè à Platone dictum eſt: Deum ipſum γεωμετρεῖν: Quod tamen ille, hiſce ſcripturarum exemplis deſtitutus, tàm perſpicuè & clarè, vt nos jam poſſumus, non intellexit. *Sed ad ſtudioſos* Theologiæ redeo, qui vel aſſequuti Magiſterij Titulum, quo liberalium Artium Magiſtri ſalutantur, tueri ſatis non poſſunt, niſi Arithmetices & Geometriæ principijs imbuti ſint. *Taceo*, quod in ipſo vulgo, & ſimpliciores, & ad res omnes vtiliter gerendas ineptiores habentur, qui numerorum rationes ignorant: quantò maius igitur in homine literato, maximè verò in Theologiæ Studioſo, & magnum ſtudiorum impedimentum, & turpe dedecus ſit, qui, cum Deum ipſum accuratiſſimè γεωμετρεῖν videamus, ipſe totus ſit ἀναρίθμητος καὶ ἀγεωμέτρητος. *Hoc vnum eſt.*

In civitate ſancta, omnia ſint quadrata, hoc eſt, æquabilitate & rectitudine decora.

Deinde, cùm ad civitatis ſanctæ mœnia conſtituti, tantam eiuſdem & ſuburbiorũ συμμετρίαν videamus, quod illa videlicet in ſeſe *quadrata* eſt, cuius *latus*, vel *radix* quater mille & quingentorum cubitorum, ſuburbia verò, ambitus *Quadratus Rectangulus.* Et vtraq; iuncta, præcisè ęquant, *latitudinem* communionis civitatis. Hæc, inquam, contemplantes, mirandam *æquitatem & iuſtitiã*, huius civitatis, hoc eſt, Eccleſiæ, omniumq; eiuſdẽ civium & incolarum meditemur. *Quadratum* enim, eſt *plana, æquabilis, & perfecta figura, cuius omnes Anguli recti, & latera præcisè inter ſeſe æqualia ſunt.* Hoc verò quid aliud ſit, quàm omnium fidelium, qui in civitate ſancta, hoc eſt, in Eccleſia vivunt, *æquabilitas, juſtitia & ſanctitas.* Geometriam enim *æquabilitatem* accipiunt, vt apud *Ariſtidem* in Themiſtocle, ὅπου γὰρ δεῖ καὶ ἰσότητος καὶ γεωμετρίας, hoc eſt, *vbi opus eſt & æquabilitate & Geometria.* Et rurſum in Pericle εἰ δὲ ἡ γεωμετρία καλὸν, καὶ ἡ κατ' αὐτὴν ἰσότης, hoc eſt, *ſi præclara ſiue illuſtris eſt Geometria, & quæ cum illa coniuncta eſt æqualitas.* Teſte *Eraſmo* in explicatione Proverbij: ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Geometrica igitur civitatis proportio, eſt fidelium in Eccleſia viventium, *iuſtitia & ſanctitas.* De qua ſanctitate Dominus ipſe ita præcepit: *viri ſancti eritis mihi.* Exod. 22. 31. Et Baptiſtæ parens apud Lucam c. 1. 75. *De manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus Domino in ſanctitate, & iuſtitiâ coram ipſo, omnibus diebus noſtris.* Et Paulus Rom. 6. 19. iiſdem verè verbis. *Liberati à peccato, ſervi facti eſtis iuſtitiæ.* Et cap. 12. 1. *Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationalem cultum veſtrum.* Similes præceptiones de *æquabilitate & iuſtitia* fidelium leguntur: Epheſ. 2. 14. 1. Theſſ. 3. 13. & 4. 3. & 5. 23. Tit. 2. 12. & 1. Iohan. 3. 3. Vbi æquabilitatis & quadraturæ ſanctæ hæc vniverſalis regula legitur: *Omnis, qui ſpem habet in Deo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Et 2. Timoth. 2. 19. *Diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Chriſti.* Hactenus de Geometria civitatis ſanctæ: vbi & hoc notandum, ſicut paulò ante ad diligentiam & ſtudium noſtrum, in Arithmeticis & Geometricis diſciplinis, acuendum (*quotquot huius Architecti diligentes famuli eſſe exoptamus*) hanc civitatis ſanctæ inſcriptionem legimus, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω: ſic eandem nunc æquabilitatis & ſanctitatis rationẽ cives omnes diligenter attendant. Hâc enim inſcriptione, omnes inordinati & ſcelerati homines, è conſortio, ſocietate & iure civitatis excluduntur. Quanquam igitur in cœtu Eccleſiaſtico externo, & hypocritæ & ſcelerati commixti vivunt, cives tamen & Eccleſiæ membra non ſunt. Quicquid enim ἀγεωμέτρητον, hoc eſt, à ſtudio Chriſtianæ ſanctitatis alienum eſt, id formâ & iure civitatis excluſum eſt. *Diſcedite à me*, inquit Salvator, *omnes, qui operamini iniquitatem.* Et Paulus: *An neſcitis, quod iniuſti, regni Dei hæreditatem non accipient.* Et Iohannes in Apocalypſi: cap. 22. 14. *Beati qui faciunt præcepta eius, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem: Foris autem ſunt canes, & veneſici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Sed de hac re copioſius, cùm ad ipſius Templi acceſſerimus contemplationes.

Matth. 7. 23.
1. Corinth. 6.
Apocal. 22. 15.

Quinta

V. *In civitate ſanctæ, ſiue Eccleſia, eſt omnium ſpiritualium bonorum.* COMMVNIO.

Quinta meditatio. Sed aliud adhuc eſt, quod contemplemur, antequam civitatis mœnia ſubeamus. Ecce enim ab vtroque latere civitatis, ſpatia communitatis contuemur, quæ hinc & hinc, æquâ proportione, communionem vrbis ſanctæ complent. Nam vtrunque ad ipſam *civitatem*, ſuburbijs ſimul computatis, *duplum* eſt. Singula igitur ſpatia, duo iuſta *quadrata* ſunt, æqualia civitati. Quis autem horum ſpatiorum ſit *vſus*, vidimus in textu Ezech. cap. 48. v. 18. hiſce verbis explicatum. *Quod reliquum erit in longitudine* (exemplo videlicet medio quadrato civitatis) *ex adverſo oblationis ſanctæ, decies mille* (ſcil. cubiti) *orientem verſus, & decies mille occidentem verſus, ex adverſo oblationis ſanctæ, eius proventus ſit in cibum miniſtris civitatis.* Sed quinam ſunt civitatis miniſtri? Id ſequens verſus 19. explicat: *Miniſtrabunt civitati, ex omnibus tribubus Iſraëlis.* Omnibus igitur Iſraëlitis, vndecunque in civitatem confluxerint, hi proventus communitatis, commodo & vſui eſſe debent.

COMMVNIO *Sanctorum.*

Vnde patet, proventus civitatis communes, cedere in vſus communes *omnibus*, id quod nihil aliud eſt, quàm *communio omnium bonorum in Eccleſia*, quam in Symbolo confitemur: *credo communionem ſanctorum*, qui hoc loco appellantur miniſtri civitatis. Iſthæc bona ſunt *cognitio, gratia & miſericordia Patris, dilectio, redemptio, Iuſtitia & ſanctificatio filij*, omniaque beneficia, quæ Salvator Chriſtus, obedientia & paſſionis ſuę merito nobis impetravit, atque Sacroſanctâ gratiâ quotidiè fidelibus applicantur. Hæc bona *communia* ſunt *omnibus fidelibus*, qui omnes miniſtri & ſervi ſunt civitatis, hoc eſt, Eccleſiæ. Nemini enim *niſi Chriſto*, qui Caput Eccleſiæ eſt, *Imperium* Eccleſiæ competit: Ille ſolus hîc regnat, ſolus præcipit, nos cives & membra Eccleſiæ omnes ſumus miniſtri. *Scelerate* igitur temerarius & audax eſt Papa Romanus, qui in rebus ſpiritualibus mutandi & præcipiendi ſibi arrogat authoritatem: dum Chriſti Capitis ſanctiones, circa Sacramentum Cœnæ Dominicæ, & ſolius Dei invocationem, cui protervus ille, longa ſanctorum agmina connectit, alijſque pluribus in capitibus, *corrumpit, invertit, immutat*, & pro ſuo arbitrio, novos Religionis *cultus*, novoſque fidei *Articulos* condere non reformidat. Quid hæc placere putabimus demonſtratori noſtro Prophetico, qui omnes incolas civitatis, ex omnibus tribubus congregatos, ſervos vocat civitatis, quibus vſui ſint publici proventus. Pontifici certè Romano, qui non ſervus, ſed Magiſter & caput eſſe vult civitatis (quem titulum ſcelerato faſtu ſibi arrogat) hoc ſolo Epitheto, omnis ſpiritualium bonorũ communio denegata eſt. Perpende igitur, cuius æſtimationis & pretij haberi debeant, omnes Romanæ Eccleſiæ, *indulgentiarum* & Theſaurorum nundinationes, quas phaleratis verbis toti terrarum orbi obtrudit, cùm ipſe ille in hac noſtra contemplatione Prophetica, omni communione ſanctæ civitatis ſit exutus, privatus, excluſus.

Omnes fideles, ſunt civitatis ſanctæ Miniſtri.

Chriſtus ſolus in Eccleſia imperat.

Papa Romani ſcelerata temeritas.

Papa communione ſanctorum excluſus.

Indulgentiarum vanitas.

Communio ſanctorum æqualis omnibus.

Præterea ſpatia communitatis, *geometricè proportionata* videmus: ſunt enim quadrata duplicata, ad quadratum vrbis. Illa eſt æqualitas communionis ſpiritualis, qua meriti & omnium beneficiorum Chriſti Salvatoris, *æqualiter participes* fiunt, quicunque per fidem in ipſum cives & incolæ ſunt vrbis ſanctæ. *Quotquot enim receperunt eum, eis poteſtatem dedit filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius.* Quoniam *non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi:* vt Petrus aperto ore proteſtatur. *Omnes filii Dei eſtis*, inquit Paulus, *per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina, omnes vnus eſtis in Chriſto Ieſu.* Et rurſus: *Non enim eſt Iudæi aut Græci diſtinctio: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant eum.*

Iohan. 1. 12. *Actorum. 10. 34.* *Galat. 3, 28.* *Rom. 10. 12.*

VI. *Eccleſia ad mundi finem, vſque durabit.*

Sexta & vltima meditatio eſt ipſius vrbis. Vbi primùm omnium obvia eſt, *figura* civitatis. *Quadrata eſt civitas ſancta:* Quæ figura *Conſtantiam, durabilitatem, & perpetuitatem* Eccleſiæ nobis depingit. Poſita enim hæc figura fixa manet,

Digitized by Google

manet, nec globi inſtar volvitur. Inde fortuna, quæ nihil quicquam ſtabilitatis habet, globo inſiſtit. *Vir conſtans autem* τετράγωνος appellatur. Stat igitur fidei Articulus, & ſtabit ad mundi finem: *Credo Eccleſiam, ſanctam, Catholicam*: nec vnquam futurum eſt, vt nulla in mundo ſit Eccleſia. Fundata eſt hæc civitas ſuper Chriſtum, qui *lapis Angularis & fundamentalis eſt, contra quem nec Portæ inferorum quicquam prævalebunt*. Pollicetur *Chriſtus* præſentiam ſuam vſque ad conſummationem ſeculi: Matth. 28. Et Paulus, *vtentes cœnâ Dominicâ, mortem Domini annunciare iubet, donec veniat*. 1. Cor. 11. Futuri igitur ſunt Chriſtiani, quibus preſtò eſt Caput Chriſtus, *vſque ad ſeculi conſummationẽ*. Futuri ſunt cœtus Eccleſiaſtici, in quibus celebretur Cœna Dominica, *vſque dum Chriſtus venerit*, vivos & mortuos iudicaturus. **Summa / der Articul vnſers Allgemeinen Chriſtlichen Glaubens muß ſtehen bleiben / Ich Glaub ein heilige Chriſtliche Kirchen / ſo lang die Welt ſtehet.** *Hæc eſt civitas* τετράγωνος. *Nec tamen exiſtimandum*, hanc durabilitatem & perpetuitatem Eccleſiæ, ſtoicam aut fatalem quandam *immutabilitatem* eſſe, quæ ipsâ naturâ ſuâ expugnari non poſſit. Sicut Calviniani ſomniatores, de *fide, fidelibus* atque *Electis* nugantur. Fidem nimirum, per quam ius huius civitatis acquirimus, eſſe *irrevocabile* donum, vt Beza loquitur, & qui verâ & ſolidâ fide in Chriſtũ *ſemel* credat, illum iam certum & *immutabile* ius habere vitæ æternæ: vt Zanchius in Miſcellaneis ſuis ſomniat. Ex quo dogmate, Stoica & fatalis Eccleſiæ conſtantia conſequitur. Si enim Electi fidem & gratiam *amittere*, dum in terris agunt, *nunquam poſſunt*, *neceſſaria* omninò eſt Eccleſiæ in terris *immutabilitas* & certitudo. Nobis autem ex ſcripturis ſanctis conſtat: *Fidem ſalvificam* tale Dei donum eſſe, qua quidem, omnes ad finem perſeverantes, membra Eccleſiæ, & καθ' ἐξοχὴν Electi maneant, & vitam æternam conſequantur. *Eandem tamen* per incuriam, ſecuritatem, & carnis libidines, rurſus excuti & ſalutem animarum, quam per fidem poſſidebant, vnâ cum fide rurſus amitti poſſe, certis ſcripturis expeditum eſt. Sic enim Chriſtus ad Iudæos, *credentes in ipſum*: Si vos *manſeritis* in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis. Vnde patet, aliquos, qui crediderunt, *non manere*, ſed rurſus excidere â fide. Idem Matt. 10. 22. Odio eritis omnibus, propter nomen meum. Qui autem *perſeveraverit* vſque ad finem, hic ſalvus erit: Et de vltimis temporibus vaticinia pandens, inter alia ſic habet: *Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Qui autem* perſeveraverit vſque in finem, *hic ſalvus erit*. Sunt ergò rerum ſtatu tranquillo, quidam *fideles & diſcipuli Chriſti*, qui in perſequutionis æſtu, & inter tot iniquitatis exempla poſtremi mundi, *non perſeverant*: Siquidem *perſeverantes* tantùm ſalvabuntur. Quæ Oratio eloquentiæ & veritatis fontis, tota *inepta & ridicula* eſſet, ſi omnes perſeverarent. In eandem planè ſententiam loquitur Epiſtola ad Hebræos. *Chriſtus tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei* vſque in finem *firmam retineamus*. Et ibidem mox v. 14. *Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ* vſq; ad finem *firmum retineamus*. Sed elegans valdè, & nobilis in hoc Argumento locus eſt, in Epiſtola ad Rom. cap. 11. *Rami* (Iudæi) *propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere* μὴ ὑψηλοφρόνει, *ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & ſeveritatem Dei in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: In te autem bonitatem*, ſi permanſeris in bonitate, alioqui & tu excideris. *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerẽtur. Potens enim eſt Deus, iterum inſerere illos.* Quibus verbis multoties inculcatur, & *exemplis* ſimul declaratur, & eos qui per fidem *Chriſto inſiti* ſunt, per *incredulitatem* excindi, eos qui *ſtant in fide*, rurſus *cadere*, & qui bonitate, gratiâ & miſericordia Dei *fruuntur*, niſi in bonitate *permanſerint*, rurſus *exterminari* poſſe: & niſi obſequuti fuerint, certò *exterminatum & exciſum*, reliquos autem ſi pœnitẽtiam egerint, rurſus inſertum atq; ſalvatum iri. Quâ re, neſcio quid *planius*, quid magis *dilucidum*, magis *perſpicuũ* eſſe poſſit: Incredulos

nimi-

Ariſtoteles Eth. Nicom. lib. 1.

1. Cor. 3. 11.

1. Petr. 2. 7.

Matth. 16. 18.

Ephe. 2. 20.

Matth. 28. 20.

1. Cor. 11. 26.

Exploditur Stoico Calvinianum, & Calviniano-Stoicum Fatum, quod circa immutabilitatem veræ fidei confingunt.

Beza in Præfat. Reſp. 2. ad Colloq. Mompelg.

Zanch. Miſcell. pag. 186.

Fides amitti poteſt.

Iohan. 8. 31.

Matth. 10. 22.

Matth. 24. 13.

Hebr. 3. 6.

verſ. 14.

Rom. 11. 20.

Exempla.

Digitized by Google

Hebr.10.38. *2.Petr.1.* *2.Petr.2.20.& ſeqq.*

nimirùm ad pœnitentiam converti, *credentes autem fidem & ſalutem amittere poſſe.* Quibus etiam ad amuſſim congruit locus Hebr. 10.38. *Iuſtus ex fide vivet. Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.* Et Petri verba: *Cui non præſtò ſunt hæc* (videlicet omnis generis exercitia Chriſtianæ virtutis) *is cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.* Et rurſus illa: *Poſtquam effugerunt coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognôſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota, in volutabro luti.*

Admonitiones Apoſtolicæ. *1.Corinth.16.13.* *Epheſ.6.10.* *Philip.4.1.* *Apocal.2.25.* *Ibidem cap.3.11.* *Actorum 14.21.*

Eodem pertinent *admonitiones* Apoſtolicæ, quibus illi fideles ad conſtantiam & fortitudinem exhortati ſunt, vt Corinthios his verbis: *vigilate, ſtate in fide, viriliter agite & confortamini.* Et Epheſios, hiſce. *De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite armaturam Dei, vt poſſitis ſtare, adverſus inſidias Diaboli.* Philippenſes hiſce: *Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea: ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Et ipſe filius Dei, fideles in Apocalypſi ita alloquitur: *Id, quod habetis,* tenete, *donec veniam. Et qui vicerit, & qui cuſtodierit,* vſque in finem *opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, &c.* Et cap.3. *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foràs non egredietur amplius.* Eodem etiam *curæ, ſollicitudines, labores, & viſitationes Apoſtolorum* pertinent, qui Eccleſias, quas plantaverant verbo, magnis ſollicitudinibus & curis *viſitarunt*, an fidem *ſervarent* explorarunt, & ne vnquam *deficerent*, conſtanter excitarunt. Sic Paulus cum Barnaba, circumit, *viſitantes civitates, quibus Evangelium prædicaverant, confirmantes animas diſcipulorum, &* exhortantes, vt permanerent in fide: *& quod per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei.*

Exempla eorum, qui à fide defecerunt. *1.Timoth.1.19.* *2.Timoth.1.14.* *Rom.11.4.*

Tandem verò, *vbi res loquitur verbis nihil opus eſt. Iudæos* enim, qui Dei populus fuerant, per *incredulitatem exciſos eſſe*, & Paulus apertis verbis explicat, & *totus orbis*, infinitis vbique exemplis teſtatur. Et ad Timotheum ſcribens, ita meminit: *Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam. Quam quidam* repellentes, circa fidem naufragium fecerunt: *ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Et rurſus ad eundem alterâ Epiſtolâ: *Bonum depoſitum cuſtodi, per ſpiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Scis hoc,* quod averſi ſint à me omnes, qui in Aſia ſunt, *ex quibus eſt Phygellus* (alij Phyletus) *& Hermogenes.* Sed proh dolor quotidiana etiã experientia, & omnium temporum luctuoſæ hiſtoriæ lamentabiles demonſtrationes exhibent, non tantùm privatos homines, ſed non raró quoque integras Eccleſias, & integra regna, à vera fide & ſalvifica confeſſione, ad Idolomanias & damnatas hæreſes (horrendum auditu) deficere, Vbi tamen *ſeptem millia confeſſorum* ſemper excipimus. Loquuntur hîc, & per orbem clamant Eccleſiæ, ab ipſis *Apoſtolis*, in exortu Euangelicæ prædicationis, ſanctiſſimæ & puriſſimæ plantatæ. Quas ferè omnes, primitùs ſtatim, *Arianiſmus*, depravavit, hodiè *Turcici furores* occupant. Loquuntur noſtræ memoriæ Exempla, multos Evãgelicæ puritatis Confeſſores, jam ad *Papiſmum*, iam ad *Calviniſmum*, iam ad *alias abominationes* atque hæreſes deflexiſſe. *Taceo* eorum exempla & caſus, qui cum populo ſynceræ Confeſſionis congregati, nunc *odio & invidia*, nunc *ambitione & faſtu*, nũc alijs *affectibus & libidinibus* carnis, ſuperati, in trãſverſum abripiuntur, & ſemen fidei, quod in cordibus illorum ſeminatum erat, nequiter ſuffocant, adeoque nomina ſua, ex Catalogo filiorum Dei, ad quos æternæ felicitatis hæreditas pertinebat, in eorum Catalogum transſcribunt, qui ſeceſſione factâ, carnis opera ſectantes, nullam regni cœlorum ſpem ſuperſtitem habent. 1.Cor.6.9. Galat.5.21. Apoc.21.8.

Ex qui-

Digitized by Google

Ex quibus omnibus conficitur, non tantùm privatos homines, ſed integras etiam Eccleſias, Regiones, & Regna, à fide deficere P O S S E, & lamentabili ſeculorum hiſtoria teſte, ſæpiùs etiam defeciſſe, Eliæ millibus ſemper exceptis. *Et amplius*, quia particulares omnes, & *fideles, & Eccleſiæ*, deficere poſſunt, ſequitur *irrefragabiliter*, univerſam quoque Eccleſiam, quatenus illa in ſuis membris, ſecundum ſeſe, ſuamque naturam conſideratur, etiam deficere poſſe, in ſuis, vt dictum eſt, viribus & conditione conſideratam. Niſi negare quis velit, (quod non, niſi in amentem cadere poteſt) ex omnibus particularibus colligi vniverſale. Quòd autem Eccleſia vniverſalis non D E F I C I T, ſecundum Symboli Articulum: *Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam*: Et illud Salvatoris: *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam:* Id non *propriæ virtutis* aut τετραγωνίας, multò minus *fatalis* alicuius *immutabilitatis* eſt & firmitudinis. Omnes enim, quotquot in Eccleſia fideles vivimus, homines ſumus, & humani nihil, adeoque errare, labi, deficere, à quoquam eſt alienũ. *Sed* quòd Eccleſia vniverſalis *firma*, & adverſus defectionis caſus, roborata eſt, id *ſolius divinæ miſericordiæ & bonitatis, ſolius paternæ ipſius clementiæ & benignitatis, ſolius etiam eiuſdem immotæ veritatis*, munus ac donum eſt, quæ in humanum genus, tanta, tamque divina & infinita eſt, vt licet Satan, Deique hominumque hoſtis infenſiſſimus, omnes omninò homines, adeoque vniverſam Dei Eccleſiam in terris, *everſam perditamq; cupiat*, Dominus tamen, omnes à ſalutis tramite tranſverſum agi, & ex Satanæ libidine in æternos cruciatus præcipitari, benigniſſimus & clemẽtiſſimus Parẽs, nunquam eſt conceſſurus. Cur enim filium, quem vnicum, cumq; chariſſimum habebat, in ignominioſiſſimam crucis mortem tradidiſſet, ſi tantam Diabolo Tyrannidem eſſet permiſſurus, vt omnes ſimul mortales, partis per Salvatorem Ieſum beneficijs, pariter privaret: Vt igitur ſemper aliqui, in orbe ſuperſint, qui Chriſti beneficijs, fideles perfruantur, Dominus ſemper aliquam in orbe Eccleſiam futuram eſſe, paternè promiſit.

Omnes fideles in ſeſe conſiderati deficere POSSENT.

Quare vniverſalis Eccleſia NON deficiat

Matth.16.18.

Cuiuſmodi *promiſſionem*, nobilem omninò & excellentem, legimus apud Eſaiam, quæ ita habet: *Veniet Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore, ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum.* Quæ verba vaticinium habent, de Eccleſia Novi Teſtamenti, cui Dominus paternè pollicetur, nunquam futurum eſſe, vt Evangelij prædicatio, vſque ad conſummationem ſeculorum, vnquam vniverſaliter conticeſcat: ſed Euangelium, quod per Apoſtolos in orbem divulgari mandaverit, illud *ad mundi finem vſq;*, ſine interruptione prædicatum iri: *verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, vſque in ſempiternum.* Similes promiſſiones, easque cumulatas. etiam in novo Teſtamento habemus. Vt apud Matthæum cap. 16. *Super Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam.* Et turſus: *Ecce, ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Et Paulus Eccleſiam Dei *columnam vocat, & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3.15. Quarum promiſſionum & divini Amoris vigore, non autem *immutabili quadam certitudinis lege*, Eccleſia Chriſtiana, & in Eccleſia iuſti & fideles conſervantur. *Suâ* enim *naturâ*, vt antea monſtravimus, quæ in omnibus labilis & fragilis, & Satanæ dolis acaſtu, in omnes omnis generis caſus & errores, periculosè procliva eſt, *omnes errare & deficere potuiſſent: ſed virtute Dei cuſtodiuntur, per fidem in ſalutem*, teſte Petro. Hic eſt τετραγωνισμὸς vrbis ſanctæ ſive Eccleſiæ, quæ arx eſt inſuperabilis & invicta, non *ſuâ naturâ*, aut loci munitionibus, ſed vigilantiâ & bonitate cuſtodis.

Eſa.59.20.

Matth.16.18.

Matth.28.20.

1.Timoth.3.15.

1.Petr.1.5.

Digitized by Google

Obiectiones Calvinianorum earundemq́; diſſolutiones.
Iohan. 10. 27.
Ibidem verſ. 2
Matth. 24. 24.

Sed obijci ſolet: Fideles & Electos nunquam excidere aut perire poſſe, ſecundum illa Salvatoris: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Et rurſus ibidem: *Pater meus, qui dedit mihi* (ſcilicet oves meas) *maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Et apud Matthæum Salvator ita loquitur: *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur*, ſi fieri poteſt, *etiam electi.* Vnde firmiter concludi poſſe videatur, fideles & Electos, nunquam rapi poſſe, nunquam ſeduci in errorem. Reſpondemus igitur, & *primùm* ad loca ex Iohanne producta, & dicimus, Chriſtum ibi de *ovibus ſuis* loqui: ſumus autem oves *per fidem* in ipſum, dum audimus, & credimus ſermonem ipſius. *Quamdiu* igitur *ſumus oves*, quamdiu *retinemus & cuſtodimus fidem* in ipſum, *tamdiu* certa, immota & invicta eſt ſalus noſtra. Quiſquis enim credit, ſalvabitur. Quiſquis credit, & *quamdiu* credit, *tamdiu* in manu Dei & Chriſti Salvatoris tutus & incolumis latitat. *Quam primùm* autem, qui fidem habuit, fidem abnegaverit, & miſſo pietati atque virtutibus nuncio, ſeipſum in impietatem & ſcelera præcipitaverit, *confeſtim* ille, & ovis eſſe deſinit, & eodem caſu è gremio tutelæ atq; protectionis divinæ *prolabitur*. Qui enim ovis non eſt, is neq; de ſalvo oviū tentorio gaudere poteſt. Certa igitur & inſuperabilis eſt *ovium ſalus*; *NON ovium certa damnatio.*

Explicatio loci Matth. 24. 24.

Ad locum *ex Matthæo* prolatum quod attinet, ille ſanè immutabilem Electorum, in his quoque terris, ſtatum, haud obſcurè videtur innuere velle. *Dabunt Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ ſigna & prodigia, ita, vt in errorem inducantur*, ſi fieri poteſt, *etiam Electi*. Sed ſciendum eſt, in iſthac oratione Servatoris, Græcam vocem, εἰ δυνατὸν, ſi poſſibile, non ſimplicem *impoſſibilitatem*, ſed magnam ſummamque *difficultatem* denotare, hoc ſenſu, tanta erit Satanæ vis, tàm ſpecioſæ fraudes compoſitique doli Pſeudoprophetarum, vt mirum non ſit, ſi etiam Electi, & cordatiſſimi fidelium (*qui tamen roborati & radicati in fide, non quovis vento doctrinæ leviter circumagi ſe patiuntur*) decepti abripiantur in errores. Non enim *impoſſibilem* eſſe Electorū defectionem, ex ipſa illa concione Salvatoris, manifeſtiſſimè & liquidiſſimè conſtat: verſu namque vigeſimo ſecundo ita dicit: *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Ecce, ex ore Salvatoris accipis, niſi abbreviati fuiſſent dies, etiam *Electos* perituros fuiſſe, quod, niſi prævia defectione, fieri non poteſt. Quod autem abbreviantur dies, & iſthâc præventione Electi in fide ſervantur & ſalvantur, id non Electorum virtutis, ſed *divinæ clementiæ atque bonitatis* opus eſt, quâ non conceſſurus eſt Dominus, vt iniquitate illâ temporum, Satanæ dolis & fraudibus, omnes fide ſpolientur & evertantur fideles.

Impoſſibile dicitur, quod vel iure illicitum, vel factu difficile eſt.

Porrò, ad *ipſam Phraſin* quod attinet (εἰ δυνατὸν, *ſi poſſibile*) ea tùm ex alijs ſcripturæ locis, tùm ex quotidiano loquendi vſu, facilè explicari & liquidò demonſtrari poteſt, id quod *non fieri* poſſe dicitur, non ſemper facto ipſo *impoſſibile* eſſe, ſed non rarò, quod vel *iure illicitum*, vel multis difficultatibus *impeditum* eſt, impoſſibile dici. Nam id demum nos *facere poſſe* exiſtimandum eſt, quod iure licitum eſt: Et multi, quæcunque *difficilia* iudicant, ea neque attentanda opinantur. *Exempli gratia:* Geneſ. 24. 50. Servo Abrahami reſpondentes Laban & Bethuel, dicunt. A Domino exivit verbum hoc: *non poſſumus* loqui ad te malum vel bonum, hoc eſt, cùm divina diſpoſitione, hoc totum negotium geri intelligamus, conſilio Domini contradicere, nullo modo licitum aut conceſſum eſt. Eodem ſenſu legimus, Geneſ. 43. 31. Appoſuerunt (*fercula*) Ioſepho ſoli, & fratribus ſolis, & Ægyptijs ſolis: Non enim *poſſunt* Ægyptij comedere cum Hebræis: quia abominatio eſt Ægyptijs. *Sic* Iuda de Beniamin ad Ioſephum in hæc verba loquitur: Non poterit *puer*

Geneſ. 24. 50.
Geneſ. 44. 22.

relin-

relinquere patrem ſuum. Et ſi reliquerit patrem ſuum, morietur. Atque ibidem verſ.26. Diximus, non poſſumus *deſcendere, ſin frater noſter minimus nobiſcum eſt, deſcendemus. Quia* non poterimus *videre faciem viri, ſi frater noſter minimus nobiſcum non erit.* Et rurſus Deut. 16. 5. Non poteris *mactare Paſcha intra aliquam portarum tuarum, quas Dominus Deus dabit tibi: ſed ad locum illum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ad collocandum ibi nomen ſuum, ibi mactato Paſcha.* Tum Paulus 1. Corinth. 10. 21. Non poteſtis *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, non poteſtis *menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Hoc eſt, vobis Chriſtianis *illicitum* eſt. Nam *poterant* equidem, & *facto ipſo prætergrediebantur*, ſed *non poterant* iure, & conſcientiâ illæſâ. Rurſus, eâdem Phraſi, de re *expeditu difficili*, vtimur. Sic enim Actor. 20. 16. *Propoſuerat Paulus transnavigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia. Feſtinabat enim*, ſi poſſibile ſibi eſſet, εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, *vt diem pentecoſtes faceret Hieroſolymis.* Vbi manifeſtum eſt, phraſi illa, εἰ δυνατὸν, non impoſſibilitatem, ſed eius rei, quæ difficulter fieri poſſe videbatur, obtinendæ ſupremum conatum & ſtudium exprimi. Sic elaborabit quidem Satan, *vt ſi poſſibile ſit*, pios & fideles ſeducat, ſed reſiſtent illi fide, & Deus tempora tentationum decurtabit. Quod honeſtè non poſſumus, id ne fieri poſſe credendum. Ex quibus omnibus locis manifeſtiſſimum atque planiſſimum eſt: *Non poſſe* fieri, dici de eo, quod vel iure licitum non eſt, vel multis difficultatibus eſt intricatum. Id quod ad intelligentiam verborum Salvatoris fuit evolvendum. Et *hactenus* de figura vrbis *quadrata*, quæ primum huius meditationis membrum ſuppeditavit.

Eccleſia firmiſſimis propagnaculis contra omnes ſuos hoſtes munita eſt.

Quadratâ vrbis figurâ examinatâ, *proximè ſuburbia*, & ipſa *mœnia civitatis* obſervanda & contemplanda veniunt. Muris enim, in quadrato circuitu, *munita* eſt civitas, & amplius ſuburbiorum ambitu, ducentos quinquaginta cubitos lato, vndique *circumvallata*. Ezech. cap. 48. v. 17. Quid verò *ſuburbia* iſthæc? quid *muri* illi civitatis? niſi *propugnaculum, munitio, & protectio diuina*, qua Eccleſiam ſuam Deus contra omnes hoſtes atque imminentia pericula fortiſſimè defendit, protegit & tutatur. Ipſe enim eſt Eccleſiæ ſuæ *murus aheneus*, ipſe protectio noſtra in circuitu noſtro, contra omnes aduerſantes nobis. *Dominus exercituum nobiſcum, propugnaculum noſtrum Deus Iacob. Sela.* Qui verſus in Pſalm. 46. *eſt intercalaris. Caſtra metatur* (inquit Pſalmus 34.) *Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* (*Pſalm. 34. 8.*) Et Pſalmus 125. *Montes ſunt in circuitu Hieruſalem, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.* (*Pſalm. 125. 2.*) *Domine latebra mea & ſcutum meum es tu, in verbo tuo ſperavi.* (*Pſalm. 119. v. 114.*) Hanc munitionem & inſuperabile hoc propugnaculum deſcribit & celebrat Chriſtus, dum Petro dicit: *Super Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt aduerſus eam.* (*Matth. 16. 18.*) Sic munita eſt Eccleſia Dei, & omnibus ſuis hoſtibus inſuperabilis. Magno itaque ſimus, & infracto atque excelſo ſemper animo, licet Satan & ſquamæ eius Ieſuitæ, infenſis & æternis furoribus contra Eccleſiam tumultuentur, eandem tamen nunquam peſſum dabunt. *Altiores* ſunt muri, quàm vt tranſcendere; *fortiora* propugnacula, quàm vt ſuperare aut deſtruere valeant, omnes copiæ vireſq; infernales. Omnium hîc ſeculorum omnes hiſtoriæ loquuntur: Nam ab Exordio rerum, hanc civitatem Dei omnibus ſuis copijs, & conſtitutis dolis Satan oppugnavit, eandem tamen expugnare valuit nunquam, inſidias ſtruxit, *flammâ, ferro, rotis, vndis, crucibus, exilijs*, & omnibus mortis atque ſuppliciorum *quæſitis generibus*, tanquam machinis adhibitis, evertere muros, & ſolo æquare hanc civitatem conatus eſt, ſed omnibus iſtis, magis *roborata ſunt propugnacula* (ſi roborari poteſt robur) & conſolidati amplius exaltatique ſunt muri civitatis, ſi evehi quidem & exaltari poſſe rectè dicitur, *ipſos cœlos tranſcendens, celſitudo. De vi externa*, & perſequutionum oppugnationibus quod dictum eſt, *idem* de hæreſibus eſt intelligendum. Virtus enim an dolus ſit in hoſte, non diſputandum: Quod igitur externa & aperta hoſtili

ſtili vi obtinere Satan non potuit vllis ſeculis, id internis fraudibus & occultis technis admolitus eſt, & indies, quàm poteſt, ingéniofiſſimè molitur. Intra ipſos igitur muros, factiones & turbas excitat, in falſas & hæreticas opiniones incolas diſpeſcens, id ſecum malitioſè meditans, regnum & vrbem in ſeſe diviſam, oppidò corruituram. Sed qui cingit vrbem, Deus maximus, idem intra mœnia cuſtos vigilantiſſimus, paternam ſuorũ curam agit, ne erroneis opinionibus abrepti, pereant. *Suam quoque* vtilitatem & commodum habent peregrinæ opiniones, quibus veri cives, *ne otio torpeſcant excitantur*, & ad *ſcrutandum ſcripturas* ita accenduntur, inflammanturque, vt nulla vnquam hæreſis exorta ſit, cuius occaſione, non aliquis inſignis fidei Articulus pulcerrimè expolitus & illuſtratus fuerit. Quæ ſanè ineffabilis vtilitas, omnes diſputationum, cum hæreticis inſtituẽdarum moleſtias largiter compenſat: Cùm fraudibus ac dolis Satanæ, muros civitatis altiores eſſe quotidiè experiamur. Nam quos intendit fines, ille neutiquam aſſequitur, & licet turbas miſceat, Eccleſiam tamen non evertit.

Hæreſeon vtilitas.

Omnibus hominibus ad Eccleſiam aditus patet.

Tertiò (in hoc meditationis membro) etiam civitatis *portas* contemplandum, quas per vrbis circuitum ita tributas videmus, vt adverſus ſingulas orbis partes tres numero pateant. Hoc ordine: Ad *Septentrionem* patent, porta *Ruben, Iuda, Levi*, Ezech. 48, v. 31. Ad *ortum*, porta *Ioſeph*, *Beniamin*, *Dan*. Ibidem verſ. 32. Ad *Meridiem*, porta *Simeon, Iſſaſchar, Sebulon*. verſ. 33. Ad *occaſum* denique porta *Gad, Aſſer*, *Nephthali*, verſ. 34. Vnde manifeſtum evadit, hanc civitatem, non tantùm ex omnibus partibus *faciles*, ſed *numero quoque æquales* acceſſus habere. Totidem namque ab ortu, quot ab occaſu: totidem à meridie, quot à Septentrione portæ ſpectantur. Iſtud verò quid aliud ſit, quàm Eccleſiæ gremium omnibus omninò populis ac gentibus, omnibusque omnium populorum ac gentium hominibus, ſine omni perſonarum diſcrimine patulum eſſe? Omnium enim hominum ſalutis, hominum amator Deus avarus eſt. Quam voluntatem, atque deſiderium ſuum, iam inde à priſcis temporibus primævis populi Hebræi Patriarchis revelavit, dum Abrahamo in hæc verba loquitur, Geneſ. 12. 3. *In te benedicentur* vniverſæ *cognationes terræ*: Et repetito: *In ſemine tuo benedicentur* omnes *gentes terræ*. Et apud Eſaiam prægnantibus verbis: *Reſpicite ad me & ſalvi eritis* omnes fines *terræ*. Et adhuc etiam iuramenti pondere gravioribus apud Ezechielem: *Vivo ego, non delector morte morientis Impij, ſed vt convertatur impius à via ſua mala & vivat. Convertimini, convertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini Domus Iſraël.* Quibus certè verbis, Dominus & conditor, Rectorque ſanctiſſimus civitatis ſanctæ, omnes vbique terrarum & gentium populos, & inter eoſdem, peſſimos etiam atque ſceleratos, qui propter ſcelerum ſuorum iniquitatem & vitæ nequitiam æternùm pereunt, ad ius ciuitatis huius adipiſcendum, paternè invitat & allicit. Et ſi Novi Teſtamenti regimen contemplamur, portæ civitatis huius etiam amplius panduntur, dum Chriſtus diſcipulos ſuos, totum orbem, ad vrbem hanc invitatum allectumque, in vniverſum emittit mundum: adeoque vrbis huius ſanctiſſimæ mœnia, cum ipſa orbis amplitudine dilatat, Eccleſiam ſuam in toto terrarum orbe colligens, eâ ſolâ conditione, vt qui vrbis ſive Eccleſiæ privilegiis gaudere velint, nomina ſua apud vrbis Rectorem, Eccleſiæ Caput, ratione debita profiteantur, ſtatutiſque obediant.

Geneſ. 12. 3.
Ibid. 18. 18.
Eſa. 48. 22.

Ezech. 18. 32. & 33. 12.

Sola Eccleſia omnium civitatum maxima.

Prodeat igitur, qui maria, qui terras, qui veteres novaſq; Inſulas, peregrinando emenſus eſt, qui varios hominum mores & inſtituta cognovit, qui populoſiſſimas vbiq; vrbes, florẽtiſſima ampliſſimaq; regna perreptavit, vbi tàm ampla, tàm probè munita, tanti, tamq; facilis iuris civitas in orbe reperiatur, qualis

Digitized by Google

qualis eſt civitas hæc noſtri Ezechielis, *Eccleſia* nimirùm *Chriſtiana*, Eccleſia
Catholica, iiſdem cum orbis finibus ampliata, & omnibus omninò homini-
bus, qui cives eſſe cupiunt, jure communi patens.

Deteſtandum igitur, & ad orcum (*vnde funeſta origine exortum eſt*) remit-
tendum Calvinianum dogma, de *abſoluto decreto reprobationis*, quo maximam
hominum partem, ex hac beata & cœleſti civitate proſcribunt adeóque por-
tas Eccleſiæ & cœleſtis huius Hieruſalem, quas omnibus omninò hominibus,
vndecunque adventantibus, patere contuemur, nefario auſu occludunt: Id
quod nihil aliud eſt, quàm hoſtili manu hanc ſacratiſſimam vrbem invadere,
vallis cingere & aggeribus actis aditum prohibere iis, quos cõditor & Rex vr-
bis, vndique locorum advocatos, intromiſſos, & jure civitatis, omniumque
privilegiorum communione donatos & exornatos cupit. Quam ſacrilegam
violentiam, non dubitandum Dominum peſſimis olim exemplis vindicatu-
rum eſſe. Sed, quod ampliùs, & modis omnibus magis deteſtandum eſt, ea-
dem Calviniana factio, non tantùm plurimos mortalium, ſuo reprobatio-
nis aggere Hieroſolymitanis portis repellunt, ſed quaſi exigua & tenuis hæc
contumelia ſit, in ipſum quoque Regem extremè ſunt iniurioſi. Hunc enim,
multis cœleſtium ſpirituum myriadibus ſtipatum, in medio Prophetarum &
Apoſtolorum Choro, ad ſanctę civitatis portas conſiſtentem, blandiſſima vo-
ce omnes gentes ac populos invitantem, & allicientem omnibus atque o-
mnia civitatis jura *regia fide* pollicitantem, pleno ore collaudant, ſed de eo-
dem ipſo fingunt, quòd maximam eorum partem, vel nolit intromittere, vel
intra ipſos etiam civitatis muros admiſſos, neque libertate tamen civium, ne-
que muneribus, neque gratia vlla dignari, ſed iam tanquam carcere conclu-
ſos, miſerè enecare, & æternis ſuppliciis mactare velit. Sic enim *Paræus* de Rettung Rewſtat-
iucundiſſima illa invitatione Salvatoris apud Matth. 11. 28. *Chriſtum quidem* tiſcher Bibel p. 103.
vocare omnes, fidem & pœnitentiam præcipere omnibus, eorumq́; delectari obſequiis,
quamquam noverit, patrem illis, neque fidem, neque pœnitentiam *largiri*
velle. Beza, Dominum & Regem vrbis, in adultis (illudendis ſcilicet) duas, *Beza. vol. 1. tract.*
easque diverſas rationes obſervare tradit. *Quoſdam enim*, ait, *ne hac quidam* *Theolog. pag. 190.*
gratia dignatur Deus, vt vel de Chriſto, in quo vno ſalus eſt; quicquam prorſus au- *Aphoriſ. 3. & 4.*
diant, *ſed eos viis ſuis ingredi ſinit, & ad certum exitium contendere, &c. Quorundam*
verò gravior (inquit) *eſt caſus, eorum videlicet, quos externa quidem prædicatione*
dignatur, ſed qui vocati, nec volunt, nec etiam poſſunt reſpondere, &c. Quibus etiam
non datum eſt *veritatis ſpiritum amplecti, & credere. Poſtremò* (inquit) *qui ſunt* *Aphoriſ. 6. & 7.*
omnium infeliciſſimi, ALTIVS etiam conſcendunt, vt GRAVIVS *pag. 192.*
ruant.

Huc enim cuiuſdam gratiæ munere provehuntur, vt etiam aliquatenus commove- *Horrendum dictu,*
antur ad donum cœleſte deguſtandum. Adeò, vt ad tempus, recepto ſemine, videan- *auditu deſpera-*
tur *in Eccleſia Dei plantati, atque etiam aliis iter ad ſalutem oſtendant. Sed hoc con-* *tum.*
ſtat, ſpiritum illum adoptionis, quem proprium *eſſe diximus illorum*, qui nunquam
eiiciuntur *forâs, quiq́; in* arcano *populi Dei perſcripti ſunt*, nunquam cũ illis com-
municari. *Nam ſi ex electis eſſent, cum electis vtique permanerent.* Hactenus Be-
zæ verba: Ex quibus, ſicut etiam ex Parei liquidò conſtat: Dominum quidem,
ſecundum damnata Calvinianorum βδελύγματος, magnam incolarum partem,
blandiſſimis vocationis verbis invitare, advocare, promiſſis allicere, & quibuſ-
dam gratiæ muneribus aliquatenus evehere, vt graviùs labantur. *Iſtud qui-* *Calvinus Inſtit.*
dem (inquit Calvinus) *in quæſtionem trahi non poteſt, multis verbum ſuum Domi-* *lib. 3. cap. 24.*
num mittere, quorum cæcitatem magis velit aggravari. Et adducto vaticinio Eſaiæ *ſect. 13.*
cap. 6. 9. quod eſt de futuro contemptu populi Hebræi: hæc vel auditu hor-
renda verba ſubiungit: *Ecce vocem ad eos dirigit, ſed vt magis obſurdeſcant, lucem*
accendit, ſed vt reddantur cæciores, doctrinam profert, ſed quia magis obſtupeſcant: re-
medium adhibet, ſed ne ſanentur. Et mox: *Neque hoc quoque* (inquit) *controverti*

 poteſt.

poteſt, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam ſuam, ænigmatibus involutam tradere, ne quid inde proficiãt, niſi vt in maiorem hebetudinem *tradantur.* Hęc ille. Quis es autem cordatus homo? Quis es ſanctitatis & veritatis cœleſtis Regis, Regis Hieroſolymarum pius admirator & cultor? Quis es Chriſti Redemptoris & Salvatoris tui obſervans & amans cliens? qui hæc tam impia & blaſphema dogmata, ſine horrore, & execranda deteſtatione audire poſſis? Quòd videlicet Rex ſanctæ civitatis, omnibus quidem hominibus portas pandat, Regijs additis, ijsque juramenti religione firmatis promiſſis: tacitum autem maligno pectore Decretum occultet, de plurimis *prorſus* non admittendis, & de intromiſſis quoque non paucis captivandis, torquendis, & æternis miſerè mactandis ſupplicijs. Quorum reſpectu, quid aliud ſit hæc ſancta noſtri Ezechielis civitas, quàm *ſpelunca* latronum? quam *Arx* hypocriſeos vanitatis & inauditæ perfidiæ? qua Rex irriſor hominum, miſeros & incautos mortales, alliciat, reijciat, ſpe vana lactet, & promiſſis deceptos, æternis miſerijs induat & perdat. O deteſtanda & æternũ maledicta dogmata, quæ ſanctiſſimum Deum noſtrum, hominum amatorem & ſanctiſſimæ huius civitatis, miſericordiæ, clementiæ & veritatis laudibus celebratiſſimum Principẽ, tàm nefandis, & cumulatè ingeſtis blaſphemijs, nefariè proſcindunt, lacerant. *Deus noſter ſanctus eſt, miſericors eſt, verax eſt, à ſeculis, in ſecula.* Quæcunque igitur alijs ipſum gravant ſuſpicionibus, maledicta ſunt, æternum deteſtanda & damnata dogmata.

Blaſphemia & deſperata Calviniani dogmatis.

Levitis etiam credere neceſſe eſt, ſi ſalvari velint.

Quartò, non prætereundum eſt, ipſis quoque Levitis peculiarem portam, inter portas civitatis attributam eſſe. Ezech. 48.31. Quod ideo notandum, vt appareat veritas Axiomatis: *Extra Eccleſiam nullam eſſe ſperandam ſalutem.* Quanquam enim Levitæ, cultui ſacro deſtinati ſint, niſi tamen & ipſi incolę ſint ſanctæ civitatis; beneficiorum & privilegiorum eiuſdem non ſunt participes. Hoc eſt, niſi miniſtri Eccleſiæ, & ipſi ſint veri cives & membra Eccleſiæ; licet alios, viam veritatis edoceant, non tamen ſalvabuntur. Ideoque & *ipſis* porta civitatis panditur. Qua de re Paulus ita loquitur: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Id quod Levitis, hoc eſt, omnib. Eccleſiæ miniſtris, exhortàtioni & ſtudio eſſe debet, vt in omni ſuo & officio degendo & reliquâ vitâ tranſigenda, ſic verſentur, ne exiſtiment, conciones ſuas, & omnia verbi divini præcepta, ad ſolos auditores pertinere, ſibi vivendi conceſſam libertatem. Quin verò noverint Levitæ, ſe primùm & ad fidem & ad obedientiam obligari: vt quod verbo alios edocent, ipſi factis exprimant. *Exemplum eſto fidelium, in verbo, in converſatione, in ſpiritu, in fide, in caſtitate.* Et mox: *Attende tibi & doctrinæ, perſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvũ facies, & eos, qui te audiunt.* Quemadmodum igitur, Dei genitrix beatiſſima virgo Maria, licet peperiſſet mundi Salvatorem, & Simeon, licet vlnis excepiſſet, ſalvati non fuiſſent, niſi eundem fide vera ſuſcepiſſent: Ita Levitæ, hoc eſt, verbi divini miniſtri, Eccleſiæ bonis, quæ alijs ex divinis promiſſionibus & Chriſti merito commendant, non fruerentur, niſi Eccleſiæ inſerti, cum civibus veris adſcriberentur. Hæc ſit meditatio de porta Levitarum.

1. Cor. 9. 27.

1 Timoth. 4. 12.

Ibidem v. 16.

DE NOMINE VRBIS.

De nomine Civitatis.

IEHOVA IBI.

Poſtremò aliquid etiam meditandum eſt, de nomine vrbis, quam demonſtrator noſtri Prophetæ appellitat יְהוָה שָׁמָּה, hoc eſt, Dominus ibi. Ezech, 48. verſ. vlt. Hæc autem civitas Prophetica (*vt alibi meminimus*) & militantis & triumphantis Eccleſiæ typus & pictura eſt. Nos jam vt Typum militantis contuemur. Dignum igitur eſt, vt hoc auguſtiſſimum nomen, diligentius excutiamus.

Vocatur

Digitized by Google

Vocatur Civitas יְהוָה שָׁמָּה *Dominus ibi.* Vbi primum omnium ſciendum: Nomen hoc IEHOVA, eſſe nomen *proprium* & *Eſſentiale* Dei, quod ipſas Dei proprietates & eſſentiam exprimat. Nam à verbo הָיָה deductum (quod *fuit* ſignificat) in hac derivata ſua forma יְהוָה omnia tempora, *præteritum* ſcil. *præſens* ac *futurum* deſignat. Nam הָיָה terminatio *præteriti* eſt: Sed ה eſt ſyllaba prior participij *præſentis* הֹוֶה: Iod Schevatū deniq; augmētalis *futuri*, vt notū eſt ex grammaticis. Quibus omnibus combinatis fit יְהוָה, quaſi dicas, Deus eſt ens per ſe exiſtens *ſempiternum*, qui *fuit*, qui *eſt*, qui *erit* à ſeculo in ſeculum. Apocalypſis igitur, interpretationem huius nominis eleganter exprimit, dum capite primo ita Eccleſias ſalutat: *Gratia vobis & pax ab eo*, qui *eſt*, qui *erat*, & qui *venturus* eſt: hoc eſt, à Iehova, qui *fuit, eſt & erit* in ſempiternum. Eandem eſſentiam ſempiternam, expreſſit IEHOVA ipſe, quum nomen ſuum indicaturus Moſi, dicit, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה. *Ero qui ero.* Et rurſus: Sic dices filijs Iſraël, אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם *Ero miſit me ad vos.* Nam qui ſempiternus eſt, nunquam mutatur. Vnde apud Malachiam Dominus: *Ego Dominus, & non mutor*, Malach. 3. 6. Et David Pſalm. 102. 27. *Cæli peribunt, tu autem permanes.* Deus igitur, qui æternum & ſtabile ens eſt, dicit nomen ſuum eſſe אֶהְיֶה *Ero*, vel *ſemper idem.* Quæ omnia nomen Iehova complectitur. Hæc ſciunt & confitentur Iudæi. Ideoque hoc nomen Dei eſſentiale, *κατ᾽ ἐξοχὴν* vocant, nomen שֵׁם vel הַשֵּׁם quaſi *excellens, nobile & illuſtre*, inter reliqua omnia nomina Dei. Vocant nomen *magnum*, nomen *glorioſum* שֵׁם הַנִּכְבָּד: Nomen *proprium* vel *adunatum* שֵׁם הַמְּיוּחָד: Nomen *ſeparatum* vel *explicatum* שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ hoc eſt, ab alijs nominibus ſeparatum, & peculiaribus modis explicatum.

Nomen Iehova, eſt Deo proprium & eſſentiale.

Nomen Iehova vnde

יְהוָה

IEHOVA quid ſignificet

Exod. 3. 14.
Ibid.

Iehova nomen Dei.

Porrò, quia admirabile & magnum eſt hoc nomen Dei, quod propter *ſingulares expoſitiones* Hebr. שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ dicitur, operæ pretium eſt, quales illæ ſint expoſitiones, paulò altius repetamus. Id verò vix aliūde melius, quàm ex P. Galatino poſſumus. Is lib. 2. de Arcanis Cathol. veritatis, c. 10. ita cōmentatur: *quoniā de nomine Dei* יְהוָה *& Talmudiſtæ & Cabaliſtæ admodū mirāda ſenſerunt. Quare ne ipſe plura dicam, ea duntaxat referam, quæ & Rabbenus Haccadosh* רַבֵּינוּ הַקָּדוֹשׁ & *Rabbi Moſes filius Maimonis dicunt. Nam Rabbenus quidem Haccadosh, qui latinè, Doctor noſter ſanctus interpretatur, in libro, quem* גַּלֵּי רָזַיָּא *Gale razea, hoc eſt, revelatorem ſecretorum nuncupavit, interrogatus ab Antonino*, Conſule Vrbis Romanæ, *de huiuſce nominis ſignificatu, multa, valdè mira dixit. Cuius verba refert, Rabbi Nehumias Haccanæ filius, in Epiſtola ſecretorum, ad filium ſuum Haccanam ſcripta, quam Hebræi* אִגֶּרֶת הַסּוֹדוֹת, hoc eſt Epiſtolam ſecretorum *vocant, ſic dicens: Quæſivit aliquando* Antoninus, Conſul Vrbis Romanæ, *à Rabbeno Haccados, vt eum de veritate inſtrueret. eius videlicet, quod ſignat nomen quatuor literarum, & nomen duodecim literarum, & nomen quadraginta duarum literarum.* Reſponſio. *Quod petis te de veritate informari, eius ſcilicet, quod demonſtrat nomen* quatuor, *nomen* duodecim, & *nomen* quadraginta duarum *literarum: notum tibi facio, hæc eſſe Arcana divina, quæ omnes homines clàm eſſe debent. Veruntamen, quia te ex ſcholaſticis, benemeritum eſſe cognoſco, conſentaneumq́; rationi eſt, detegere illis huiuſmodi res, quoniam huiuſce generis hominibus haudquaquam occultanda ſunt talia. Idcircò notum tibi facio:* Deum non habere nomen, *cuius nos cognitionem habere poſſimus. Quandoquidem eius ſubſtantia eſt nomen ipſius & ècontra. Et quemadmodum eius ſubſtantiæ notitiam nullam habere poſſumus (quoniam ea cognita, ei ſimiles efficeremur) ita ſui nominis cognitionem habere* nequimus. *Nihilominus omnia eius nomina ſunt attributiva. Et quia nomen* quatuor literarum, *operationibus eius peculiarius eſt, oſtenditq́; eius notitiam* perfectiorem, *& illi accommodatiorem, prout nobis eſt poſſibile* captu: Et ex hoc *procedunt omnia eius nomina. Ideo hoc nomen dictum eſt* שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ *non quod ipſum ſit nomen eius ſubſtantiale:* ſed nos id dicimus, *quoniam hoc eſt, quantum*

Expoſitiones nominis Iehovæ ex Petro Galatino.

Antonini ... expoſitio ...

Rabbeni ... Reſp. ...

noſtra facultas comprehendere poteſt, & altius aſcendere non poſſumus. *Notare autem debes, nomen* XII. *nomenq́;* XLII. *literarum, non eſſe nomina, quorum vnumquodq́; duodecim literis conſtet, aut quadraginta duabus ſed quodlibet eorum, ſunt verba diverſa, quæ vnum oſtendunt.* Hactenus verba R. Nechumiæ, ex reſponſo Rabbenu Haccadosh, quod dedit conſuli Antonino.

Explicatio Reſponſi Rabbenu Haccadosh.

I. Proprium Dei nomen non novimus.

Ex quibus verbis, hæc ordine notanda ſunt: *Primum*, nullum proprie Dei nomen eſſe, quod eſſentiam eius, nobis in hac vitæ humanæ caligine verſantibus, *perfectè* exprimat. Tunc enim nomen Dei perfectè noverimus, cum ipſum, quis, & qualis eſt, *de facie ad faciem* contemplabimur. Quia vero iam etiam, dum in imperfectione verſamur, & alia, & hoc cum primis magnum ſuum & proprium nomen, in ſcripturis nobis revelavit Deus, merito illud *colimus, admiramur, & veneramur.*

II. In nomine Iehova multa myſteria latent.

Secundo, Rabbenus Haccadosh claris verbis exprimit, in nomine Dei plurima maximaque *myſteria* abſcondita eſſe: Id quod nemini pio dubium aut obſcurum eſſe poteſt. Quæcunque enim in divinitate *myſteria atq́; arcana* ſunt, illa per nomen Dei, quantum in hac noſtræ cognitionis infirmitate fieri poteſt, inſinuantur. Et ſanè quomodo ſimplicitatem, perfectionem, & æternitatem divinæ eſſentiæ, nomen *Iehova* deſcribat, iam in ſuperioribus pauciſſimis delineatum eſt. Quomodo etiam Trinitatis myſterium in eodem lateat, id alij cumprimis, etiam Galatinus pluribus explicat. Nos in præſentia non perſequemur copioſius.

III. Solum nomen Iehova, ſoli Deo maximè proprium.

Tertio notandum, quod inter omnia alia nomina Dei, quæ ab effectis divinis ſumpta, communicativa ſunt cum creaturis, hoc ſolum nomen IEHOVA, eſt Deo ſoli proprium & accommodatum, maximè dicit enim Rabbenus Haccadosh, omnia nomina Dei eſſe attributiva. Nomen autem, *quatuor literarum*, operationibus Dei dicit eſſe peculiarius, & oſtendere notitiam eius *perfectiorem* & accommodatiorem. Quibus concordant, quæ Galatinus ibidem loci, ex Rabbi Moſe Ægyptio citat, & ſic habent:

Rabbi Moſes Ægyptius.

Omnia nomina Creatoris in libris omnibus inventa, ab effectis derivata ſunt: præter vnum nomen, quod eſt יְהֹוָה *Et eſt nomen appropriatum Creatori altiſſimo.* Et paulò poſt: *Nominis, quod ſcribitur* quatuor literis יְהֹוָה *neſcitur derivatio nota, nec ipſum cum aliquo participat. Et non eſt dubium quod hoc nomen glorioſum quod non profertur, neq́; pronunciatur, niſi ſcribatur*, niſi in ſanctuario à Sacerdotibus *Domini ſanctificatis, & ſolum in benedictione Sacerdotum, & tùm etiam* à Sacerdote magno, *& in die ieiunij, & horis ſanctificationis: eſt nomen illud, in quo non eſt participatio inter Creatorem, & aliquid aliud. Breviter autem dico, quod celſitudo atq́; excellentia huius nominis, ideo reputatur, & cavetur ne loquatur aliquis per ipſum,* cautela magna & terribili; *quia ſignificat Creatoris* ſubſtantiam atque eſſentiam: *ita, quod nulla Creatura communicat cum eo, in ſignificatione illa. Quemadmodum aſſeverant Magiſtri noſtri, in perſona Dei, dicentes:* Nomen meum eſt vnicum *vel appropriatum mihi*. Hactenus Rabbi *Moſes*:

Hebræis, non licebat, niſi in ſanctuario Sacerdotibus, nomen IEHOVA proferre.

Nomen IEHOVA nulli vnquam Creaturæ tribuitur.

Zachar. 14. 9.

Et in mox ſequentibus, citat in probationem huius locum Zachariæ cap. 14. verſ. 9. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יְהֹוָה אֶחָד וּשְׁמוֹ אֶחָד, hoc eſt, *in die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.* Certum igitur eſt, tum ſecundum Rabbenum Haccadosh, tum ſecundum alios, nomen *quatuor literarum* יְהֹוָה ſoli Deo Creatori, proprium, adunatum & appropriatum eſſe, nec vlli vnquam tribui Creaturæ. Hinc Dominus ipſe apud Eſaiam cap. 42. v. 8. ita loquitur: אֲנִי יְהֹוָה הוּא שְׁמִי : *Ego Iehova*, hoc nomen meum eſt.

Iſai. 42. 8.

IV. Nominis IEHOVA aliæ expoſitiones fuerunt.

Quarto, in ſupra citatis verbis Rabbeni Haccadosh, amplius hoc eſt notandum, huius nominis quatuor literarum יְהֹוָה alias fuiſſe apud Hebræos expoſitiones, quæ myſteria, glorioſo illo nomine comprehenſa, diluciditer explicarunt. Ideoque nomen יְהֹוָה dictum eſt שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ, hoc eſt, *nomen explicatum*, ſive expoſitum: quod illud *quatuor* literarum nomen alijs nominibus *plurium* literarum, explicaretur & exponeretur.

Quintò,

Quintò. Fuerunt autem nominis Iehova, duæ expoſitiones: altera per nomen XII. literarum: altera per nomen XLII. literarum. De quibus expoſitionibus *ita publicè* conſtabat, vt de illis Rabbenum Haccadosh etiam *Antoninus Conſul Romanus* percontaretur, vti ex ſuperioribus citatis omnibus apertum & planum eſt. Lubet autem hoc loco etiam citare *R. Chiskiam*, qui in annotationibus ſuis marginalibus ad *caput tertium Exodi*, horum omnium etiam claram & apertam facit mentionem, dum in hęc verba commentatur: Nomen *quatuor* literarum Deus tradidit Moſi: poſtea ipſi dixit, *ito & congregato omnes* ſeniores Iſraëlis, *& dic eis*, יְהוָה *Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, &c.* Exod. 3. v. 16. *Vnde diſcimus* (inquit Chiskia) *non fuiſſe traditum ac revelatum nomen tetragrammaton, niſi* ſenioribus *iſtius ſeculi.* verſ. 14. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *bis ſcriptum* אֶהְיֶה *continet* in numeratione XLII. *ad indicandum, quòd tradiderit etiam Moſi nomen* quadraginta duarum *literarum.* verſ. 15. זֶה שְּׁמִי hoc eſt nomen meum. זֶה *facit* XII. *quo docemur, Deum docuiſſe ipſum quoq; nomen duodecim literarum.* Hactenus R. Chiskias. Conſtat igit:r de expoſitionibus nominis quatuor literarum: quòd *altera* fuerit nomen XII. *Altera* nomen XLII. literarum.

V. Altera, per XII. altera per XLII. literarum nomina.

R. Chiskia.

Sextò, nec tamen exiſtimandum eſt, hæc tot literarum nomina, fuiſſe ſingula vnica, hoc eſt, ſingula & vnica tot literis conſtitiſſe. Alterum vnicum XII. literis. Alterum ſimiliter vnicum literis XLII. Hæc enim haud abſimilia forent illi confic̄to proprio ruſtici, qui ſe *Tityromenalcodameto Corydonis Corydonem* appellavit. Sed ita intelligendum eſt iſtas duas explicationes, ſingulas, plures quidē habere voces, quarum tamen literæ in vnum collectæ, alterius faciant XII. alterius XLII. literas. Et quanquam pluribus atq; diverſis conſtent vocibus, illud tamen, quaſi vnicum eſſet, nomen *duodecim*, ſimiliter & hoc, quaſi & ipſum eſſet vnicum, nomen *quadraginta* duarum literarum appellari. Sic enim inter reliqua reſpondet Rabbenus Haccadosh Antonino. Notare autem debes, nomen XII. nomenque XLII. literarum, non eſſe nomina, quorum *vnumquodq;* verbum XII. aut XLII. literis conſtet, *ſed quolibet eorum ſunt verba diverſa, quæ vnum oſtendunt.* Quæ verba ſupra citata ſunt.

VI. Quid per nomina 12. & 42. literarum intelligatur.

DE EXPOSITIONE SIVE NOMINE XII. literarum.

Iam inquirendum eſt, quænam ſint illa duo nomina expoſitiva, quibus nomen quatuor literarum, videlicet שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ clarius explicatur. Ea de re Rabbenus Haccadosh, in citato libro, qui גלי רזיא Gale razeya, hoc eſt, revelator arcanorum inſcribitur, amplius ita commentatur: *Poſtquam autem hoc tibi aperui, animadverte, nomen quatuor literarum, prout ſcriptio eius eſt (Sic enim ſcribitur in lingua noſtra Hebraica* יהוה*) Deum generantem ſignificare. Et quia non poteſt eſſe generans abſque generato: neceſſario amor à generante in generatum, & è converſo procedere debet. Quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret. Et ſi non procederet amor à generato in generantem, diſtinguereturq; generatus à generante, duæ ſubſtantiæ eſſent. Propterea nos volumus generantem & generatum vnam eſſe ſubſtantiam. Idcircò neceſſe eſt, ex altero in alterum procedere amorem. Propterea ex hoc Schem Hamphoras, derivatum eſt nomen duodecim literarum. Eſtq;* אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ, *hoc eſt, Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Quæ in lingua noſtra Hebraica XII. literis ſcribuntur:* Hactenus Rabbenus Haccadosh.

Expoſitio nominis XII. literarum Rabbenu Haccadosh.

In quibus verbis notandum eſt:] Veteres Hebræos orthodoxè ſecundum Scripturas, non niſi *vnum eſſentia* Deum crediſſe. Dicit enim Rabbenus Haccadosh: Si diſtingueretur generatus à generante (ſcilicet eſſentialiter) *duæ eſſent ſubſtantiæ.* Reprobrat igitur eſſentiæ pluralitatem. Et rurſus ait: Nos volumus generantem & generatum *vnam eſſe ſubſtantiam.* Quæ omnia orthodoxa, & ſcripturis ſanctis concordia ſunt, Deuteronom. cap. 6. verſ. 4. Audi

Explicatio verborum Rabbenu Haccadosh.

I. Veteres Hebræi recte ſenſerunt de eſſentia divina vnitate.

Digitized by Google

Audi Iſraël, Iehova Deus noſter, Iehova vnus eſt. Quam ipſam etiam ob cauſam, nomen hoc X I I. literarum, licet pluribus vocibus conſtet, nomen tamen dicitur vnum, ad eſſentiæ divinæ vnitatem denotandum, quod ipſum etiam de nomine X L I I. literarum intelligendum eſt.

I I. Rectè etiam ſenſerunt de perſonarum Trinitate.

Licet autem Rabbenus Haccadosh, vnitatem eſſentiæ ſtatuat, in illa tamen eſſentia vna, plures credit eſſe perſonas. *Primùm* enim dicit, nomen quatuor literarum ſignificare *generantem*: mox infert, non poſſe eſſe generantem ſine *generato*, hoc eſt, patrem ſine filio, ſic duas habet divinitatis perſonas. Et amplius addit, ex generante procedere amorem in generatum, & viciſſim, qui amor patris & filij, eſt *Spiritus ſanctus*. Dicit igitur, ex hac expoſitione, natum eſſe nomen XII. literarum, quod eſt: אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ, hoc eſt, *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.*

I I I. Rectè de differentiis Characteriſticis.

In iiſdem porrò verbis notandi etiam ſunt, trium perſonarum Characteres ſive *differentiæ hypoſtaticæ*. Nam *Pater* à nullo eſt, neque factus, neque genitus, neque productus, ſed *generans*. *Filius* à patre ſolo eſt, neque factus, neque productus, ſed *genitus*. *Spiritus* à Patre & Filio eſt, neque factus (ſive creatus) neque genitus, ſed ab vtroque *procedens*. Expreſſè namque Rabbenus Haccadosh, mentionem facit *Generantis, Generati*, & vtrinque *procedentis amoris*. Eleganter autem & piè Spiritus ſanctus, qui patris filijq; Spiritus eſt, patris & filij *Amor* dicitur: ſive ſacroſanctæ Trinitatis perſonas intra ſeſe, ſive reſpectu creaturarum conſideremus. Quos enim amant, Pater & Filius, fideles nimirùm & credentes in mundo, iiſdem Spiritum ſuum ſanctum, cum præſtantiſſimis
Ioelis 2.28. mirandiſq; donis ſuis communicant. Secundum illud Ioelis: *Et erit poſthæc,*
Actor.2.17. *effundam Spiritũ meum ſuper omnem carnẽ, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabũt, & iuuenes veſtri videbũt viſiones. Sed & ſuper ſeruos meos, & ancillas meas, in diebus illis effundam Spiritũ meum.* Secundũ promiſſionem Sal-
Iohan.16.8. vatoris. *Cùm abiero, mittam ad vos paracletũ.* Ioh.16.8. Hinc vocatur Spiritus Dei,
Rom.8.v.9.10. & Spiritus Chriſti, Rom.8.v.9.10. *Vos non eſtis in carne, ſed in Spiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt eius.* Et
Galat.4.6. Galat.4.v.6. *Deus miſit Spiritum* filij ſui, *in corda veſtra, clamantem Abba pater.* Et
Rom.8.15. hinc vocatur *Spiritus adoptionis*, Rom.8.15. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater.* Vocatur pignus
2.Corinth.1.22. ſeu Arrhabo, 2. Corinth.1.22. *Deus ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Idem repetitur, 2. Corinth.5.5. Quiſquis igitur Spiritum ſanctum ha-
2. Corinth. 5.5. bet, is pignus, ſigillum & Arrhabonem habet, *amoris Patris & Filij.* Rectiſſimè igitur & pijſſimè, Rabbenus Haccadosh, Spiritum ſanctum, Patris filijq; appellat *Amorem.* Quem enim amat Pater & Filius, eidem donant Spiritum ſanctum. Et viciſſim, qui Spiritum ſanctum habent, illi & Patrem & Filium a-
1.Corinth. 12.3. mant. Quod ipſum illud eſt, quod Paulus habet: *Notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit Anathema Ieſum. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.*

IV. Genuinus ſenſus nominis X I I. literarum.

Tandem peculiariter hoc loco notandum eſt, hoc nomen X I I. literarum conſtare ſibi, ſive poſtremam vocem *adiectivè*, ſive *ſubſtantivè* accipiamus: hoc eſt, ſive, הַקָּדֹשׁ hoc eſt, ſanctus, ſive הַקֹּדֶשׁ, hoc eſt, ſanctitas legamus, vt ſit, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; vel Pater, Filius & Spiritus *ſanctitatis*. Vtraque enim Lectio totidem habet literas: Et ſicut literarum numerus, ita nec ſenſus, alterutrâ variatur. Eſt idem duodenarius, eſt idem ſenſus. Hactenus de nomine XII. literarum, ſequitur de nomine X L I I. literarum.

DE EXPOSITIONE SEV NOmine XLII. Literarum.

Altera expoſitio nominis יהוה ſeu שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ eſt literarum XLII.

De

De illo Rabbenus Haccadosh, ad Antoninum Conſulem ita pergit commentari: *Quoniam autem non invenitur aliquid in Deo, quod non ſit Deus, ex nomine duodecim* literarum, *emanat nomen* XLII. literarum, *quod eſt:* אָב אֱלֹהִים בֵּן אֱלֹהִים רוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֱלֹהִים שְׁלֹשָׁה בְּאֶחָד אֶחָד בִּשְׁלֹשָׁה. Hoc eſt: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus: Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate. Quæ in Hebraico ſunt* XLII. literæ. *Notare autem debebis, hæc nomina eſſe ex divinis arcanis, quæ à quocunque occultari debent, quouſque veniat Meſſias, Iuſtus noſter. Illa tibi pateſeci, tu autem ea fortiter occule.* Hæc Rabbenus ille Haccadosh.

Expoſitio nominis XLII. literarum. Galat. de arcan. Cathol. veritatis lib. 2. cap. 10. (vel 11. nam turbatus eſt numerus.)

In quibus Rabbeni Haccadosh verbis, rurſus quædam ſingulariter *notabilia* animadvertenda ſunt.

Explicatio verborum Rabbenu Haccadosh.

I. Veteres Hebræi rectè ſenſerunt de Æqualitate perſonarum in divinitate.

Sicut Trinitatem perſonarum in divinitate orthodoxè ſtatuerunt priſci Hebræi, exponentes illud myſterium per nomen XII. literarũ אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus*: ita quoque *æqualitatem* perſonarum, in eâdem divinitate, rectè crediderunt. Sic enim habet expoſitio hæc XLII. literarum: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus.* Et rationem aſſignat Rabbenus Haccadosh: Quia nihil eſt in divinitate, quod non ſit Deus, ſequitur cùm tres ſint in divinitate perſonæ, vnumquamq; illarum eſſe verum Deum.

II. Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate.

Licet autem nomen hoc XLII. literarum, ſingulas perſonas verum Deum eſſe dilucidè exponat, nihilominus tamen, in eadem illa *Trinitate*, ipſius Eſſentiæ *vnitatem*, non minore claritate exprimit ita ſonans: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, *Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate*.

III. Quæ omnia ſcripturis ſunt conſentanea.

Tertiò obſervandum hanc XLII. literarum expoſitionem, ſcripturis divinis, per omnia eſſe conſentaneam. Nam Deus eſſentiâ vnus, perſonis Trinus, in ſcripturis ſanctis eſt revelatus. *De vnitate*, prçſtans admodũ, & inſigniter nobile Teſtimoniũ eſt, illud Deut. 6. v. 4. שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהֹוָה אֱלֹהֵינוּ יְהֹוָה אֶחָד: אֶחָד: *Audi Iſraël, Iehova Deus noſter, Iehova* vnus *eſt*. Et illud Eſaiæ inter plura alia: cap. 45. 21. *Nunquid non ego Dominus, non eſt vltra Deus, abſq; me. Deus iuſtus & ſalvans, non eſt* præter me. Et mox ſequenti verſu 22. *Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus & non eſt alius*, cuius generis plura alibi in ſcripturis occurrunt.

Deus vnus Eſſentia.

Trinus in perſonis.

De *Trinitate autem* palmarium eſt illud Cygnæum Davidis, 2. Samuel. 23. v. 2. 3. *Spiritus Domini* loquutus eſt per me, & *ſermo eius* ſuper linguam meam, dixit *Deus Iſraël* mihi: loquutus eſt Petra Iſraël, &c. In quorum priore verſu, trium ſimul perſonarum divinitatis fit mentio: *Domini*, qui eſt Deus pater: *Sermonis*, qui eſt λόγος, Iohanne Evangeliſtâ interprete. Et *Spiritus*. Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius ſuper linguam meã: hoc eſt, Pater, per Filium, in Spiritu ſuo, erudivit animum meum, ad Prophetias & Pſalmos. Has autem tres ὑποστάσεις ſive perſonas, non tres, ſed vnum Deum eſſe, immediatè ſequens verſus dilucidè explicat. Licet enim trium feciſſet mentionẽ, confeſtim tamen ſubiungit, dixit *Deus Iſraël* mihi, locutus eſt petra *Iſraël*, &c. Adeò, vt & perſonarũ *Trinitas*, & eſſentiæ *vnitas* ex pauciſſimis iſtis verbis eluceſcat.

Eſa. 63. v. 7. & ri

Sed dilucidiora ſunt, in hoc Trinitatis & vnitatis myſterio explicando, *verba Eſaiæ* 63. verſ. 7. &c. Miſericordias *Iehovæ* commemorabo, laudes *Iehovæ* pro omnibus quæ contulit nobis *Iehova, &c.* Et v. 8. Et dixit: *Vtiq; populus meus ſunt, Filij non mendaces, ideò fuit illis* ſervator. *In omni anguſtia eorum, ipſi anguſtia fit, & Angelus faciei eius*, ſalvavit *eos*. verſ. 9. *Aſt ipſi rebelles fuerunt, & dolore affecerunt*, Spiritum ſanctitatis eius, &c. Vbi loci primùm omnium obſervandum eſt, in vnico verſu, ſeptimo nimirùm, nomen Iehova *tertiâ vice* ingeminari: quæ ingeminatio, Trinitatem perſonarum inſinuat. Sicut etiam obſervare eſt in Pſalm. 67. v. 7. 8. Benedicat nobis *Deus, Deus* noſter, Benedicat nobis *Deus*. Vbi quidem vox אֱלֹהִים legitur, ſed & ipſa, pro ſingularibus divinitatis perſonis vſurpata, ſæpius occurrit.

Pſalm. 67. v. 7. 8. Vox אֱלֹהִים *pro ſingulis perſonis.*

Deinde

Deinde in hoc dicto amplius obſervandum, quomodo ſingulas perſonas peculiariter deſcribat. *Patrem* paterno deſignat affectu, dixit: Vtique populus meus ſunt, filij non mendaces. Hanc eandem autem Hypoſtaticam differen-
Pſalm.2.v.7. tiam, ad intus conſideratam, planiùs expreſſit Pſalmus 2.v.7. *Iehova dixit ad me,*
Eſa.63.8. *Filius meus es tu, hodie genui te.* Sed pergit Eſaias, & citato verſ.8. deſcribit *ſecun-*
Chriſtus Angelus faciei & Angelus fœderis. *dam perſonam* Trinitatis, quam vocat *Angelum faciei.* Quia Chriſtus eſt Ange-
lus ille fœderis, quem per Prophetas promiſit Dominus, Malach.3.1. *Ecce ego*
Malach.3.1. *miſſurus ſum Angelum meum* (Iohann. Baptiſtam) *ante me, & repentè veniet in Tem-*
plũ ſuũ Dominus, quẽ vos quæritis, & Angelus fœderis, *quo vos delectamini, ecce ven-*
Exod.23.20. *turus eſt, ait Iehova exercituum.* Idem in Exodo quoque *Angelus* vocatur: *Ecce ego*
mitto Angelum *ante te, ad ſervandum te in hac vita, &c.* Non autem Angelum
Exod.13.21. creatum intelligendum eſſe, ex Exod.13.21. patet, vbi idem antecedens Angelus, *Iehova* appellatur. *Iehova antecedit eos, interdiu in columna Nubis, & noctu in columna ignis.* Et *eleganter* Chriſtus Angelus dicitur, quia miſſus eſt ex alto,
Iohan.16.28. ad redimendum genus humanum. *Exivi,* inquit, *à Patre, & veni in mundum: ite-*
Hebr.9.24. *rùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et *Angelus faciei:* quia intravit in ipſum cœlum, *vt appareat nunc vultui Dei* pro nobis, Hebr.9.24. *Tandem* tertiæ perſonæ Trinitatis, expreſſam quoq; mentionem facit in v.9. *Et ipſi rebelles, dolore affecerunt* Spiritum ſanctitatis *eius.* Adeoque clarum & diligenter notandum eſt, hoc Eſaiæ teſtimonium de ſacroſancta Trinitate. Ex his & ſimilibus locis, Veteres orthodoxi Hebræi, myſterium ſuperbenedictæ Trinitatis, hauſerunt, atque inde nomen XLII. literarum produxerunt: אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה: Hoc eſt, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus: Tres in vnitate, & vnitas in Trinitate.* Quod myſterium, non nobiſcum natum, ſed ſolis ſcripturis ſanctis revelatum, acceptum & hauſtum eſt. Et hoc quidem nomen eſt XLII. literarum, ſecundum Rabbenum Haccadosh.

Porrò idem Galatinus libro 3.cap.9. de arcanis Catholicæ veritatis, ſecundum alios Hebræos, aliam quoq; expoſitionem XLII. literarum depromit, quæ ita habet: אב אל בן אל ורוח הקדש אל אבל לא שלשה אלהים כי עם אלהות אחד: Hoc eſt, *Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus: Attamen non tres Dij, ſed vnus Deus.* Quæ literæ in Hebraico vtrobiq; ſunt numero quadraginta duæ.

Vbi loci commodum & dignum eſt, mentionem quoq; facere, expoſitionis vocis משיח, quæ ſimiliter per nomen XLII. literarum exponitur, quæ expoſitio ita habet: כאשר הנפש המשכלת והבשר אדם אחד כך האל והאדם משיח אחד: Hoc eſt: *Quemadmodum anima rationalis & caro, Homo vnus: ita Deus & Homo, Meſſias vnus.* Quæ literæ ſimiliter faciunt numero XLII. Et egregiè congruit expoſitio cum ſymbolo Athanaſiano: *Sicut anima rationalis, & caro, vnus eſt Homo, ita Deus & Homo, vnus eſt Chriſtus.*

IV. Myſteria divina non occultanda. *Sed neq; vltima verba Rabbeni* Haccadosh negligenda ſunt, vbi dicit: *Notare autem debebis, hæc nomina eſſe ex divinis arcanis, quæ à quocunq; occultari debent, quouſque veniat Meſſias iuſtus noſter.* Hæc ille. In quibus ſanè verbis id veriſſimè dictum eſt, quod in expoſitionibus iſtis, ſint arcana divina, & cœleſtium myſteriorum abſtruſiſſimæ profunditates, quas nullius hominis mens aut ratio vnquam complecti poteſt. Sed quod iſthæc ſunt occultanda, id verò ſcripturis ſanctis non concordat. Hoc tamen extra dubium eſt, lucem illam perfectioris cognitionis, Meſſiæ temporibus reſervatam eſſe. De qua abundantia cogni-
Ierem.31.34. tionis illud Ieremiæ loquitur: *Non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum, vſq; ad maximum, ait Dominus.* Hoc eſt, tanta erit cognitio Domini, in N. Teſtam. etiam apud parvulos, quantam in Vet. Teſtam. ſeniores, & omnium doctiſſimi vix habuerunt. Qua de re etiam Salvator loquitur, Iohan.17.verſ.6. *Manifeſtavi*

Digitized by Google

ſeſtavi nomen tuum hominibus. Et rurſus: *Pater iuſte, mundus te non cognovit: Ego autem te cognovi. Et hi cognoverunt, quia tu me miſiſti: Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, quâ dilexiſti me, in eis ſit, & ego in ipſis.* Apertè enim loquutus eſt diſcipulis ſuis, de *Patre ſuo*, de *ſe, Filio Patris*, & de *Spiritu ſancto*. Exempli gratiâ. Iohan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, &c.* Et in eodem cap. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* Iohan. 10. 30. *Ego & pater vnum ſumus*, Iohan. 14. v. 9. 10. *Qui videt me, videt patrem: Quia ego in patre & pater in me eſt.* Quibus verbis & perſonarum *pluralitatem*, & eſſentiæ *vnitatem* clariſſimè expreſſit. Et in poſtremâ ſuâ concione ad diſcipulos habitâ, de Spiritu ſancto aliquoties loquitur: Iohan. 14. 16. *Rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis*, Ibidem v. 26. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et rurſus: Iohan. 15. 26. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et amplius: Iohan. 16. 7. *Mittam ad vos paracletum, &c.* Omnium autem clariſſimè manifeſtavit Salvator, Meſſias, nomen Dei, quando Apoſtolos & prædicatum Evangelium, & adminiſtratum ſacro ſanctum Baptiſma, in totum terrarum orbem ablegans, dicit: *Euntes, docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Omnium denique manifeſtiſſimè revelata & manifeſtata eſt, tota ſacroſancta Trinitas, in Baptiſmate Salvatoris, vbi *Pater* de cœlo loquitur, *Filius* in Iordane baptizatur, *Spiritus ſanctus* in columbæ ſpecie ſupra Chriſtum requieſcit. Matthæi 3. verſ. 16. & 17. cuius θεοφανίας, nullum aliud Exemplum clarius, aut illuſtrius vllibi legitur. Hanc eandem doctrinam & manifeſtationem ſacroſanctæ Trinitatis, ſecundum mandatum Salvatoris, Apoſtoli in totum terrarum orbem divulgârunt, atque hodie per eiuſdem ſacroſanctæ & benedictæ Trinitatis gratiam atque clementiam, publicè in Eccleſijs, ritè conſtitutis, ſonat. De quo myſterio plura vbique in ſcriptis Apoſtolorum extant: ſed ea cumprimis Teſtimonia notanda ſunt, quæ omnium trium perſonarum ſimul faciunt mentionem. Cuius generis eſt illud, 2. Corinth. 13. verſ. 13. Gratia Domini *Ieſu Chriſti*, & Charitas Dei, & communicatio *ſancti Spiritus* ſit cum omnibus vobis. Item Epheſ. 3. *Huius rei gratiâ flecto genua ad* patrem *Domini noſtri* Ieſu Chriſti, *vt det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari*, per Spiritum eius, *in interiore homine.* Et illud, 1. Ioh. 5. v. 7. Tres *ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo*, Pater, verbum, & Spiritus S. Quibus connumerandum illud Pauli ad Romanos: *Quis cognouit ſenſum Domini? Quoniam ex* ipſo, *& per* ipſum, *& in* ipſo *ſunt omnia.* Hoc eſt, ex DEO patre, tanquam Fonte divinitatis per Filium, per quem ſunt omnia, Iohan. 1. 3. In Spiritu ſancto, qui fovet & conſervat omnia.

Iohan. 17. v. 25. & 26.
Iohan. 3. 16.
Iohan. 10. 30.
Iohan. 14. v. 9. 10.
Iohan. 14. v. 16.
Iohan. 14. v. 26.
Iohan. 15. 26.
Iohan. 16. 7.
Matth. 3. 16.
2. Cor. 13. 13.
Epheſ. 3. v. 14. 16.
1. Iohan. 5. 7.
Rom. 11. v. 34. 36.

Hæc eſt illa cognitio, *nova, admiranda*, & *illuſtris*, quam Rabbenus Haccadosh, tempore Meſſiæ exorituram eſſe, *Antonino Romano* Conſuli prædixit, cuius vaticinij fundamenta ex Scripturis Propheticis didicerat, ſicuti ex citatis Prophetarum Teſtimonijs conſtat.

Hæc autem *meditatio*, quam de nomine יְהֹוָה ſuſcepimus, non ad id *tantùm* prodeſt, vt ſciamus hoc nomen proprium & eſſentiale eſſe Dei, quo eiuſdem eſſentia, vnitas, ſimplicitas, æternitas, perſonarum Trinitas, & alia divinitatis myſteria exprimuntur: *ſed ad id* quoque plurimum confert, vt quâ ratione *hodiernas Hebræorum blaſphemias* refutare poſſimus, ac debeamus, promptum habeamus. Conſtat enim iam, non tantùm ex Rabbenorum ſcriptis, quæ orthodoxorum maiorum ipſorum fides atque confeſſio de hoc myſterio fuerit, ſed amplius etiam, ex quibus ſcripturæ immotis fundamentis, fidem illam atque confeſſionem ſuam, rectè extruxerint. Pias igitur iſtas cogitationes, & orthodoxas nominis Iehova explicationes, diligamus, & tàm ad

Vſus huius meditationis.

Digitized by Google

repetitionem noſtræ ὀρθοδοξίας. quàm ad refutationem hodiernæ Iudaicæ cœcitatis, adiungamus.

DE NOMINE VRBIS יְהֹוָה שָׁמָּה *Iehova Schámma.*

Hactenus contemplationem nominis יְהֹוָה abſolvimus, iam propius ad textum noſtri Ezechielis eſt accedendum, qui nomen Vrbis eſſe dicit יְהֹוָה שָׁמָּה, hoc eſt, DOMINVS IBI. Quæ nominis contemplatio, plures vtiliſſimas, & iucundiſſimas meditationes exhibet: breviter eas percurramus.

I. Civitatis ſanctæ excellentia.

I. Primùm enim, ex hoc Auguſto nomine, *magnificentia & nobilitas* Vrbis ſanctæ, hoc eſt, Eccleſiæ cognoſcitur. Si enim Imperatores & Reges, Imperatrices quoque & Reginæ, Vrbibus, quas vel è fundamentis excitarunt, vel magnificis ſtructuris, artibus, & munitionibus amplificarunt, & roborarunt, privilegijs etiam, immunitatibus, & gratijs abundanter clementerq; exornarũt, à ſuis *nominibus derivata nomina* impoſuerunt, *vt Conſtantinopolis, Adrianopolis, Helenopolis, Colonia Agrippina*, hoc eſt, Vrbs Conſtantini, Adriani, Helenæ, Agrippinæ, & hoc genus aliæ plures: & iſtiuſmodi Vrbes, ex eiuſmodi appellationibus, à fundatoribus ſuis deductis, gloriam & decus non exiguum invenerunt: *quid laudis & gloriæ* noſtra hæc ſancta Civitas, non habeat? quæ non à fundatore, Imperatore aut Rege aliquo, ſed à Rege Regum, & à Domino Dominantium, titulum & nomen ſuum conſequuta eſt: יְהֹוָה שָׁמָּה Iehova Schamma: DOMINVS IBI: Qui vt omnibus alijs multò nobilior atque excellior eſt, ita quoq; hæc Civitas noſtra ſancta, omnibus alijs totius orbis vrbibus longiſſimè antecellit.

II. Civitatis Fundator & Auctor Deus.

II. Eadem ratione, ex eodem nomine Civitatis, etiam *de authore & fundatore Eccleſiæ* conſtat. Is eſt *Iehova Dominus*, à quo nomen Vrbis, Iehova Schamma, deductum eſt. Ipſe enim fundavit, excitavit, exornavit, & omnis generis privilegijs, gratijs, muneribus ac donis, hanc ſuam Vrbem ditavit & locupletavit. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. 16. 18. Hinc Eccleſia vocatur *Domus Dei*: quam videlicet ipſe Deus ædificavit & extruxit, 1. Timoth. 3. v. 15. *Hæc tibi ſcribo, vt ſcias, quomodo oporteat in Domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, Et. 1. Pet. 2. 5. *Superædificamini, tanquam lapides vivi, Domus Spiritualis, in ſacerdotium ſanctum*, Hebr. 3. 6. *Chriſtus eſt tanquam filius in Domo ſua, quæ Domus ſumus nos.* Elegantiſſimus autẽ eſt locus, Eph. 2. v. 19. 20. &c. *Vos eſtis Domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in Templum ſanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in Tabernaculum Dei in Spiritu.* Si enim Patriarcha Iacobus, videns Iehovam Scalæ Iacobææ innitentem, & audiens ex ore ipſius blandiſſimas promiſſiones, exclamavit, verè *Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*, pavenſque dixit: *Quam terribilis, ſeu, quàm reverendus eſt locus iſte? Non eſt hic aliud, niſi Domus DEI, & porta cæli*: Quantò magis nos, hanc Vrbem ſanctam, ſanctam Dei Eccleſiam, cum ipſa orbis amplitudine dilatatam, in qua vbiq; ſanctiſſimus, optimus, maximus fundator præſens eſt, multiplicibus gratiæ ſuæ muneribus clementer exornans, Vrbem & Domum Domini, à fundatore, & conſervatore denominatam, ſalutabimus!

Matth. 16. 18. Eccleſia Domus Dei. 1. Timoth. 3. 15. 1. Petr. 2. 5. Hebr. 3. 6. Ephes. 2. 19. Geneſ. 28. 16.

III. Privilegia & immunitates Eccleſiæ.

III. *Meditemur etiam privilegia Vrbis ſanctæ*: Quantò enim maior & auguſtior eſt *fundator Vrbis*, tantò pluribus eam, & maioribus gratijs & privilegijs quiſq; dotare ſolet, maximè ſi ex ſuo ipſius nomine eandem denominatam velit. Ea vt plurimum ſunt Reipubl. omniumq; civium libertas, onerum immunitas, pacis, concordiæ & tranquillitatis cuſtodia, iudiciorum inoffenſa rectitudo, officiorum honores, laborum præmia, innocentum ſalva aſſertio, pauperũ, egenorũ & ægrotantiũ hoſpitalia, ſunt Scholæ, Eccleſiæ, Cathedræ, Altaria

Digitized by Google

Altaria, Cœmiteria, & quæ id genus plura eſſe poſſunt. Talibus privilegijs Vrbem ſuam exornat, fundator, reſtaurator, amplificator, Conſtantinus, Adrianus, Philippus, Helena Agrippina. Sed quis eſt Orator, cui tanta ſit ſapientia, tanta eloquentia & copia fandi, qui *Iura, privilegia, immunitates & gratias*, quibus fundator *Iehova* hanc ſuam Civitatem, Eccleſiam ſanctam locupletavit, non inquam, dicendo exornare, ſed nudè recenſendo, vel enumerare poſſit? Sunt enim hic privilegia, *vera* omnium civium *libertas*. Nam *quos filius liberaverit, verè liberi erunt*, Iohan. 8. 36. Eſt onerum, peccatorum videlicet, & quæ iſthæc ſequuntur, maledicti legis, mortis & æternæ damnationis *Levatio*: Iohan. 1. 29. 1. Iohan. 2. 2. Matth. 11. 28. Eſa. 53. 4. Eſt ſarta *conſcientiæ pax* & tranquillitas adverſus Deum. *Iuſtificati fide, pacem habemus.* Rom. 5. 1. *Chriſtus* enim *eſt pax noſtra*, Epheſ. 2. 14. *Qui pacem ſuam non mundanam, ſed cæleſtem & æternam largitur*, Iohan. 14. 27. Adeoque ipſe eſt *Princeps pacis*, Eſa 9. 6. Eſt *Iudiciorum rectitudo, & æquabilitas*. Ipſe enim fundator *Chriſtus Iehova, eſt Iuſtitia noſtra*, יְהוָה צִדְקֵנוּ *Iehova Iuſtitia noſtra*, Ieremiæ 23. 6. & 33. 16. & 1. Corinth. 1. 29. Quâ Iuſtitiâ, non tantùm in Angelorum & beatorum cætu, ſed in ipſius Dei conſpectu, iuſti, puri & integri reputamur. *Eum* enim, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur Iuſtitia Dei in ipſo*, 2. Corinth. 5. 21. Hæc adeò iuſta, perfecta & omnibus numeris completa eſt integritas, vt Apoſtolus eam deſcribens, hiſce verbis vtatur, *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, vt illam ſanctificaret, mundans eam Lavacro Aquæ in verbo, vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & irreprehenſibilis.* Epheſ. 5. 26. Sed de *honoribus* quid commentabimur? Nulla eſt in orbe Civitas, vbi tanta ſit *honorum & æqualitas & magnitudo*, quanta eſt in Vrbe noſtra ſancta. Quæcunq; enim alia ſit Reſpublica, ſemper ignobiles nobilioribus immixti vivunt, ab altiore alij, alij depreſſiore ſtemmate originem ducentes. Vnde generis, familiarum, ſanguinis, conditionis & ſtatuum maxima inter omnes varietas. Nullus quoque nullius Civitatis Autor & Fundator eſt, qui omnes incolas ac Cives Vrbis, *ſuæ* velit eſſe cognationis. In noſtra autem Vrbe, Rex omnes Incolas, omnes Cives in Domo Domini, vult eſſe *Filios ſuos*. Nam *poteſtatem dedit Filios Dei fieri, quotquot in nomen Ieſu Chriſti credunt*, Iohan. 1. 12. *Regis Filius*, omnes Cives vult eſſe *fratres* ſuos. Hoc enim titulo dignatur nos Epiſtola ad Hebræos: *Non confunditur eos fratres vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus*, Hebr. 2. v. 11. 12. Ex Pſalm. 22. 23. Et Iohan. 20. 17. *Adſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum: ad Deum meum, & Deum veſtrum.* Matth. 12. 50. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, is meus frater, ſoror & mater eſt. Neque hoc fit inani & nudo ſaltem titulo: Sed verè eſt frater omnium Incolarum Filius Regis. *Nam verbum caro factum eſt*, hoc eſt, ipſe Filius Dei noſtram carnem induit, quod Paulus hiſce verbis eloquitur: *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Adeoque ipſe Filius DEI, *carnem de carne noſtra, & ſanguinem, de ſanguine noſtro aſſumpſit*, & verè omnium Civitatis ſanctæ Incolarum *frater factus eſt*. Quod Argumentum eleganter tractat Epiſtola ad Hebræos. *Nam qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen meum fratribus.* Dicto loco. Et paulò poſt: *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus. Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* Et Paulus: *Membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius.* O præſtantem, & humanæ Eloquentiæ verbis, inexplicabilem dignitatem, omnium civium Vrbis ſanctæ, qui omnes *de cognatione* ſunt Filij Regis: Omnes *fratres* ipſius, omnes *Filij* Regis. Ex quo cognationis vinculo, ille continuus loquendi mos exoritur, quod ille cives Vrbis, *filios ſuos*, hi Regem, *ſuum Parentem* ſalutant. *Pater noſter, qui es in cælis, &c.*

LIBERTAS. *Iohan. 8. 36.* *Iohan. 1. 29.* *1. Iohan. 2. 2.* *Matth. 11. 28.* *Eſa. 53. 4.* *PAX.* *Rom. 5. 1.* *Ephe. 2. 14.* *Eſa. 9. 6.* *IVSTITIA.* *Ierem. 23. 6.* *Ibid. 33. 16.* *1. Corinth. 1. 29.* *2. Corinth. 5. 21.* *Epheſ. 5. 26.* *HONORES.* *Iohan. 1. 12.* *Hebr. 2. 11.* *Iohan. 1. 14.* *1. Timoth. 3. 16.* *Hebr. 2. 11.* *Hebr. 2. 14* *Epheſ. 5. 30.*

Digitized by Google

Honores & *dignitates* maximas, præmia quoque, commoditates & vtilitates maximæ excipiunt. Si enim Filij Regis ſumus, etiam hæredes, *Hæredes Dei,* PRÆMIA. Rom.8.17. *& cohæredes Chriſti,* Rom.8. Quis autem Rex, quis fundator Vrbis in orbe, qui *omnes cives* ſuos, velit eſſe *hæredes* ſuos? Sed hoc privilegio omnes Incolæ Civitatis ſanctæ fruuntur, vt, quàm primum ſunt cives, ſint etiam Regis hæredes. *Res inaudita omnibus mundi ſeculis.* Sed neque futuræ tantum vitæ præmia in hac Vrbe ſunt incolis exſpectanda: verùm in ſingulos dies, & ſingularum horarum momenta, & cœleſtibus & corporalibus benedictionibus cumulantur. Nam *pietas*, ad quam omnes Vrbis cives, *creati ſunt in Chriſto Ieſu*, huius & alterius vitæ habet promiſſiones. Et adeo pronus ad retribuendum eſt Dominus, vt neque *frigidæ hauſtum* ſuo privatum velit honorario. Largiſſimas etiam compenſationes, omnibus ſuis civibus pollicitus eſt, quicunque in ſalutem & gloriam Vrbis, vel in laudem ac decus nominis Regij, *quaſcunque* [illegible] ſubierint. Sic enim Filius Regis: *Amen dico vobis, nemo eſt, qui* [illegible] *mum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut Filios, propter Regnum Dei, &* [illegible] *cipiat multo plura in hoc tempore, & in ſeculo futuro, vitam æternam.* Quin etiam honores & præmia decernit Rex, civibus, quicunque Regi, quod [illegible] omnes tenentur, debitos honores exolverint: ita loquens & præſtans: *Glorificantem, honorificaverit me, glorificabo eum.* Quis autem enumeraverit beneficia, quibus in ſpiritualibus ſuos cives Rex Civitatis ditat? illa conſiderans Apoſtolus, in exordio ſuo ad Epheſios, in hæc verba prorumpit: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto.* Illę benedictiones ſunt, *vniverſalis* Dei patris *miſericordia & affectio*, quâ totum humanum genus complectens, per fidem in Chriſtum omnes ſalvare deſiderat: Eſt *vniverſale* Chriſti *meritum*, præſtitum pro omnibus & ſingulis hominibus totius orbis. Eſt *vniverſalis & ſeria* vocatio, qua Spiritus ſanctus per Miniſterium verbi, omnes ad tantorum beneficiorum participationem ſummo ſtudio, fidelitate & diligentia invitat.

Ephes.2.10. 1.Timoth.4.8. Matth.10.42. Luc.18.29. 1.Samuel.2.30. Ephes.1.3.

Huius generis benedictiones & gratiæ ſunt, *Cathedræ*, per omnes Vrbis ſanctæ Angulos, puro & ſalvifico Evangelico ſermone ſonantes: ſunt *Baptiſteria*, ſaluberrimo Regenerationis Lavacro pretioſè nobilitata: ſunt *Altaria*, ſacris convivijs, corporis & ſanguinis Dominici inſtructa: Sunt *Scholæ*, in quibus omnia iura & privilegia Vrbis, omnium civium, ex ſacroſancto codice traduntur, evoluuntur, propagantur. Sunt *Doctores*, & ad omnis generis munia Civitatis obeundum miniſtri fideliſſimi. Et quæ ſunt id genus ornamenta & privilegia alia. Quam Civitatis noſtræ ſanctæ præſtantem nobilitatem *Paulus* celebrat, Epheſ.4. *Chriſtus aſcendit ſuper omnes cœlos, & dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad præparationem ſanctorum*, &c. De *pauperum* porrò *cura*, qua digna oratione, paternam Regis affectionem, ſollicitudinem vnquam celebrabimus? Ex hiſce namq; ſtudijs ſingulares, & egregios laudum ſuarum titulos venatur & amat, vt quod *Iudex & pater viduarum & orphanorum* vult ſalutari, Deut.10.18. Pſalm.10.14. & 68.6. & 146.9. Proverb.15.25. Syrach.35.17. Chriſtus, Baptiſtæ de adventu Meſſiæ percontanti, hoc τεκμήριον, ſignificari iubet: *Pauperes Evangelizantur*, Matth.11.5. Sic equidem pronunciatum erat per Prophetas: *Spiritus Domini, Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad Evangelizandum afflictis miſit me, ad medendum contritis corde*, &c. Ipſe quoq; laborantes, & omnibus miſerijs oneratos, ad ſe invitat Matth.11.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Et [illegible] Deo ſacrificiū eſt *Spiritus cōtribulatus, & cor contritum.* Quam ob cauſam [illegible], hanc φιλανθρωπίαν Regis noſtri, tanquam miraculum miraculorum, vt verè eſt, extollit & celebrat: *Quis, inquit, eſt ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Erigens de pulvere inopem, & de ſtercore exaltans pauperem.*

Ephes.4.11. Cura pauperum. Deut.10.18. Pſalm.10.14.&c. Prov.15.25. Syrach.35.17. Matth.11.5. Eſai.61.1. Pſalm.51.19. Pſalm.113.7.

Sed

Sed quis tandem privilegia, gratias & immunitates *ſanctæ Civitatis*, quorum nulla eſt definita, vel ratio vel numerus, poſſit vel conetur recenſendo enumerare? *Rex*, fundator, conſervator, & amplificator illius, infinitæ eſt potentiæ, miſericordiæ & bonitatis: Rex Civitatis Fons eſt, & ſcaturigo omnium bonorum, quæ omnibus ſuis civibus, ex æquo communia & participata eſſe cupit: quis igitur infinito bonorum cumulo, dignam inveniat orationem? *parùm ſapiens*, qui hæc non intelligat, *plurimùm audax*, qui conetur. Hinc omnium, quæ delineanda fuerũt, eo redit ſumma: Civitatem noſtram ſanctam, cuius nomen eſt יְהוָה שָׁמָּה DOMINVS IBI, eiuſmodi privilegijs, benedictionibus atque gratijs ditatam & nobilitatam eſſe, ut nulla ſit in orbe Civitas aut Reſpublica, quæ cum illa vnquam poſſit comparari. Imò verò, Civitatis noſtræ ſive Eccleſiæ bona, privilegiaque omnibus omnium Rerumpublicarum & Regnorum Theſauris, tanto intervallo præcellunt, quanto ſpiritualia Corporalibus, cœleſtia terrenis, & æterna caducis præſtant. Hæc namque omnia humana, fluxa & evanida ſunt: illa vero, Eccleſiæ privilegia, omnia divina, conſtantia, & æterna. Civitas igitur tot divinis dotibus nobilitata, meritò à Deo ipſo nomen ſortita, & יְהוָה שָׁמָּה appellata eſt. *Iacob.1.17.*

IV. Adminiſtratio & Regimen Civitatis.

IV. Nominis præſtantiam, Authorem & Fundatorem, privilegia quoque & iura noſtræ Civitatis vidimus: Nunc Regimen etiam atque formam adminiſtrationis contemplemur: Quam ipſam, idem ipſum nomen ſuppeditat. Vocatur enim Civitas יְהוָה שָׁמָּה, hoc eſt, DOMINVS IBI. Qui titulus præſtantiſſimam omnium, & vigilantiſſimam adminiſtrationem nobis depingit. Oſtendit enim, Deum optimum maximum, & ſapientiſſimum, Regem Regum, atq; Dominum Dominorum, *ipſum* in hac ſua Civitate præſentem eſſe, omniaq́; ſupra quàm dici poteſt, prudentiſſimè & feliciſſimè adminiſtrare & exequi, nullius neque conſilio neq; auxilio egentem. Nam qui *vbiq; eſt*, maximè in ſua, quam fundavit, conſervat & ornat, Civitate præſens eſt: *Nunquid enim Deus de vicino ego ſum, & non Deus de longe?* Hoc eſt, Non ſum ego Deus procul à Creaturis remotus, ſed omnibus vbiq; rebus, ego ſum, maneoq́; ſemper præſentiſſimus. Vnde in dicto Prophetæ loco, confeſtim ſequitur. *Si occultabitur vir in abſconditis & ego non videbo eum? dicit Dominus. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.*

Deus vbiq; præſens. Ierem.23.23. Ierem.23.24.

De qua omnipræſentia Dei etiam alia ſcripturæ dicta loquuntur. Sophar Naamathites apud Iobum dicit *Excelſior cœlo est, quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terrâ menſura eius, & latior mari?* Cui ſimile eſt illud apud Eſaiam: *Hæc dicit Dominus; cœlum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum.* Et eodem plane reſpexit Pſaltes: Pſalm.139.7. *Quo ibo à Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si adſcendero in cœlum tu illic es? Si lectum ſternerem in infernum, ades. Si ſumpſero alas auroræ, & habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua me duceret, & apprehenderet me dextera tua.* Actor.17.27. *Non longe eſt, ab vnoquoque noſtrũ. In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Hic Iehova, qui eſt *Pater, Filius & Spiritus ſanctus*, omnibus vbiq; creaturis ſemper eſt præſentiſſimus: ſed *ſingulari & peculiari ratione*, præſens eſt in Eccleſia ſua, quam, gratiâ, favore, & benedictionibus ſuis, maximis & plurimis, exornat, locupletat, cumulat. De hac præſentia ſua loquitur apud Eſaiam: *Tu Iſraël ſerve meus, Iacob, quem elegi, ſemen Abrahæ, amici mei. &c. Ne timeas quia ego tecum ſum, ne, terrearis, quia ego Deus tuus. Confortabo te & auxilium tibi feram, & ſuſtentabo te dextera Iuſtitiæ meæ.* Et Pſalm.132. verſ.13.14. *Dominus elegit Sion, elegit eam* in habitationem *ſibi. Hæc* Requies *mea, in ſeculum ſeculi, hic* habitabo, quoniam elegi eam. Et Eſa.31.9. *Ignis Domini eſt in Sion, & Caminus eius in Ieruſalem.* Hæc præſentia Dei, tàm vniverſalis, quam ſpecialis in Eccleſia ſua, vnde nomen ſortita eſt Civitas, Iehova Schamma, hoc eſt, Dominus ibi, optimam gubernandi formam deſcribit. Quoniam enim ipſe fundator, & conſervator præſens eſt, præſenter omnia, cognoſcit,

Iob 11.8. Eſai.66.1.

Deus ſingulariter præſens eſt Eccleſiæ ſuæ. Eſai.41.v.8.9. Pſal.132.v.13.14. Eſai.31.9.

gubernat & dirigit. Cùm alij Principes, Civitatibus ſuis, quas & ipſas fundarunt, amore fovent, & habenis moderantur, non ſemper præſto adeſſe, & omnibus rebus gerendis præeſſe poſſint, ſed pro *humanæ conditionis infirmitate*, nunc in his, nunc alijs in locis, abeſſe, & per alios, res ſæpè maximas expedire, neceſſe habeant. Vnde rebus publicis, Ducatibus, & Regnis etiam florentiſſimis, ſub optimis etiam principibus, non raro per malos miniſtros, maximæ peſtes enaſci ſolent.

Diocletiani dictum: Nihil difficilius quàm benè imperare.

Hinc *Diocletianus* ad huc dum privatus dixiſſe fertur (*teſte Flavio Vopiſco in Aureliano*) nihil difficilius eſſe quam bene Imperare. *Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque vnum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt quid probandum ſit. Imperator, qui Domi clauſus eſt, vera non novit: Cogitur hoc tantum ſcire quod illi loquuntur. Facit iudices, quos fieri non oportet, amovet à Republ. quos debeat obtinere. Quid multa? Vt Diocletianus ipſe dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc Diocletiani verba*, inquit Flavius, *idcirco inſerui vt prudentia tua ſciret*, nihil eſſe difficilius bono Principe. Hactenus Vopiſcus.

N B. Optimi etiam Principes, malis miniſtris ſunt venales.

Ex quibus conſtat, quam periculoſum Rebuſpubl. quin etiam ſæpè exitioſum ſit, quod Principes, etiam optimi, quibus omnibus rebus præſentibus eſſe non licet, per malos miniſtros ſeducuntur, *vendunturq;*, vt loquitur. Quin vero ex iiſdem cauſis, optimi ſæpe Principes, & ipſi corrumpuntur: vt qui laudatiſſimi fuerant, perverſitate miniſtrorum & familiarium non parùm degenerent.

Optimi Principes miniſtrorum pravitate corrumpuntur.

Quæritur, inquit ibidem Flavius, *quæ res malos Principes faciat: Iam primum nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, Eunuchi avariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles, & quod negari non poteſt*, rerum publicarum ignorantia. *Hæc ille*: Quæ omnia mala, inde oriuntur, quod Principes & Imperatores ipſi, non vbique præſentes eſſe, non omnia noviſſe, nec omnia que ipſi adminiſtrare poſſunt.

Cauſa corruptionis.

Et *tanta* illa ſunt, vt graviſſimi Scriptores, in eam concedant ſententiam, tolerabiliorem eſſe Reipublicæ ſtatum, ſi *malus* ſit Princeps, & boni Conſiliarij, quàm ſi *bonus* ſit Princeps, & mali Conſiliarij. Sic enim Ælius Lampridius, in Alexandro Severo, ad Conſtantinum Auguſtum ex Mario citat: *Notum eſt illud pietati tuæ, quod in Mario Maximo legiſti, meliorem eſſe Rempublicam, & prope tutiorem, in qua Princeps malus eſt, ea, in quâ ſunt amici Principis mali. Siquidem vnus malus, poteſt à plurimis bonis corrigi: multi autem mali, non poſſunt ab vno, quamvis bono, vlla ratione ſuperari. Et id quidem ab Homulo ipſi Traiano dictum eſt, cùm ille diceret, Domitianum peſſimum fuiſſe, amicos autem bonos habuiſſe, &c. Et vt ad rem redeam* (inquit Lampridius) *Alexander quidem & ipſe optimus fuit. (Nam hoc nemo vult, niſi bonus & optimæ matris conſilijs vſus eſt: ac tamen amicos ſanctos, & venerabiles habuit, non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumventores ſui, non irriſores, non qui illum quaſi fatuum circumducerent: ſed ſanctos, venerabiles, continentes, Religioſos, amantes Principis ſui, & qui de illo, nec ipſi riderent, nec riſui eſſe vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent: nunquam deciperent exiſtimationem Principis ſui, ſed amarent. Huc accedit* (ſubdit Lampridius) *quod Eunuchos neque in conſilijs, neque in miniſterijs habuit, qui ſoli Principes perdunt, dum eos* more gentium aut Perſarum *volunt vivere: qui à populo etiam amiciſſimum Principem ſemovent: qui internuntij ſunt, aliud quam reſpondetur, ſæpè referentes, claudentes Principem ſuum, & agentes ante omnia ne quid ſciat: qui cùm empti ſint & pravi fuerint, quid tandem poſſunt boni ſapere?* Hæc omnia Lampridius.

Ælius Lampridius in Alexandro Severo.

Melior Reipublicæ ſtatus, in qua eſt Princeps malus & Cõſiliarii boni, eâ, in qua Princeps bonus & Conſiliarii mali.

Quinam conſiliarii Principi deligendi, qui non?

Quæ

Quæ omnia, *in eum finem* huc referuntur, vt intelligamus, quanti periculi res ſit, quòd boni etiam Principes, non vbique adeſſe, non omnia ſcire, nec bonitate & prudentia ſuâ, omnia gubernare & moderari poſſunt; cùm tot, & tanta maxima ſint impedimenta, quibus ex conſiliariorum & miniſtrorum pravitate & malitiâ, *optimi conatus, optimorum principum* intercipiuntur. *Viciſſim autem* ex eodem hoc argumento noſtræ civitatis ſanctæ, Eccleſiæ videlicet Chriſtianæ, præſtantia, nobilitas, & infinitùm beata felicitas eluceſcit. In hac enim, *vbique, & ſemper* præſtò ac præſens eſt ipſe Dominus Iehova, Auctor, conſervator, & gubernator civitatis ſuæ, optimus, maximus, prudentiſſimus. Qui nulla in re decipi, nullaque ratione vendi poteſt. Inde Nomen civitatis Iehova Schamma, D O M I N V S I B I.

Optimi Principes non omnia ex nutu & clementiſſima voluntate expedire poſſunt.

Ex quo *laudis capite*, dici non poteſt, quànta felicitas, quàm tuta beataq; ſecuritas, & ipſi civitati, & omnibus eiuſdem incolis effloreſcat. Nullus enim hoſtis, Domino abſente, civitatem hanc invadere poteſt: cùm ſemper ſit præſens: nullus ſuperare, cùm ſit gubernator & protector omnipotens. Nullæ fallaciæ, fraudes, impoſturæ, venditiones, mendacia aut figmenta, huius Regiminis rectitudinem corrumpere poſſunt: cùm non per internuncios abſens agat Gubernator & Princeps vrbis: ſed ipſe omnia introſpicit, omnia occulta & aperta, contuetur ſemper præſens Deus. Rectiſſimè igitur, & veriſſimè Pſaltes: *Deus nobis refugium & virtus &c. Propterea non timebimus, ſi terra loco ſuo moveatur, & montes præcipitentur in cor maris.* Et rurſus: *Riuuli fluminis lætificant civitatem Dei, ſanctas habitationes altiſſimi, Deus in medio eius, non commovebitur, adiuvabit eam Deus primo diluculo*, hoc eſt, tempore & occaſione omnium opportuniſſimâ. Nobilis igitur, florens, ac tuta manet civitas Iehova-Schamma: nec citiùs everti & ſuperari poteſt, quàm Gubernator eiuſdem, I E H O V A, Dominus Deus, Deus fortis, & Dominus exercituum ſuperatus, victus, aut deceptus fuerit.

Eccleſiæ felicitas, ex perpetua Regis præſentia.

Pſalm.46.v.2.3.
Ibid.v.5.6.

Eccleſia inſuperabilis.

Dicis: ſi hæc eſt ratio regiminis Civitatis ſanctæ, qui fit quæſo, quòd ipſa illa, tot cum adverſitatibus & periculis, plurimis & maximis, indeſinenter conflictatur. Cur tantùm iræ, & furoris contra Eccleſiam conceditur perſequutoribus? Cur tantùm fraudis & deceptionum Hæreticis? Cur tantùm invidiæ mundo? Tantùm inſidiarum Diabolo? Reſpondemus: *Nec dormitat, qui cuſtodit Iſraël: Nec peregrinatur protector & gubernator vrbis.* Quicquid autem contra hanc civitatem iniuriarum eſt, aut violentiæ, id optimus & prudentiſſimus Gubernator, Diabolo principi Mundi, omnibusque eiuſdem ſatellitibus ideò *permittit*, quòd omnia iſthæc ad magnam Gubernatoris *gloriam* concedant, cuius protectio & auxilium, ex periculorum magnitudine ſit evidentior: ad præclaras incolarum virtutes, vt qui rebus duris fortes, conſtantes, & patientes ſunt, manifeſti reddantur: ad plurima denique exercitia pietatis: vt perturbatis rebus Deum invocemus; vnde auxilium & omnis ſalus noſtra, piè recordemur, & periculis liberati, protectoris & conſervatoris cantemus laudes. Ecce tibi plures, eaſque graviſſimas rationes, quibus permotus Gubernator, quotidianas iſtas, cum hoſtibus velitationes permittit: quos omnes, vel cœlitus fulmine ferire, vel dehiſcente terrâ, orco ſorbere poſſet. Ita verò, multum gloriæ, non parum precum & pietatis, plurimum laudis & gratiarum actionis prætermitteretur. Bonum igitur eſt humiliari nos, & alijs atque alijs adverſitatibus exerceri, vt clementias & bonitates Dei quotidiè novas experiamur. *Oportet*; ac bonum eſt, *hæreſes eſſe inter nos, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* 1.Corinth.11.19. *Et hoc documentum eſt, iuſtæ gubernationis & iudicij Dei, vt digni habeamur in regno, pro quo & patimur.* 2.Theſſalon.1.5. *Conformes enim eſſe oportet incolas ſuo Duci, qui per paſſiones conſummatus, evectus eſt ad gloriam.*

Obiectio.
Cur Eccleſia tot calamitatibus ſit obiecta?

Reſponſio.
Deus plurimas eius rei cauſas habet.

1.Corinth.11.19.

2.Theſſ.1.5.
Rom.8.29.
Hebr.2.10.

Nomen cuiuſvis hominis Chriſtiani eſt: IEHOVA-SCHAMMA.

Hæc *generatim* de præſentia Dei in Civitate ſancta, cuius nomen eſt I E H O V A - Schamma Sed *ſingulariter* etiam hæc, ad ſingulos cives ſive membra Eccleſiæ accommodanda ſunt. *Sicut enim* Iehova Dominus, in vniverſa ſua Eccleſia ſemper & vbiq; præſens eſt: *Ita quoque* præſens eſt, ac vivit in omnibus ac ſingulis Eccleſiæ membris, hoc eſt, in omnibus ac ſingulis incolis ac civibus, civitatis ſanctæ. Nam quiſque fidelium, & ipſe Templum, domus & habitatio eſt Domini. Secundùm ergò, propter præſentiam Domini civitatis Nomen eſt, I E H O V A- Schamma: ſic etiam ſingulorum civium, idem ipſum nomen eſſe poteſt; vt quiſque vocetur I E H O V A-Schamma. Hæc ita ſe habere, non tantùm ex Apoſtoli verbis clarum eſt, ſcribentis ad Corinthios: *An neſcitis, quod corpus veſtrum, Templum eſt ſpiritus ſancti.* Et rurſus: 2. Corinth. 6.16. *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Sed idem etiam ex ore Salvatoris audimus, ita concionantis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &* manſionem *apud eum faciemus.* Et rurſus Iohan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Atque iterùm: *Manete in me, & ego in vobis.* Iohan. 15.4. Et mox: verſ. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in illo, hic fert fructum multum.* Epheſ. 4.6. *Vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnes, &* in omnibus *vobis.* Et quod amplius, ac multò divinius eſt, Chriſtus Servator, in flamma illa amoris & precationis ſuæ, quam ante ipſam paſſionem ſuam, in conſpectu patris expoſuit, non hoc tantùm flagitat, vt ſimus *Templum, manſio, & habitatio* Dei, ſed eò vſque evolat amoris ardor, vt nos ipſos cum Deo, hoc eſt, habitaculum cum inhabitante, *vnum* fieri velit. Hiſce enim verbis orat patrem: *Rogo vt omnes* vnum *ſint, Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in* nobis vnum *ſint.* Et rurſum in immediatè ſequentibus verbis, verſ. 22. *Ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint* vnum, *ſicut & nos* vnum *ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in* vnum. Eſt autem hæc claritas vnigeniti, quòd cum Patre *vnum* eſt, Nam claritatem & gloriam dicit ſe dediſſe nobis, vt cum ipſo & patre, ſimus conſummati in *vnum*. Magna hæc gloria & ineffabilis claritas, omnium incolarum vrbis noſtræ ſanctæ, omnes vnum eſſe, cum Gubernatore civitatis, I E H O V A. Qualis tamen hæc, & quàm cœleſtis atque divina ſit claritas, vel obſcuris veſtigiis, quantum per infirmitatem languentis noſtri Iudicij fieri poteſt, aliquo ſaltem ſtudio eſt inveſtigandum.

1. Corinth. 6.19. — *Iohan. 14.23.* — *Iohan. 6.56.* — *Iohan. 15.4.* — *Iohan. 17.21.*

Omnes fideles vnũ ſunt: I. Concordiâ & ſpiritus vnitate.

Athanaſius, Orat. 4. contra Arianos. mihi pag. 237.

Primùm omnium non eſt abſonum, hanc vnitatem per *ſimilitudinem* interpretari, vt quemadmodum *pater & filius vnum ſunt eſſentiâ: ita nos quoque* (vt Athanaſius in huius loci expoſitione loquitur) *aliquâ ſimilitudine, & rudi formulâ, dum in eum reſpicimus, efficimur vnum, vnâ inter nos, & mutuâ concordiâ animi & ſpiritus vnitate, nec diſſentiamus vt Corinthij.* Et poſt pauca. *Quapropter, illud quidem* (nempè verbum vnigenitum) *naturâ & ex vero* vnum *eſt cum ſuo Patre: nos autem invicem inter nos* cognati, & ex vno *omnes progeniti*, & vna *omnium hominum natura*, vnum inter nos, *affectu & animo efficimur, habentes pro Archetypo Exemplari, Filij cum Patre naturalem vnitatem.* In eandem ſententiam commentatur in hunc locum Iohannis, etiam Cyrillus, ita habens: *Quis eſt iſte modus petitionis, vt* vnum *ſint,* inquit, *ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi* vnum *in nobis ſint? Charitatis ergo, pacis & concordia vinculum petit, quod ad tantam ſpiritalem credentes* vnionem *perducat, vt naturalis conſubſtantialisq́; in Patre, Filio atque ſpiritu, vnionis ſimilitudinem imitetur.* Hæc illi, de vna ratione iſtius vnitatis.

Cyrill. in Iohann. libr. 11. cap. 26.

Et vnius corporis quod eſt Eccleſia, ſingularitate.

Deinde in contemplatione iſtius vnitatis inter nos, etiam altiùs conſcendere poſſumus, vt *vnitas* illa fidelium, non tantùm in Concordiæ & pacis vinculo conſiſtat, ſed vnius etiam corporis ſingularitate, nobilitata intelligatur.

Ex duo

Digitized by Google

Ex duobus enim populis, Iudęis & gentibus, *vnum corpus, ſive vna Eccleſia* facta eſt. *Chriſtus enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq;* vnum, *medium parietem ſolvens, &c. Vt reconciliet ambos*, in vno corpore, Deo. Vt Apoſtolus loquitur. Et rurſus cap. 3. *Secundum revelationem notum factum eſt mihi myſterium, &c. Gentes eſſe cohæredes, et concorpores, compartícipes promiſſionis eius in Chriſto per Evangelium.* Vbi Græca verba valde emphatica & elegantia ſunt: εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα, καὶ σύσσωμα, καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ ἐν τῷ Χριστῷ, &c. Ex quibus verbis aperte conſtat, omnes incolas civitatis ſanctæ eſſe συσσώμους, *concorpores*, hoc eſt, vnum corpus ſive vnius corporis membra. *Quoniam vnus panis & vnum corpus, multi ſumus*, 1. Cor. 10. Et rurſus: *Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, oĩa autem membra corporis vnius, cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus Baptizati ſumus.* Atque iterum: *Vos eſtis corpus Chriſti.* Ibid. v. 27. Sic ad Epheſios *vnum corpus, & vnus ſpiritus*. Et ibid. v. 15. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturã ſubminiſtrationis, ſecundũ operatione in menſuram vniuſcuiuſq; membri augmẽtum corporis facit, in ædificationẽ ſui in charitate.* Ad Rom. 12. 4. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, oĩa autem membra non eundem actum habent. Ita multi* vnum corpus *ſumus in Chriſto.* Ex quibus patet, omnes Chriſti fideles, vnum corpus eſſe, ſive vnius corporis membra. Id quod alijs pluribus & invictis rationibus demonſtrari poſſet.

Epheſ. 2. v. 14. 16.
Epheſ. 3. 3.
Fideles omnes ſunt concorpores.
1. Corinth. 10. 17.
1. Cor. 12. 12.
Epheſ. 4. 4.
Ibid. v. 15.
Rom. 12. 4.

Verùm enimverò circa hæc verba Salvatoris: *Rogo pater, vt omnes* vnum *ſint, ſicut tu in me & ego in te, vt & ipſi in nobis* vnum *ſint*, non principaliter de illa vnitate agitur, quæ *inter nos* fideles eſt, vel concordiæ & pacis reſpectu, vel etiam incolatus ratione, in vna eademque Eccleſia ſeu civitate ſancta. Sed altius eſt conſcendendum, & qualis noſtra, *cum ipſo Deo* ſit vnio, diſpiciendum, vt qua ratione omnis fidelis rectiſſimè appellari poſſit, Iehova-Schamma, id eſt, Dominus ibi, manifeſto conſtet. Rogo, inquit Salvator, vt omnes vnum ſint ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in NOBIS vnum ſint. Vbi primùm omniũ, illa ſocietas & ius vnius civitatis ſanctæ, & vt Apoſtolus, Eph. 3. 3. loquitur, illa concorporatio, & συσσωμία vnius Eccleſiæ notanda eſt, quæ præſtantiſſimam noſtram coniunctionem & vnionem *cum Salvatore Chriſto* declarat: *Ipſe* namq; *Caput eſt ſui corporis*, Eccleſiæ, quod *Corpus* ſumus nos. Et quanta cognatio, coniunctio & vnio eſt capitis cum corpore, tanta eſt coniunctio & vnio noſtra cũ Chriſto. De quo myſterio illa ſonant: Eph. 1. 22. Chriſtum dedit Deus *Caput* ſuper omnia, *ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Et *creſcamus in Chriſto, qui eſt caput.* Eph. 4. 15. Et illud: *Chriſtus eſt* caput *Eccleſiæ, & Salvator corporis ſui.* Epheſ. 5. 25. Item: *Chriſtus eſt* caput *corporis Eccleſiæ.* Coloſſ. 1. 18. Quæ omnia Teſtimonia, arctiſſimam coniunctionem & vnionem Chriſti & fidelium clariſſimè evincunt. Adeoq; omnis fidelis, ratione corporis myſtici, *vnum eſt* cum Chriſto. Hac de re eleganter commentatur Cyrillus, ſuperiori ſuæ explicationi, hanc ſublimiorem ſubiungens, hiſce verbis: *Credentes in Chriſtum vnum animum conſenſu pietatis, & credendi obedientia poſſident. Hæc quidem* (inquit Cyrillus) *aliena eſſe non arbitror.* Verùm *quoniam propoſiti textus vis*, ſublimiora *elicere cogit, Salvator quoq; invitat dicens: ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in* nobis *vnum ſint, conſiderandum eſt, ſi ad vnitatem conſenſus & voluntatis, naturalem etiam invenire poſſumus, per quam nos inter nos, & omnes Deo colligemur.* Et poſteaquam vnionem noſtram, in vno corpore Eccleſiæ probaſſet, hæc ſubdit: *Si autem omnes inter nos in Chriſto vnum ſumus corpus, nec inter nos ſolum, verùm etiam* cùm eo, *qui per carnem ſuam ad nos tranſiuit: quomodo vniverſi, & inter nos*, & in Chriſto *vnum non erimus? Chriſtus enim eſt huius vnionis vinculum.* Hoc vnum eſt.

2. Fideles vnum ſunt Chriſto vnione myſtica.
Epheſ. 3. 3.
Epheſ. 4. 15.
Epheſ. 5. 23.
Coloſſ. 1. 18.
Cyrill. in Iohan. lib. 11. cap. 26.

Secundò iſthæc vnio noſtra, *cum Deo*, per Chriſtum patet: qui verus *Deus* & verus *Homo*, iam vinculum eſt huius noſtræ vnionis *cum Deo*. Nam quà Deus eſt, naturaliter & eſſentialiter vnigenitus, cum Patre *vnum* eſt: quà homo autem, eiuſdem naturæ conditione *vnitur* nobiſcum. *Sumus enim membra*

corporis

Digitized by Google

Ephe∫. 5.30. *corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius.* Hæc caro, ex Maria Virgine adſumpta, quamvis Deo Patri *conſubſtantialis* non ſit, quia tamen cum Deo verbo *perſonaliter* vnita eſt, idcircò vnitatem *cum Deo* accepiſſe dicitur: *claritatem, quam dediſti mihi, &c.* Cyrillus in Iohan. libr. 11. cap. 27. Intelligitur enim, *inquit Cyrillus*, in Chriſto, vnitate ineffabili, Caro ſanctificata, abſque vlla confuſione, ad verbum aſcendere, & per verbum ad *vnitatem* patris, habitudine quadam ſcilicet, & non naturaliter. *Hæc ille.* Perſonalem igitur vnionem τοῦ λόγου cum carne, hæc *myſtica* noſtra *cum Deo coniunctio* ſequuta eſt. *Non tota natura humana, ſive non omnes homines perſonaliter vniti ſunt cum λόγῳ.* Quod nemo tamen per monſtroſum errorem, aut acerbam calumniam eò torquere debet, quaſi omnis & tota humana natura, cum λόγῳ perſonaliter vnita ſit, ſed quòd illa ſingularis & ex Maria virgine individuata aſſumpta caro, eiuſdem naturæ eſt, cuius nos ſumus. Adeoque natura noſtra, Caro nimirùm virginis, ſanctificata, vnita eſt Deo, & per illam, nos non quidem vnione perſonali, qui modus myſterio incarnationis filij Dei, ſolus ἐξαίρετος, & æternum μονότροπος manet, ſed vniti ſumus eius naturæ, quæ perſonaliter adſumpta eſt, vinculo cognationis. Huc referri debet illud Eſaiæ, Eſa. 7. 14. dum Meſſiam vocat *Immanuelem:* hoc eſt, nobiſcum Deus. Quod nomen, vt ex hoc gradu vnionis facilè intelligimus, egregiè congruit cum Ezechielis *Iehova-Schamma.* Huc reſpicit Salvator ipſe, quando nos *fratres ſuos* appellat. Pſalm. 22. 23. Hebr. 2. 12. Ideò namque frater noſter eſt, quòd *quemadmodum pueri communicaverunt Carni & Sanguini, ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* Vnde Cyrillus dicto loco: *Nexus igitur vnionis noſtra* ad Deum Patrem, *Chriſtus eſt, nobis quidem vt homo, Deo autem patri, vt Deus, naturaliter vnitus.* Et paulò poſt: *Conſummati ergò ſumus, reductiq́, ad* vnionem Dei Patris, *mediatione Salvatoris, id eſt, Chriſti. Filium enim Dei naturâ patri vnitum, corporaliter, ſubſtantialiterq́, (vt dictum eſt) accipientes, clarificamur, glorificamurq́, ſupremæ facti* naturæ *participes.*

3. *Fideles vnum cum Deo ſunt vnione ſpirituali.* Tertius gradus vnionis noſtræ *cum Deo* eſt ſpiritualis. Quod enim ſupra de inhabitatione, omnium perſonarum Trinitatis probavimus: vt de *Patre*, Epheſ. 4. 6. qui ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus nobis, Epheſ. 4. 6. Et rurſus: *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus,* 2. Corinth. 6. 16. 2. Corinth. 6. 16. De *Chriſto.* Epheſ. 3. 17. Quòd per fidem *inhabitet in cordibus noſtris.* Epheſ. 3. 17. De *Patre & Filio*, quòd Iohan. 14. 23. ad nos venturi, & manſionem apud nos facturi ſint. Iohan. 14. 23. *De Spiritu* Tit. 3. 6. *ſancto*: Quòd effuderit illum Deus in nos abundè. Tit. 3. 6. Quòd ſimus Templa 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. Spiritus ſancti. 1. Corinth. 3. 16. & 6. 19. Illa *inhabitatio*, non eſt quaſi *hoſpitis tranſitorij, aut peregrinantis*, pernoctatio, non eſt nuda *vicinitas* aut *ſuperficiaria coniunctio*, qualis eſt Aquæ vel vini in Cyatho, aut tritici paleæque in ſacco. Sed quamprimùm *Sacroſancta Trinitas*, in homine fideli & credente manſionem facit, ibi confeſtim inhabitans Deus, *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus*, & Homo fidelis, Templum Dei, tanto coniunctionis, mutui amoris & deſiderij *vinculo* conſociantur, & devinciuntur, vt conſociationem illam, intimam, & arctiſſimam, ipſo *vnitatis* nomine, ſapientiſſima ſcriptura celebret. Iohan. 17. 21. Sic equidem Salvator: Rogo, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi *in nobis vnum* ſint. Et rurſus, *Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati* in vnum. Vbi, non tantùm de mutua concordia, & fidei vnitate, quæ eſt *inter nos*, agi; ſed ad ſublimiorem vnitatem, quæ eſt *inter nos & Deum*, vi Textus, nos invitari, ex ſuperioribus notum eſt. Vnum igitur eſt homo fidelis, cum inhabitatore Deo. Ita pronunciante Chriſto: vt ſint *vnum in nobis.* 1. Cor. 6. 16. In eandem ſententiam ſcribit Paulus; *An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici,* vnum corpus eſt. *Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino,* vnus *ſpiritus eſt.* Quæ graviſſima, & elegantiſſima ſententia eſt, disertè exprimens noſtram cum Deo admirandam vnionem. Sicut enim in creatione prima, marem & fœminam, tanto neceſſitudinis, & arctiſſimæ coniunctionis

vinculo

Digitized by Google

vinculo coniunxit Deus, vt duo ſint in carne vna, Geneſ. 2. 24. Matth. 19. 5. Eph. 5. 31. Ex quo fundamẽto Apoſtolus, Corinthijs ſcribens, etiam fornicationem devitandam hortatur. Sicut enim iuſtus maritus, cum legitima coniuge, *vna* caro eſt, ita quoq; ſcortator, cum meretrice eſt vna caro: & ſicut maritus & coniunx vna caro ſunt, ita quoque *homo fidelis*, Templum Dei, & *inhabitans Deus*, vnus *ſunt ſpiritus*. Quæ enim ratio eſt externi coniugij, inter maritum & coniugem, eadem & multò etiam arctior eſt, in ſpirituali coniugio, inter Deum, & hominem fidelem. Huc referatur illud Petri, quando per pretioſa & maxima promiſſa donatum nobis eſſe ſcribit, vt *divinæ naturæ conſortes efficiamur.* 2. Petr. 1. Et illud Iohannis. 1. Iohan. 1. *Societas*, κοινωνία, *noſtra eſt cum patre & cum filio eius Ieſu Chriſto.* Quæ autem, & quàm arcta atque intima ſit κοινωνία illa, in ſuperioribus iam expoſitum atque declaratum eſt.

Geneſ. 2. 24. *Matth. 19. 5.* *Epheſ. 5. 31.* *Scortator cum meretrice vna caro.* *2. Petr. 1. 4.* *1. Iohan. 1. 3.*

De hac ſpirituali vnione noſtra *cum Deo*, Cyrillus ita loquitur: *De ſpiritali vnione dicimus: Quia Spiritu ſancto recepto, & inter nos quodammodo &* cum Deo vnimur. *Nam quamvis vnicuique noſtrûm*, Patris & ſuum *Chriſtus ſpiritum diſtribuit, indiuiſibilis tamen ſpiritus eſt, & diſtributus ſingulis ſpiritus* in ſeipſo vnit, *& omnes, quibus diſtributio facta eſt*, vnum in ſeipſo *efficit. Et ſicut virtus ſanctiſſimæ Chriſti carnis, vnum* corpus *facit participantes, eodem arbitror pacto, in quibus indiuiſibilis Dei ſpiritus habitauit, eos omnes ad* vnitatem ſpiritalem *conducit. Ideò rurſum Paulus nobis ſcripſit: Supportantes invicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus ſicut & vocati eſtis, in una ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, una fides, vnum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Cùm enim* vnus *in nobis habitat ſpiritus:* vnus *verus & pater omnium, per filium ſuum in nobis habitat* ad invicem, & SECVM, *ſui participes ſpiritus*, VNIENS. Hæc ille.

Cyrillus in Iohan. lib. 11. cap. 26. circa finem. *Epheſ. 4. 2.*

Irenæus adverſus Hæreſes Valentini, libr. 5. de eadem vnione noſtra cùm Deo, ita commentatur: *Suo ſanguine redimente nos Domino, & dante animam ſuam pro noſtra anima, & carnem ſuam pro noſtris carnibus, & effundente ſpiritum Patris in* ADVNITIONEM & COMMVNIOMEM *Dei & hominum, ad homines quidem deponente Deum per ſpiritum.* Ad Deum autem *rurſus imponente hominem, per ſuam incarnationem, & firmè & verè in aduentu ſuo donante nobis incorruptelam, per communionem, quæ eſt ad Deum, perierunt omnes Hæreticorum doctrinæ.*

Tres hucuſq; modos deſcripſimus noſtræ vnionis cum Deo. Sumus enim *Corpus* Chriſti, cuius ille eſt caput, ſumus *fratres* Chriſti, ſecundum carnem, qui cum Deo patre quatenus Deus eſt, eſſentialiter vnitur nobiſcum, vinculo cognationis. Sumus, per fidẽ Deo adhærẽtes, *vnus ſpiritus* cũ Deo, & ipſe in nobis habitans, nobiſcum *vnitur*. Supereſt alius modus, quo fideles concorporantur Chriſto, Sacra videlicet *ſynaxis corporis & ſanguinis Dominici*. In hoc nẽpe convivio, non tantùm animæ noſtræ, fide, ſed etiam corpora noſtra, non tamen corporaliter & phyſicè, ſed ſpiritualiter & myſticè, vero corpore & ſanguine Dominico ſaginãtur. Et ſicut naturalis cibus, ipſi corpori noſtro apponitur, in ſanguinem, ſuccum & carnem noſtram converſus: Ita ſpiritualis ille cibus, verum corpus & verus ſanguis Domini, quem cum pane & vino, revera præſenterque, ſed in myſterio accipimus, cum anima ſimul & corpore noſtro, *myſtico modo vnitur*, divinas nobis præſtans commoditates, quas copioſius explicare, non eſt præſentis inſtituti. Sufficit digito indicaſſe, nos in myſtico illo convivio, myſticâ ratione cum *Saluatore noſtro vniri.*

4. Fideles in ſacra cœna myſticè Chriſto vniuntur.

Hunc myſticæ vnitionis modum, & fructum ſimul eiuſdem, contra *Valentinianos* diſputans *Irenæus*, non vno in loco exponit. Cùm enim illi, *carnis noſtræ* reſurrectionem negarent, eamq; vitæ non participem eſſe traderent, ſanctus Irenæus, ex communione & vnione corporis & ſanguinis Domini, qui vita eſt, & cuius in Euchariſtia etiam caro noſtra particeps fit, contra Valentinianos, etiam carnem noſtram immortalitatis participem eſſe, firmiter concludit. Verba eius contra Hæreſes Valentini lib. 4. c. 34. pag. 238. hæc ſunt:

Quomodo

Quomodo autem rurſus dicunt Carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur. Et mox: *Quemadmodum, qui eſt è terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrenâ & cœleſti: Sic & corpora noſtra, percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.*

Idem, adverſus Hæreſes Valentini, libr. 5. Non procul ab initio. *Quoniam membra eius,* (Chriſti) *ſumus, & per Creaturam nutrimur: Creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult: eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergò & mixtus calix, & factus panis, percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia: quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur,* & *membrum eius eſt.* Hæc ille: Quæ verba longè omnium pulcerrima & elegantiſſima ſunt, noſtram cum Chriſto, de qua agimus, vnionem nervoſiſſimè exprimentia. Quantum autem ego quidem conijcere poſſum, eadem duobus mendis librariis conſperſa ſunt. Primum enim, quod legitur: Eum calicem, qui creatura eſt, ſuum corpus confirmavit, pro *calicem*, *panem*, legendum eſſe puto. Scimus enim non *calicem*, ſeu vinum, ſed *panem* eſſe corpus Dominicum in Cœna. Deinde pro, *factus* panis, legendum puto, *fractus* panis. Reſpicit enim Irenęus ad verba Apoſtoli, panis, quem *frangimus, &c.* quæ ipſe in proximè præcedentibus citaverat, ita loquens: *Dicunt illi* (Valentiniani) *carnem non capacem eſſe incorruptibilitatis. Sic autem, ſecundum hæc videlicet, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius, neque panis quem* frangimus, *communicatio corporis eius eſt. Fractus* igitur, & non *factus*, legendum puto. Sed ad rem ipſam quod attinet, in citatis verbis Irenæus, *primùm* rem ipſam, quomodo ſeſe habeat, proponit, & per comparationem declarat. Dicit enim: Nos *membra ſumus* corporis Chriſti, teſte Apoſtolo, & tamen per creaturam ſuſtentat nos. *Viciſſim*, panem, qui creatura eſt, corpus ſuum eſſe confirmat, & eo ipſo corpora noſtra ſuſtentat & auget. Duæ namque res ſunt in Euchariſtia, vt in ſuperioribus declaravit Irenæus: *Terreſtris & cœleſtis. Terreſtris*, ſunt panis & vinum: *Cœleſtis*, ſunt corpus & ſanguis Chriſti: panis igitur Euchariſtiæ, non eſt nudus panis, ſed panis, quem Salvator corpus ſuum confirmavit. Et vinum non eſt nudum & ſolum terreſtre vinum, ſed eſt vinum, quod ſanguinem ſuum confirmavit. Ex illis autem, pane & vino, tanquam creaturis, corpora noſtra ſuſtentantur & augentur. Ergò *pane* & *vino Euchariſtico*, etiam *corpore & ſanguine* Dominico: non *phyſicè* tamen aut *naturaliter:* quia Sacramentalis vnio, non Phyſica aut naturalis eſt, *ſed myſticè & ſpiritualiter: Verè* tamen, & *maximè efficaciter.* Hoc enim fundamento, ex verbis Inſtitutionis Dominicæ, poſito, quo iſthæc verba reſpiciunt: panem, qui creatura eſt (ſic enim legendum eſſe diximus) ſuum corpus confirmavit. Hoc, inquam, fundamento poſito, Irenæus conſequenter ita argumentatur:

Reſtitutio verborum Irenæi.

Quæcunque corpora, corpore & ſanguine Chriſti nutriuntur, ea capacia ſunt incorruptibilitatis.

Noſtra corpora, corpore & ſanguine Chriſti nutriuntur.

Ergò

Noſtra corpora capacia ſunt incorruptibilitatis.

Verba Irenæi, quibus hoc invictum argumentum traditur, ſunt iſthæc: *Quando ergò & mixtus calix, & fractus panis* (noſtra Lectio) *percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia, quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius eſt.*

Videmus ſcopum Argumentationis Irenæaneæ, ſed ex medio & cauſa, quæ

Digitized by Google

quâ ille propoſitum ſuum concludit, noſtra ſpiritualis & myſtica vnio, quam in Euchariſtias vſu cum Chriſto adſequimur, clareſcit. Nutrimur enim pane & vino, ſed eo pane, quem Chriſtus corpus ſuum, & eo vino, quod ſanguinem ſuum confirmavit. *Quæ contemplatio*, ex ſacroſanċta Euchariſtia ſuſcepta, vt nobiliſſima & præſtantiſſima eſt, ſic admirandam noſtram cum Chriſto communionē & vnionem, pulcerrimè demonſtrat, & varias ſimul, cum ſuperioribus vnionis modis, & *nobilitatis*, & *dignitatis*, & *officij*, & *conſolationis* rationes pio animo diċtitat, & imprimit. Eas ne ſimul omnes prætergreſſi videamur, aliquas ſaltem, & breviter, tanquam ex catalogo recitabimus.

DE VSV TITVLI CVIVSVIS HOMINIS Chriſtiani, יְהֹוָה שָׁמָּה Dominus ibi.

Satis clarè & evidenter hactenus demōſtratum puto, titulum, quo architectus noſter vrbem ſanctam inſignivit, Iehova-Schāma, hoc eſt, *Dominus ibi*, non tantùm Eccleſię Chriſtianæ communiter, ſed oïb. ēt ac ſingulis Chriſtianis & fidelibus, in individuo atq; ſingulariter convenire. Sumus enim vnum cum Deo, quādoquidem ſumus membra corporis Chriſti, ſumus fratres eius, ſumus templum & habitaculum S. S. Trinitatis, participes ſumus corporis & ſanguinis Salvatoris, quibus in Euchariſtia ſalubriter nutrimur.

I. Ex hiſce conſequitur *primùm*, vt quotquot fideles membra Chriſti, & Templa benedicti Iehova, Trini & vnius ſumus, noſtram dignitatem, nobilitatem & prętantiam cognoſcere ſtudeamus. Quanquam enim illud, ſapientū iudicio cœlitùs delapſum, γνῶθι σεαυτὸν, contra arrogantiam mortalium, & peſtilentiſſimum φιλαυτίας vitium, ſalubriter directum eſt. *Hinc* enim, *omnis vitæ humanæ peſtis oritur, quòd ſibi quiſq; blanditur & quantùm alij* præter æquum *detrahit, tantùm ſibi* præter meritum *tribuit*. Cui morbo: *I. Nobilitatem ſuam fideles agnoſcunto.* *Γνῶθι σεαυτόν.* *Tullius ad Q. Fratrem lib. 3.*

Nobilis iſthæc, & famâ celebrata per orbem
Litera, cognoſci quæ ſibi quemque iubet.

felicisſimè medetur. Dum modeſtiæ quiſq;, & mediocritatis ſuæ admonitus, maiora quàm decet, non ſomniat. Pronunciante Apoſtolo: *Dico per gratiā, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, ne quis* arrogātiùs *de ſe ſentiat, q̄ ſentire oportet, ſed vt potiùs modeſtè de ſe ſentiat, vnicuiq; ſicut Deus diuiſit mēſuram fidei.* μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Et ad Philip. *Nihil* (facientes) *per contentionem, neq; per inanem gloriam.* Licet, inquam, ad minuendū arrogantiam ſuperborum, vtile & percommodum ſit, τὸ γνῶθι σεαυτὸν: *cognoſce teipſum*: Fidelibus tamen & credentibus, non minùs neceſſarium atque ſalutare eſt, vt ſuam quoque nobilitatem & præſtantiam cognoſcant. Si enim: *Vbique confert, vt teipſum noueris*: (quod proverbiali ſententiâ dicitur) plurimum certè Chriſtianis etiam contulerit, vt ſuas cœleſtes, adeoque divinas prærogativas & dignitates cognoſcant. Perpende igitur quiſquis es fidelium, quæ tua ſit inter omnes res creatas *nobilitas & præſtantia*! Si enim credis in Chriſtum, titulus nomenque tuum eſt *Iehova-Schamma*, Dominus ibi, Dominus tecum. Vnde præſtantiſſima & tua & omnium fidelium nobilitas effloreſcit. Quomodo enim nobilis non eſſes, qui electiſſimi corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, electum vivumque membrum es? Quomodo nobilis, & inſigniter nobilis non eſſes, qui ſecundum carnem *Frater* Salvatoris es? Pſalm. 22. 23. Hebr. 2. v. 12. 17. Quâ dignitate etiam Angelos ſuperamus. *Non enim Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ adſumpſit*. Hebr. 2. 16. Quomodo hoc prælustri gaudens titulo, *Iehouâ-Schamma*, non inſigni polleres dignitate: cùm tota Trinitas *in te habitet*, & paternitatis atque charitatis vinculo, Chriſto ita pronunciante, tecum ſit vnita? Quâ ipſâ dignitate, rurſum *omnibus creaturis* longiſſimè antecellis. Vt enim vbique ſit, & in omnibus rebus creatis Deus, nulli tamen creaturæ, tanto tamq; arcto paternitatis, & abundantis Amoris vinculo, *Rom. 12. 3.* *Philip. 2. v. 3.* *Epheſ. 5. 23.* *Hebr. 2. 16.*

ſeſe devinxit, quàm homini, quem ſacratiſſimo corpore & ſanguine vnigeniti filij pretioſè redemptum, *Templum* ſibi atque habitationem elegit. Et quis non intelligat dignitatem hoſpitis, quem convivij Dominus, Chriſtus Salvator, proprio corpore ſuo *cibat*, proprio ſanguine *potat*, *nutrit & auget*. Quæ omnia homini fideli, ſummam & admirabilem, atque divinam dignitatem, nobilitatem, & maieſtatem conciliant: adeò vt verè & rectiſſimè gloriari poſſimus, αὐτοῦ γένος ἐσμέν. Actor. 17. 28. Nobilis & præſtans fuit *prima* hominis *creatio*, qua ad imaginem Dei conditi fuimus. Sed redemptio, quâ per Chriſtum recreamur, eos dignitatis gradus nobis addit, vt nobis ipſis facti ſimus *nobiliores*. Quam ob cauſam, pia mens felicem quoque prædicare poſſit protoplaſtorum culpam, quæ in recreatione, tantos nobis peperiſſet honores. Sed divinæ clementiæ atque miſericordiæ eſt, quæ nos à creatore deficientes, recreatos maximis & cumulatis dignitatibus ornavit. Hic vnus eſt vſus, nobilitas videlicet & celſitudo noſtra, ex titulo noſtro *Iehova-Schamma* eluceſcens.

II. Fideles propter inhabitantem ſacroſanctam Trinitatem ſanctè vivunto.

II. *Secundus vſus eſt*, vt ex eodem præluſtris noſtræ celſitudinis titulo, noſtri vbique officii admoneamur. Quia enim vbique confert, vt teipſum noveris. Etiam noviſſe dignitatem ſuam, homini fideli & Chriſtiano, ad id conferto, vt in omnibus vitæ rationibus, dignitatis & præſtantiæ ſuæ rationem habeat, *celſus & nobilis*, *celſa*, *nobiliaq́; meditetur*, nec ad tantas dignitates evectus, ad viles ſordidasq́; carnis libidines, ad terreni pulveris curas, aut ſpurca cupiditatum deſideria ſe vnquā abijciat, aut quicquā tanta nobilitate ſua indignū admittat. Gravius enim puniendus, qui ſuſceptā à Deo nobilitatem, degeneri vitâ, degener & ingratus cōſpurcaverit. Membrū igitur es ſanctiſſ. corporis Chriſti, ſanctus & irreprehenſibilis vivito, puritatem & ſanctitatē à Chriſto capite indeſinenter hauriens. *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quoniā corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Tollens ergò membra Chriſti faciam mēbra meretricis? Abſit*. 1. Cor. 6. 15. *Frater* es Salvatoris tui Ieſu Chriſti, & conſequenter, *Filius*, æterni cœleſtis patris, cave ſis, vt nobiliſſimo ſtemmati, & ſplēdidiſſimę atq; ſanctiſſimæ familię tuæ, turpitudinem aut ignominiam intuliſſe videaris. Alij mores Regis filium, alij ruſtici aut ſubulci decent: alia ſunt *aulæ*, alia *caulæ*, ſtudia. *Luceat*, inquit Frater tuus, *lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Hoc dico*, inquit Apoſtolus, *& teſtificor in Domino, vt facti domeſtici Dei* (Eph. 2. 19.) *iam non amplius ambuletis, ſicut & aliæ gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum &c. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu: deponere vos, ſecundum priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, hoc eſt in ſancta veritate, & vera ſanctitate. *Hebraiſmus. Propter quod deponite mēdacium, loquimini veritatem, vnuſquiſq́; cum proximo ſuo, quoniā ſumus invicem membra, &c.* Et quæ ſequuntur, omnia moralia capita, quæ obſervare convenit eos, qui regia familia nobilitati, non dedecus illi, aut turpitudinem offerre, ſed regio ſanguine dignis virtutibus, generi & conditioni ſuæ reſpondere velint. *Sancti eſtote*, clamat Rex, *quia ego* ſanctus *ſum*. Exod. 22. 31. Lev. 11, 44. & 19. 2. & alibi ſæpiùs. Idem: Mal. 1. 6. *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum, ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Templum Dei es, & habitaculum Sacroſanctæ Trinitatis? Non recedit à te *Rex* magno intervallo Regiæ arcis, non diſcedit à latere tuo, imò verò à pectore & anima tua *frater* tuus, non peregrinatur S. S. ſed tecū ſunt, tecum habitant, tecū vnū ſunt, tecum vigilant, tecum cubant, tecū ſurgunt, tecum laborant, tecū peregrinātur, ruſticātur. Quid igitur facies, ô *Iehova-Schāma*, ô habitaculū Domini?

1. Cor. 6. 15.

Matth. 5. 16.

Epheſ. 4. 17.

Nunquid

Digitized by Google

Nũquid perpetuò pręſentem perpetuò, reverebere Dominum Deum tuum? cuius oculos, qui ipſo hoc ſole clariores ſunt, neque intimas cogitationes tuas celare potes. Nunquid ſanctitate coles inhabitãtem ſanctitatem? veritate honorabis veritatem? charitate redamabis charitatem? ô nos ſanctos & felices, ſi hæc ſine intermiſſione ſanctè meditemur, & in ſanctam omnis vitæ noſtræ transferamus praxin. *Quis Deum non timeat*, etiam ſine Chriſto ſapientes Ethnici ſcripſerunt, *omnia prouidentem & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem.* Cic. de nat. deor. lib. 1. Idem 2. de legibus. *Deos eſſe, Dominos ac moderatores omnium rerum, eaq́ quæ gerantur, eorum geri iudicio ac numine, eoſdemq́ optimè de genere hominum mereri, & qualis quiſque ſit, & quid agat, quid in ſe admittat, quâ mente, quâ pietate religiones colat, intueri, piorumq́ & impiorum habere rationem, à principio civibus perſuaſum eſſe debet.* Et ibidem: *Deos omnia cernere, Deorum eſſe plena omnia, homines exiſtimare oportere, dicebat* Thales: *Fore .n. omnes caſtiores.* Hæc gentiles, gentiles inquam, hæc in tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ in ipſis. Quid nos *Iehova-Schamma* faciemus? qui nullis fictionibus, aut perſuaſionibus de præſentia, providentia, iuſtitia & ſanctitate Dei, opus habemus: ſed ipſi ſumus *Templum & habitaculum* Domini. *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quia Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis Templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quid autem de hoſpitibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ dicemus? In communi quovis convivio, *Regulæ civilitatis* obſervari ſolent, ne quid inſolens aut indecorum admittatur, quod vel convivis, vel hoſpiti, cuius domus & honor ſacroſanctus habendus, moleſtum aut adverſum eſſe poſſit. Qui contra fecerit, convivij hilaritatem & ſplendorem, non ſine ſcelere perturbaſſe, & turpiter conſpurcaſſe creditur, omnium odio & indignationi expoſitus. Quod verò *in orbe* convivium, tàm ſplendidè, tamq́; opiparè parari poteſt, quàm magnificè & ſplendidè parata inſtructaque eſt cœna Dominica? in qua convivij Dominus eſt, ipſe *filius* Dei, qui ſacram Euchariſtiam, non cleopatræ vnionibus, vel auro potabili, aut quibuſcunque alijs nobiliſſimis epulis, ſed ſuo ipſius *corpore*, ſuoq́; purpureo ſacratiſſimo *ſanguine* nobis inſtruxit. Ipſe ille Dominus convivij, non *ad menſam* tantùm, & ſermonis delectationem præſens eſt, ſed ſua carne & ſanguine nos cibans, in corpora & animas noſtras ſeſe medium & intimum infert. Quis hic igitur tempeſtivus & moderatus gratusque conviva, qui non temperantiæ, honeſtatis, gravitatis & dignitatis, pacis & concordiæ, omniumque virtutum ſingulariter debeat eſſe *ſtudioſus*? non tantùm in ipſo convivij actu, ſed ſemel allectus, in omni vita? cùm huius convivij Dominus, omnes ſuos hoſpites, quoquo redierint numeroſiſſimis angelorum ſtipantibus catervis, continenter *comitetur*. Quiſquis alium ſe geſſerit, turpem, aut intemperantem, convitiatorem aut raptorem, avarum, adulterum aut turbatorem pacis, is aliquis *Lapitharum* aut *Centaurorum*, nõ *Chriſti* conviva habetor. *Age igitur* Iehova-Schamma, quiſquis es, qui per veram fidẽ in Chriſtũ, es *membrum* Chriſti, *frater* Chriſti, *Templum* Trinitatis, & *conviva* in ſacroſancta Euchariſtia, corpore & ſanguine Dominico nutritus & altus, age inquam, Deum vbique tibi præſentem, vbique vnitum *verbis, factis, cogitatis, ex tota anima, totisq́ viribus tuis*, time, cole, reverere, adora. Sic Dominus tecum, & tu in Domino, æternùm beatus.

Cic. de nat. Deorum lib. 1.

1. Corinth. 3. 16.

Hoſpites Euchariſtiæ.

III. *Tertius vſus tituli noſtri, Iehova-Schamma, eſt conſolatorius.* Quis enim trepidare, vel quibuſcunq; tandem adverſitatum & calamitatum, ſeu iratis ſeu *furioſis* vultibus commoveri poſſit, qui Deum & omnipotentem adiutorem, & eundem clementiſſimum atq; miſericordiſſimum patrem ſemper & vbiq; præſentẽ habet? *Tumultuentur* gentes & reges loquantur inania, contra Chriſtum & ſanctum corpus ipſius, Eccleſiam, totam eã & hæreſibus, & perſequutionibus, igne & aqua, rotis & crucibus everſam, evulſam, eradicatam, extirpatam, & conculcatam cupientes, & te vnâ cum illa: Magno & forti animo es,

III. Fideles, propter inhabitationem ſacroſanctæ TRINITATIS ab omnibus periculis tuti ſunt.

Luc.11.22. *ſaluo capite*, & corpus ſalvum eſt. Chriſtus *Caput* eſt fortior, qui fortem armatum thorace exuit, & eiuſdem diſpergit ſpolia. De *voluntate* autem quomodo
Ephes.5.23. dubitabis, ipſe caput eſt, tu membrum, & *ipſe Saluator ſui corporis*. Eph.5.23. Et amplius: *Frater* tuus eſt, Frater fratrem quomodo deſereret? Nō enim ex eorū numero frater eſt, quorum *concordia rara*, ſed pro te, exilia, paupertates, miſerias, & afflictiones, odia, perſequutiones, iras inimicorum & furores, crucem tandem & mortem, atq; ipſius inferni dolores ſuſtinuit, vt te ex iſtis omnibus malis liberaret, ſalvū perpetuò atq; integrū prǽſtaret. *Quùm igitur* ex ijs malorum procellis, quę magnitudine & gravitate, oēs huius ęvi calamitates, infinitùm ſuperant, tàm fraternè pièq; te eripuerit, quomodo liberationem è lōgè minoribus & levioribus malis, vocaveris in dubium? *Spiritum ſanctum* deniq; tecum habes, qui à ſolandi munere, conſolator dictus, in officio ſuo defungēdo, neq; feſſus aut laſſus eſt, nec languore aut negligētia torpet. Sed inter graviſſimorū malorū iliadas (ſi illis omninò exercere & magno cum fructu atque gloria ad *pietatem*, ad *preces*, ad *patiētiam*, ad *conſtātiam* & alias virtutes, informare te fratri placuerit) inter quævis, inquā, pericula, & adverſitates, ijs ſolatiorū momentis, & viriū robore, indubitatò eſt inſtructurus, vt *omnes tentationes*, beatam habituræ ſint evaſionem.

Sed quid pluribus opus? Hæc ſacroſancta, & ſuper benedicta *Trinitas*, quæ tecum habitat, non tantùm Templum ſuum, quod es TV, hoſtili obſidione, invaſione, oppreſſione, direptione & perditione liberatura, *ſed* tàm divinus, miſericors, & omnipotens incola, *ſeipſum* quoq; ſalvum & integrum præſtiturus eſt. Non enim inhabitat tantùm, ſed ex demonſtratis rationib. ac modis, ipſe *vnum* tecūm eſt. Quam ob cauſam *ſibi ipſi* reputat, ſibique adſcribit & tribuit, quicquid moleſtiarū & adverſitatum, à quoquā vnquam *tibi* fuerit obiectum: & hinc de *tua* liberatione ſollicitus, ſimul *ſeipſum* quoq; liberare, non eſt neglecturus. Hinc, non ita ſolùm loquitur Dominus: *Nolite tangere Chriſtos meos, &*
1.Chron.16.22. Psalm.105.15. *Prophetis meis nolite inferre quicquam mali.* 1.Paralip.16 22. Pſ.105.15. Sed angelo
Zach.2.8. Prophetico referente apud Zachariam. *Qui te tangit, tāgit pupillam oculi Domini.* Atq; inde, ſanctos ſuos, non minore cura & ſollicitudine quàm oculi pupillā
Deut.32.10. tutatur: Moſe referente: *Circumduxit populum ſuum, & docuit, & cuſtodiuit, quaſi*
Psalm.17.8. *pupillam oculi.* Et David, intelligens hæc & credens, orat: *Cuſtodi me Domine, vt*
Actor.9.4. *pupillam oculi tui.* Perſequutorē Eccleſiæ increpans Dominus, ait: *Saul, Saul, quid* ME *perſequeris, durū erit tibi, cōtra ſtimulū calcitrare.* Et Apoſtolus, paſſiones ſuas,
Coloss.1.24. *paſſiones Chriſti* appellat. *Gaudeo*, inquiēs, *in paſſionibus meis, pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum* Chriſti, *in carne mea, pro* corpore eius, *quod eſt Eccleſia.* Et vt paucis omnia comprehendamus, Salvator Chriſtus etiam *iuramento* affirmat, ſe omnia iſthæc, quæ pijs atq; fidelibus eveniunt, ſibi facta reputare. *Amen dico*
Matth.25.40. *vobis, quatenus feciſtis* (aliquid) *vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Sui ipſius igitur memor Salvator, ſalutem tuam negligere non poteſt. *Quid deniq;*
Eucharistia plena ſolatii. auxilij, & protectionis à ſacræ *Euchariſtia Domino* non expectabimus? Quiſq;
Hoſpitii ius ſacrum. enim *hoſpes* ſeu convivij parator, convivas ſuos vt familiares & domeſticos, paternâ planè curâ & ſollicitudine, contra omnem omnium iniuriam, fideliter
Geneſ.19.6.&c. protegit, defendit, atq; tutatur. Quam ob cauſam ſummo ſtudio & labore, adde periculis etiam, pius Loth, ſuos hoſpites, contra violentiam Sodomita-
4.Reg.6.22. rum tutatus eſt. Quin & inimicis parcere debuit, Ioram Iſraëlitarum Rex, quos Eliſæus Propheta, excæcatos in Samariam adduxerat. Adeò namq; ſan-
Odyſſ. 8. ctum & inviolabile hoſpitij ius apud gentiles quoq; habitum eſt, vt hoſpitem etiam *diis immortalibus* reverendum eſſe dixerint. Sed id demū *ſolatij caput* eſt,
Ex cœna Dominica reſurrectio mortuorum concluditur. quod ex pretioſo hoc convivio, in quo, ipſo corpore & ſanguine Dominico Chriſti filij Dei, qui vita eſt, nutrimur, & inde certam atq; indubitatam ſpem reſurrectionis poſſidemus. Quomodo enim perire poſsēt corpora noſtra, quę vivifica carne & ſanguine nutrita & alta ſunt? Quam rem piè & graviter ponderans *Irenæus*, ex hoc ipſo fundamento, de reſurrectione carnis noſtræ, firmū & infallibile argumentum extruit: Verba eius hæc ſunt: *Quomodo dicunt*

Digitized by Google

(hæretici) *carnē in corruptionem deuenire, & non percipere* vitam, *quæ à corpore* Domini *& ſanguine alitur*. Item: *Quemadmodum, qui eſt è terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt: ſed Eucharistia, ex duabus rebus conſtans, terrenâ & cœleſti: Sic & corpora noſtra percipientia Eucharistiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Quæ, & alia plura Irenæi, ſupra ex libris eius citata ſunt. *Verum enimverò*: hoc idem ſolatij caput, ex eo quoq; vnionis modo concluditur, quo membra corporis Chriſti, ſub *Chriſto capite* ſumus. Vnde Apoſtolus, reſurrectionem noſtram tantâ certitudine concludit, vt ſi nulla ſit reſurrectio noſtra, etiam Chriſtum non reſurrexiſſe. *Si enim*, inquit, *mortui non reſurgunt, neq; Chriſtus reſurrexit*. 1. Cor. 15. 16. Summa, quicquid ſolatij & felicitatis eſſe vel cogitari poteſt, id omne, in hoc dignitatis & nobilitatis noſtræ titulo, *Iehova-Schamma*, vno complexu continetur. Quid enim deeſſe poſſit, vbi Deus eſt, qui infinitæ potentiæ eſt, infinitæ miſericordiæ & bonitatis?

Irenæus contra hæreſes Valentini. lib. 4. cap. 34.

Eadem concluditur ex vnione myſtica Eccleſiæ cum capite ſuo.

IV. *Vſus* (eſt προτρεπτικός, hoc eſt) *facit ad inſtituendum*, rectè *continuandum & inflammandum preces.* Quomodo enim ſegnis & negligens, aut non ſatis attentus, in precibus tuis eſſe poſſis, ſi diligenter infixum hæret animo tuo, eũ quem precaris, non procul ſupra extremos cœlos habitare: ſed in teipſo præſentem adeſſe: nec tantùm Orationis tuæ attendere verba, ſed & cor & renes, & omnium meditationum atque cogitationum tuarum medullas ſcrutari, & omnes illas præſentes & nudas intueri. Si Principis tui vultum revereris, quantò magis tui creatoris? Et quomodo dubitare poſſis, de *exauditione*, cùm qui in te habitat Deus, non vicinitatis tantùm, ſed charitatis & dilectionis vinculo, arctiſſimè tibi coniunctus ſit & vnitus. *Si vos, cum mali ſitis, noſtis bona data* (δόματα) *dare filijs veſtris, quantò magis pater veſter de cœlo dabit Spiritum ſanctum, petentibus ſe.* Conſidera quæſo, omnium perſonarum Sacroſanctæ Trinitatis in te inhabitantis titulos, ſinguli illi *exauditionis certitudinem* tibi confirmabunt. *Vna* illarum *pater* tuus eſt, qui paternitatis affectu, omnium etiam indulgentiſſimorum parentum στοργὰς longiſſimè ſuperat. Et cùm matres, genitoribus in pignora ſint proniores: hic tuus cœleſtis pater, etiam maternos affectus ſuperare velle pollicetur. Cùm enim illarum aliquæ, omnem humanitatem adeò exuere poſſe interdum deprehendantur, vt in propria ſua *ſæviant viſcera*: ille tuus æternus, & in affectione ſua, plus quam maternâ, *immutabilis parens*, tui curam & ſollicitudinem, nunquam depoſiturum eſſe, ſanctiſſimè in ſe recipit. *Nunquid*, ait, *obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit: Ego tamen non obliviſcar tui. Altera* Trinitatis perſona, quæ in te habitat, quamq; tu precibus tuis compellas, *cognatione frater* eſt, gloria & maieſtate æternus & omnipotens Dei filius. Hic non tantùm ſanguinis communione, & affectione fraternitatis in ſupplicationes tuas promptus eſt, ſed ipſe quoque apud patrem, eas *promovet, intercedit, & exauditionem reddit certiſſimam.* Sic enim in omnibus tuis anguſtijs, argumentari & infallibili exauditione tua, ἀδιαμαχήτως concludere potes. *Si is, quem Deus ſemper audit, pro me orat, non poſſum non exaudiri. Sed* Chriſtus, *quē Deus pater ſemper audit, pro me orat. Ergò non poſſum non exaudiri.* Vtraque propoſitio, ex ipſo *ore veritatis* proceſſit. Nam Iohannis 11. 42. ita pronunciat: *Pater ſcio, quia me ſemper audis*. Et pater ad filium, Pſal. 2. 8. *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Minorem* & ipſam format Chriſtus veritas: ſic enim Ioh. 17. 20. ſublatis in cœlum oculis orat: *Pater, non pro Apoſtolis rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt, per verbum eorum in me.* Et Paulus: Rom. 8. 34. Chriſtus, *qui eſt ad dextram Dei, interpellat pro nobis.* Quomodo autem interpellet, eodem in loco Iohannis ſequitur: *rogo vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis* vnum *ſint*: Et v. 24. *Pater quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, et illi ſint mecum.* Et Pſalm. 69. 7. *Non erubeſcant in me, qui expectant te Domine, Domine exercituum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſraël.*

IV. Fideles, propter inhabitantem Sacroſanctam Trinitatem, ardenter precantor.

Precum noſtrarum exauditio certiſſima.

Luc. 11. 13.

Eſa. 49. 15.

Iohan. 11. 42.

Pſalm. 2. 8.

Iohan. 17. 20.

Rom. 8. 34.

Iohan. 17. 24.

Pſalm. 69. 7.

Digitized by Google

Firma igitur eſt concluſio, & certa exauditio tua. Quâ ratione, non tantùm nos ipſos, ſed & alios, tàm ægrotantes, quàm alijs calamitatibus preſſos, erigere & conſolari debemus. *Tertia* denique perſona, in te habitans, eſt Spiritus ſanctus, qui & ipſe preces tuas format, dirigit, cum gemitibus & interceſſionibus offert. *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ipſe autem ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. Inde *ſpiritus gratiæ & precum* appellatur. Zachar. 12. 10. *Spiritus adoptionis, in quo clamamus abba pater.* Rom. 8. 15. Galat. 4. 6. Hic eſt incola tuus: *Pater* indulgentiſſimus ad iuvandum: *Filius*, cognatione *frater* tuus, paratiſſimus & feliciſſimus ad interpellandum. Et *Spiritus ſanctus* ad idem præſtandum indefeſſus. Qui ergo fieri poſſet, vt de exauditione tua quicquam vnquam dubitares?

Zach. 12. 10. Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.

V. Fideles propter inhabitantem ſacroſanctam Trinitatem, ſe mutuò diligunto & reverentor.

V. *Quintus* & vltimus vſus, tituli noſtri *Iehova-Schamma*, ad *humilitatem, dilectionem* mutuam, & omnes alias Chriſtianas virtutes nos informat. Quando enim conſtat tibi, non te tantùm eſſe *Iehova-Schamma*, ſed etiam proximum tuum, eodem ipſo titulo gaudere, hoc eſt, quando conſtat tibi, non in te tantùm, ſed etiam in proximo tuo, habitare Sacroſanctam Trinitatem, facilè intelligis, te & ad diligendum, & ad venerandum proximum arctiſſimè teneri. Quia enim idem in ipſo habitat Deus, qui in te, quia in eodem corpore Chriſti membrum eſt, cui & tu es inſertus, quia frater tuus eſt, per Chriſtum, cur non fraternâ illum dilectione, & eodem affectu, quo membra eiuſdem corporis, ſeſe mutuo fovent complectaris. *Rurſus* cur *deſpicias* illum, qui in eodem corpore membrum, idem caput Chriſtum habet. Cur non revereare Templum ſacroſanctæ Trinitatis, cum ædibus ſacris eò, quòd vſibus ſacris deſtinatæ ſunt, ſanctus habeatur honos. Quod totum argumentum eleganter ſimul & graviter Apoſtolus, Rom. 12. 4. & 1. Corinth. 12. v. 14. & ſeqq. pertractavit. Luculentiſſimis rationibus evincens, ea quæ ignobiliora ſunt corporis, nequaquam contemnenda, ſed abundantiori honore circumdanda eſſe. Quoties igitur tu *Iehova-Schamma*, fratrem tuum *Iehova-Schamma* videris, hoc eſt, *fidelis & credens, fidelem & credentem,* quiſquis ille fuerit, & quibuſcunque miſerijs & calamitatibus fractus, paupertate & egeſtate ſqualidus, contemptu miſer, morbis exhauſtus, ab omnibus bonis & amicis nudus, quoties, inquam, talem conſpexeris, pius autem & fidelis fuerit, confeſtim animo tuo, titulus eius obverſetur: Hic etiam eſt *Iehova-Schamma*, Templum Dei, membrum & frater Chriſti, habitaculum Sacroſanctæ Trinitatis, cur non diligerem, colerem, venerarer? Æquè enim pretioſus & charus eſt Domino, atque ego ſum, eiuſdem *Patris* filius eſt, eiuſdem *Servatoris* frater, eiuſdem *conſolatoris* Spiritus ſancti, cliens. Quò reſpiciens Paulus Apoſtolus, graviſſimâ, & ſpiritus & affectionis plenâ oratione, ad *mutuam humilitatem & reverentiam,* ſuos Philippenſes, & ſub eorum nomine, omnes *Chriſtianos* exhortatur: *Si qua eſt*, inquiens, *exhortatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera & miſerationes, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idem ipſum ſentientes. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate*, ſuperiores ſibi invicem *arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed & ea, quæ aliorum.*

Philip. 2. 1.

Fideles mutua charitatis officia præſtanto.

Iiſdem Argumentis ad *officia charitatis*, nos indies excitabimus. Quicquid enim afflictiſſimo cuique & pauperrimo præſtiteris, Chriſto ipſi præſtiteris. Matth. 25. 40. Sic igitur tecum ipſo delibera: Si Chriſtum Servatorem tuum, pauperem abiectum, hoſpitem, aut ægrotum videres, procul dubio & gaudio tibi & honori duceres, ſi illum vel hoſpitio excipere, vel ſolari verbis, vel adiuvare & ſublevare factis poſſes. Age igitur, membris præſta, quæ capiti præſtare exoptas, quæque ille ſibi præſtita eſſe eſt reputaturus.

In adverſis patientiam exercento.

Tandem ẽt ad *patientiam*, & devotas erga Deũ gratiarum actiones, eadem tituli noſtri contemplatio, nos excitabit. Quoties enim miſerijs & afflictionibus

exerceris,

exerceris, in iiſdem etiam alia Chriſti membra, æquè pretioſa & æquè chara exercitata fuiſſe, & etiamnum indies exerceri, cogitabis, quibus omnibus te ſuperiorem, & nobiliorem eſſe neutiquam ſomniabis. Hoc communi & nobili ſemper addito ſolatio: Si cõpatimur, & conglorificabimur. *Rom. 8. 17.* Videns autem alios gravioribus malis preſſos, nunquam non admirandam Dei erga te benignitatem & clementiam celebrabis. *Modus contemplandi proximi Adverſitates.* Quis ego ſum dices animæ tuæ, quem Deus tantâ clementiâ fovet, cùm proximus meus, & ipſe *IEHOVA Schamma*, tot tantisq; mactetur malis, ipſe pauper eſt, ego divitijs cumulatus: ipſe conſumptus morbis, firma ego, & conſtanti valetudine fruor: inglorius ille, & miſero in contemptu iacens, ego in laudatam dignitatem & honores erectus: omnibus ille corporis & animi bonis deſtitutus eſt, omnibus ego corporis & animi dotibus adauctus ſum. Quid retribuam tibi Domine, pro omnibus, quæ retribuiſti mihi? Quid promeritus ego ſum, præ fratre meo qui & ipſe *Filius* tuus eſt, quem ipſum *pretioſo* Filij tui *ſanguine redemiſti*, quem & ipſum *Spiritu tuo ſancto*, ſalutis Arrhabone, in ſpem cœleſtis hæreditatis obſignaſti: in quo & ipſo, vt in ſancto Templo tuo gratioſè habitas: & nihilominus tot ipſe malis miſer affligitur, ego tot tantisq; bonis, præter merita mea felix abundo. Minor ſum, ô cœleſtis pater, omnibus miſerationibus tuis. *Largire* mihi animum, qui intelligat: *Concede* mentem, quæ perponderet: *Spiritum precationis* in me confirma, quo excitatus, pro tot tantiſque innumeris beneficijs, gratias tibi immortales perſolvam. Dilectionis ardorem in me accende, & inflammatum ſemper fove, vt quicquid ego, Filius tuus, tot ornatus bonis valeo, valeam fratri meo, *IEHOVA Schamma*; qui in externis ſanè miſer, ſed in Spiritu, æquè tibi pretioſus & charus eſt: Et quòd ego non æquè miſer & afflictus ſum, id infinitæ tuæ clementiæ eſt & bonitatis. Hæc de *vſibus* tituli fidelium, *IEHOVA Schamma.*

REFVTATIO IVDÆORVM, QVI hoc & aliis conſimilibus titulis, contra ſynceritatem Euangelicam nefariè abutuntur.

Monſtratum in ſuperioribus, nomen IEHOVA, eſſe magnum, proprium, & eſſentiale nomen Dei, quod *vni* & *ſoli* Deo, & extra illum, *nulli rei creatæ* attribuatur. *Chriſtus eſt verus Deus: quia IEHOVA appellatur.* Ex quo *fundamento* certiſſimè concludimus, quia in ſcripturis ſanctis, hoc ipſum proprium & eſſentiale nomen Dei, etiam *Chriſto* Redemptori noſtro tribuitur, eundem etiam verum & æternum Deum eſſe. Exempli gratia, Ierem. 23. verſ. 5. ita legimus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra: In diebus illis ſalvabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum:* יְהוָה צִדְקֵנוּ *IEHOVA Iuſtitia noſtra.* Et iiſdem ferè verbis Ierem. 33. 15. *In diebus illis* & in tempore illo, germinare faciam Dauid germen Iuſtitiæ, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Iuda, & Hieruſalem habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod *vocabunt eum*: יְהוָה צִדְקֵנוּ, hoc eſt, *IEHOVA iuſtitia noſtra. Elegantiſſimum autem* locum habemus, Eſai. 45. v. 22. & ſeqq. vbi IEHOVA ita loquitur: *Reſpicite ad me, & ſalvamini omnes fines terræ: Nam ego ſum Deus, & nullus præterea, per me iuravi, prodijt ex ore meo, iuſtitiâ verbum* (hoc eſt iuſtiſſimum verbum) *quod non revertetur, quòd mihi curvabitur omne genu, iurabit omnis lingua. Tantùm in* IEHOVA (*iurabunt*) *Iuſtitia & robur eſt, ad ipſum veniat* (*ſalvandus*) *ſed erubeſcent, quicunque iraſcuntur contra illum.* In IEHOVA *iuſtificabuntur, & gloriabuntur, omne ſemen Iſraëlis.*

O 4 Hic

Hic locus nobiliſſimus & Cardinalis, nobis commendatiſſimus eſſe debet. In eo namque non tantùm Iuramenti religione fundata, & roborata extat, *vni-*
Vocatio univerſalis gentium. *verſalis omnium gentium vocatio*: ſed, quod iam maximè demonſtrare intendimus, in eodem *Meſſiæ divinitas* clariſſimè exprimitur. Nam iterum atque iterum, ac tertium etiam, magnum & eſſentiale nomen Dei IEHOVA, ſonorum exauditur. Verbi gratia: verſ. 21. *Ego* IEHOVA, *& non eſt vltra Deus præter me*, v. 24. *In* IEHOVA *iuſtitia & fortitudo*. Et v. 25. *In* IEHOVA *iuſtificabũtur & glorificabuntur*. Quæ omnia, nõ tantũ Ieremiæ teſtimonijs, paulò antè citatis, exactè congruunt: ſed per Apoſtolum Paulum, expreſsè de Chriſto explicantur, dum ad Rom. 14. 10. ita ſcribit: *Omnes ſiſtemur ante tribunal Chriſti: Scriptum eſt enim, Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Apoſtolo igitur interprete, *Chriſtus* eſt ille IEHOVA, extra quem non eſt alius: *Chriſtus* eſt ille IEHOVA, cui omne genu flectitur: *Chriſtus* eſt ille IEHOVA, in quo omnis iuſtitia & fortitudo. *Chriſtus* eſt ille IEHOVA, in quo omnes, qui ſalvantur, iuſtificantur & glorificantur. Quod
1. Cor. 1. 29. ipſum idem ille Apoſtolus, alibi alijs verbis, ſed ijſdem rurſus, clariſſimis & maximè perſpicuis enunciat, ad Corinthios ita ſcribens: Chriſtus *factus eſt nobis, ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Quod nihil aliud eſt, quàm quod Eſaias & Ieremias concionati ſunt. *In* IEHOVA *iuſtitiæ & fortitudo: In* IEHOVA *iuſtificabuntur & glorificabuntur omne ſemen Iſraël. Germen Davidis eſt* IEHOVA *iuſtitia noſtra.* Iſthæc enim omnia Paulus de Chriſto interpretatur: Chriſtus *eſt iuſtitia, ſanctificatio & redemptio* noſtra. *Addo* adhuc vnicum Exemplum, in quo ex magno & eſſentiali Dei nomine IEHOVA probatur,
Oſe. 1. 7. Chriſtum eſſe verum & æternum Deum. Nam Oſe. 1. v. 7. IEHOVA, Deus pater, ita loquitur: *Domui Iuda miſerebor, & ſalvos faciam eos, in* IEHOVA *Deo ſuo.* Per omnem autem ſcripturam clarum atque manifeſtum eſt, neminem hominem, niſi per Chriſtum ſalvari. Inde namque, Angelo præcone, nomen IESV habet, *quia ſaluum facit populum ſuum à peccatis ſuis. Ipſe* eſt Salvator *mundi*,
Matth. 1. 21. Iohan 4. 42. *Nec eſt aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Ideo-
Iohan. 4. 42. que & Paulus, Oſeæ Prophetæ interpres & Paraphraſtes, Chriſtum Salvato-
Actor. 4. 12. rem, Deum vocat, ad Titum diſcipulum ita ſcribens: Deus *manifeſtauit tempo-*
Tit. 1. 3. *ribus ſuis verbum ſuum, in prædicatione, quæ credita eſt mihi, ſecundum præceptum* Salvatoris *noſtri* Dei. Quæ ipſa verba ſunt Iehovæ, ex Oſea modò citata: Salvos faciam eos, in IEHOVA Deo ſuo: וְהוֹשַׁעְתִּים בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם Plura alia Teſtimonia vbique in ſcripturis occurrunt, in quibus Chriſtus, vel expreſsè vocatur IEHOVA: vel quæ in Vet. Teſtam. indefinitè poſita ſunt, ad nullam SS. Trinitatis perſonam accommodata, ea in N. Teſtam. Spiritu S. interprete, perſpicuè & expreſsè de Chriſto explicantur. Sed hæc ad præſentem ſcopum, in quo verſamur, ſufficiant.

Axioma Theologicum. De quocunq; enunciatur IEHOVA, is eſt verus DEVS.

Conſtans igitur & immotum Chriſtianæ fidei fundamentum & æternum Axioma eſt: *De quocunq; enunciatur verum, proprium & eſſentiale nomen* IEHOVA, *is eſt verus, eſſentialis & æternus* Deus. Sed de Chriſto Salvatore noſtro, verum proprium & eſſentiale nomen Dei, IEHOVA, enunciatur. Chriſtus igitur verus, eſſentialis & æternus Deus eſt. Hæc eſt Chriſtianæ fidei veritas, hoc eſt fundamentum æternæ noſtræ ſalutis. *Niſi enim Chriſtus* verus Deus eſt, nos ab hoſtibus noſtris, peccato, morte, Diabolo & inferno non liberati ſumus, nec vllam ſpem habemus æternæ felicitatis.

Iudæi huic Axiomati contradicunt: alias etiam res præter Deum, & Meſſiam, qui Deus eſt, appellari IEHOVA.

Hoc autem fundamentum ſalutis, de diuinitate Meſſiæ, excæcata Iudeorum pervicacia, convellere, & evertere conatur per inſtantiam: Non enim valere aiunt collectionem noſtram: Meſſias appellatur IEHOVA. Ergò eſt verus Deus. Quia nomen IEHOVA, etiam alijs rebus attribuatur, de quibus quòd Deus non ſint, apertè conſtet. Et aliquot ſcripturæ locos proferunt, quibus ſuam intentionem confirmare nituntur: quos inter, etiam hic ipſe

præſens

Digitized by Google

præſens Ezechielis noſtri locus eſt, *& nomen Civitatis ſanctæ*: IEHOVA Schamma. Videamus igitur hanc inſtantiam, & quid ad eam reſpondere debeamus, probè, atque diligenter obſervemus.

Dicit Propheta noſter: Nomen Civitatis ſanctæ, eſt IEHOVA Schamma. Excipiunt Iudæi: Ergò nomen IEHOVA non ſoli Deo, ſed etiam Civitati Hieruſalem tribuitur. Dixit namque Rabbi Levi: *Felix Civitas, cuius nomen eſt, ſicut nomen Regis ſui: ſicut ſcriptum eſt, Ezechiel. vltimo capite: Et nomen Civitatis ex die, IEHOVA Schamma, DEVS ibi.* Idipſum etiam in Midras Tillim (hoc eſt, in explicatione Pſalmorum) ſuper Pſalmum 20. legitur: *Hieruſalem quoq; vocata eſt nomine Dei: ſicut dictum eſt Ezechielis vltimo, & nomen Civitatis à die, IEHOVA Schamma, Dominus ibi.* Sed *Rabbi Ionathan* impudentiâ ſuâ vincit omnes. Sic enim ille: *Tres vocati ſunt nomine Dei ſancti & benedicti. Hi autem ſunt*, Iuſti, Meſſias, & Ieruſalem. *Et iuſti quidem, ſicut dicuntur, hoc eſt*: Sicut Deus *dicitur Iuſtus, ita & ipſi Iuſti dicuntur, ac ſic nomine Dei vocantur.* Meſſias *verò nomine Dei appellatur, ſicut dictum eſt*, Ierem. 23. cap. *Et hoc eſt nomen eius, quod vocabunt eum, Deus Iuſtus noſter.* Ieruſalem *autem nomine Dei quoq; vocata eſt: Sicut ſcriptum eſt Ezechiel. vlt. cap. Et nomen Civitatis ex die, IEHOVA Schamma. Nec legas* (addit Rabbi Ionathan) יְהוָה שָׁמָּה *Schamma ibi: ſed* שְׁמָהּ *: quod* nomen eius *ſignificat*. Hæc illi.

Petrus Galat. de arcanis Cathol. veritatis libro 9. cap. 9.

Sed antequam Φλυαρίαις illorum reſpondeamus, alterum illum & cognatum quoq; locum adduco, ex quo eodem probare volunt, Ieruſalem magno nomine Dei, IEHOVA, vocatam eſſe. Is eſt nobilis ille & cardinalis apud Ieremiam cap. 33. 15. *In diebus illis & in tempore illo, germinare faciam Davidi germen Iuſtitiæ & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confitenter:* וְזֶה אֲשֶׁר־יִקְרָא־לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ *Et hoc, quod vocabũt eam, IEHOVA iuſtitia noſtra.* Vbi, cùm in Hebræo textu pronomen fœmininum legatur, illud Hebræi, non tantùm ad Hieruſalem referũt, cuius in immediatè præcedentibus mentio fit, ſed *ad eandem* etiam applicant ſequentem titulum, IEHOVA Zidkenu, IEHOVA iuſtitia noſtra. Adeoque Ieruſalem, magno Dei nomine, IEHOVA, appellatam eſſe, ſuaviter ſomniant, atq; inde divinitatem Meſſiæ, enervare volunt, quòd non ideò ſtatim ſit verus Deus, quia in ſcripturis appelletur IEHOVA: cùm idem illud nomen alijs quoq; rebus legatur attributum. Hactenus *ſomnia Hebræorum*, qui *Ieruſalem* IEHOVA appellatam eſſe, decepti, & decipientes opinantur.

Nos autem, quod illi ſomniant, ſimpliciter *negamus*, hoc perpetuum defendentes *Axioma*, magnum Dei nomen IEHOVA, extra Deum, nulli tribui creaturæ. *Ad inſtantiam igitur primam* quod attinet, quam ex Ezechiele noſtro deſumptam obtendunt: *Nomen Civitatis ſanctæ eſt IEHOVA Schamma:* Ergò Civitas ſancta appellatur IEHOVA: Facilè quivis ſanus intelligit, errorem atque deceptionem eſſe eius, quod ſecundum quid dictum eſt, ad id, quod dicitur ſimpliciter ὃ κατά τι, πρὸς τὸ ἁπλῶς λεγόμενον. Nam quod nomen Civitatis eſt, IEHOVA Schamma, Dominus ibi, id certam conditionem & diſpoſitionem exprimit, nobilitatem videlicet & præſtantiam gratioſè præſentis, & Civitatem ſuam inhabitantis Domini. Ex quo laudis capite nequaquam ſequitur, *ipſam Civitatem eſſe vel appellari* IEHOVAM, ſed IEHOVÆ Domini *præſentia* in Civitate, non Civitatis *divinitas* hoc titulo celebratur.

Reſponſiones ad Hebræorum inſtantias.

I. Ad inſtantiam ex Ezechiele allatam.

Deinde quam abſurda ſit hæc Iudaicæ cæcitatis argumentatio [*Civitatis nomen eſt IEHOVA* Schamma, *Dominus ibi*. Ergò *Civitas appellatur IEHOVA*] etiam inde colligi poteſt, quòd plurima eiuſmodi nomina ſunt, quæ à nomine IEHOVA deducta vel compoſita, certã quandam conditionẽ, & qualitatẽ rerũ, munus ac donũ, aut etiã rem geſtã, vel rei geſtę memoriã explicant, vnde tamẽ *neutiquã ſequitur*, eas res, quæ eiuſmodi nominib. inſignitæ ſunt, ſimplici & magno nomine Iehovæ appellari: id ꝙ tàm apertũ atq; manifeſtũ eſt, vt qui negare, aut contradicere velit, ipſa ratione carere videatur. Ex. gratiâ. Proprium nomen eſt יְהוֹנָתָן Iehonathan & contractè Ionathan, compoſitũ ex יְהוָֹה & נָתַן

Dominus

Digitized by Google

Dominus dedit. Nemo tamen adeò abſurdus eſt, vt qui Ionathan vocatur, cum magno nomine I E H O V A vocari, litigioſè & abſurdè contendere velit. Sic יְהוֹשֻׁעַ Iehoſua: Dominus ſalvet, compoſitum ex יְהֹוָה & ישׁע ſalvavit. Sic יְהוֹאָחָז Dominus retinuit. Compoſitum ex יְהֹוָה & אָחַז tenuit. Sic יְהוֹנָדָב & contractè יוֹנָדָב compoſitum ex יְהֹוָה & נָדַב dedit. Et alia id genus plura.

Quàm abſurdus igitur futurus eſſet, qui omnes eiuſmodi nominibus vocatos, magno & eſſentiali nomine Dei vocari, inaniter & fruſtra litigaret: tàm abſurdi & abſoni ſunt recentiores Hebræi, qui ex titulo IEHOVA Schamma, Civitatem Hieruſalem, I E H O V A appellari pueriliter contendunt.

Tertiò, cum primis autem notanda eſt *Rabbi Ionathæ* impudentia, qui vt divinitatem Meſſiæ tantò facilius negare, aut plauſibiliori cum ſpecie eidem contradicere ſaltem poſſet, cum alijs quidem Hebræis delirans, dicit, in textu noſtri Ezechielis, Hieruſalem appellari I E H O V A. Qui error, cum reliquis ſanè ipſi communis eſt: ſed in hoc ipſe reliquos omnes audaci impudentia ſuperat, quod ad palliandum figmentum ſuum ipſum textum Biblicum corrumpit, & dicit, non legendum eſſe יְהֹוָה שָׁמָּה I E H O V A ibi: ſed, יְהֹוָה שְׁמָהּ I E H O V A nomen eius. Quæ petulans, audax, & malitioſa corruptio, non tantùm omnibus punctatis Exemplaribus Biblicis contradicit, quæ conſtanter & vno conſenſu legunt: I E H O V A Schamma, non autem, I E H O V A Schema: ſed neque à reliquis Hebræis approbatur. Nam translatio Chaldaica Ionathæ ita habet: *Et nomen Civitatis exponent à die, quo poſuit Deus divinitatem ſuam ibi.* Quæ tranſlatio, cum noſtra Lectione & interpretatione pulcrè congruit: corruptionem autem Rabbi Ionathæ apertè confutat.

Nobilis quæſtio: vtrum puncta Hebræorum literis eorundem ſint coætanea, aut recentiora?

Vbi loci, commoda nobis & exoptata offertur occaſio, de nobili illa & graviſſima quæſtione diſſerendi, ex qua maxima linguæ ſanctæ laus & integritas dependet. *Vtrum videlicet puncta Hebræorum, & conſonantes, eiuſdem originis & primævi ortus, adeoq́ coætanea ſint, an verò literis iſthæc ſint poſteriora.* Ionathæ enim corruptio non in literis, ſed in punctis tantùm fecit mutationes. Ad convincendum igitur illum, non parùm refert, vt de authoritate & dignitate punctorum conſtet. Sic enim & illud conſtabit, vtrum *textum ipſum*, qui ad integritatem ſuam, tàm puncta, quàm literas requirat, corruperit, an in *hominum tantùm inſtituta* & inventiones fuerit iniurioſus? Sed quia hac de re, prolixius diſputare præſentis inſtituti non eſt, paucis, meam ſententiam aperio. *Diſputatur iſthæc quæſtio* in vtramque partem, dum alij ad *eandem originem* tàm puncta, quam literas Hebræorum referunt: alij ſatis eſſe ad linguæ integritatem, Literas ſive Conſonantes, eaſq; *ſolas* primitùs ſcriptas fuiſſe aiunt, puncta verò eſſe inventum longè poſterius, neque illa ad ſcripturæ ſanctæ integritatem requiri. *Vtraq; pars* ſuas habet rationes, quibus ſuam vel ſententiam vel opinionem, reddant probabiliorem. Eas ego, non negligenter ponderans, hactenus tàmen, adduci aut perſuaderi nunquam potui, vt diverſæ vel originis vel ætatis literas & puncta Hebræorum eſſe crederem: *ſed eiuſdem planè generis & ortus, eiuſdem ætatis & venerationis eſſe, tàm puncta, quàm literas linguæ ſanctæ*, animitus credo, libereque & palàm profiteor: nihilominùs tamen aliorum labores & dona reverenter colens, à quibuſcunq; hac in re videar diſſentire.

Nobil. & literæ & puncta Hebræorum eiuſdem ſunt ætatis & ortus.

Cauſas huius ſententiæ meæ, cur nimirùm illis adſentiar, qui ad eandem originem, puncta cum literis referunt, repetendo, approbando, & confirmando illorum rationes, quibus vtuntur, prolixiùs explicare poſſem, ſed conſultò iſthæc omnia prætereo, privatæ Lectorum & linguæ ſanctæ Candidatorum diligentiæ ſtudioq; committens, atque in præſens pauciſſima hæc attingo.

Rationes, cur literas & puncta Hebræorum coætanea eſſe ſentiam.

Primùm ipſa natura requirit, vt, qui literas tradit, ſimul etiam exhibeat vocales. Omnis enim oratio, cui conſignandæ omnis literatura inſervit, conſtat ex dictionibus, dictiones ex ſyllabis: Syllabæ (in lingua præſertim Hebræa) ex literis

Digitized by Google

literis conſonantibus & vocalibus. Sicut igitur nulla ſyllaba, ſine vocalibus conſtare poteſt, ita nulla quoque oratio. Et quod amplius eſt, nulla neque litera, ſine vocalibus proferri poteſt. Hinc adeò factum eſt, vt in alijs quoque linguis, vocales ex ſeipſis ſonantes, principatum obtineant, reliquæ, tanquam ignobiliores, conſonantium habeant appellationem. Quis igitur vel cogitando vel admirando aſſequatur, Deum primis literarum inventoribus, conſonantium vires formaſq; revelaſſe, occuluiſſe vocales. Quin verò prior, potiorque ratio vocalium, aliorumque punctorum habita eſt, quàm conſonantium, vtpote quarum perfectio & nobilitas, reſpectu finis, in ipſis punctis atque vocalibus fundata eſt. Dubia enim & incerta eſt ſyllabarum & dictionum formatio & prolatio, vel nulla omninò potius niſi certis conſonantibus, certa puncta & vocalia, vt certi interpretes & vocum Architecti, adiungantur.

I. Quia Vocalium prima dignitas.

Hinc ſecunda, & quantum ego quidem iudicare poſſum, irrefutabilis ratio exoritur, cur puncta Hebræorum vnà cum literis eandem & originem & ætatem habere firmiter ſit ſtatuendum. Niſi enim puncta Hebræorum, ad integritatem & perfectionem literaturæ Hebraicæ requiri dixerimus, negari non poteſt, multum & obſcuritatis, & inextricabilis dubitationis, in ſcripturis ſanctis latitare. Conſtat equidem, vnicum interdum punctum, tàm vocale, quàm medianum, aliam & aliam vocis & naturam, & hinc longè diverſam ſignificationem generare. Exemplo ſit præſens locus noſtri Ezechielis: Niſi enim dixerimus, puncta literis coætanea, & inde ad fidem punctatorum Exemplarium legendum eſſe יְהוָה שָׁמָּה Dominus ibi: Corruptionem Rabbi Ionathæ, qui legendum eſſe finxit: יְהוָה שְׁמָהּ IEHOVA nomen eius, refutare haud poterimus. Nullas enim ille literas, ſed tantùm puncta mutavit. Quid autem inde, & obſcuritatis & periculi ſequatur, vſque ad divinitatem etiam Salvatoris pertingentis, ex ſuperioribus notum eſt. Si enim nomen Civitatis Hieroſolymæ eſt IEHOVA, infirma eſt noſtræ orthodoxias collectio, qua ex magno illo nomine Chriſtum, Meſſiam, verum & æternum Deum eſſe, concludimus. Vnde conſtare poteſt, quæſtionem de origine punctorum Hebræorum, non eſſe de tribus, quod aiunt, Capellis, aut lanâ Caprina.

II. Niſi puncta vocalia, vnà cum literis coæva ſtatuamus, multa in Scripturis ambigua & incerta erunt.

Aliud Exemplum, Exod. 17. 14. & Deut. 25. 19. De Amalekitis exſcindendis mandatum legimus: vtrobique occurrit nomen זֵכֶר quod memoriam vel mentionem ſignificat. Sic enim Exod. 17. 14. legimus: *Delendo delebo mentionem Amalec.* Et Deuter. 25. 19. *Delebis mentionem Amalec ſub cælis.* Vbi locorum, niſi puncta quoque literis addita fuiſſe dixerimus, non minus זָכָר legere poterimus quod maſculum ſignificat, quàm זֵכֶר quod mentionem, ſeu memoriam. Quid verò, quantumque diſcriminis ſit inter vtramque Lectionem, facilè quivis intelligit. Si enim זָכָר, hoc eſt, maſculus tantùm interficiendus fuiſſet, non adeò graviter peccaſſet Saul (adhunc textum quod attinet) quòd in iſtius mandati executione, opimis gregibus ovium & armentorum, pepercisſet, cuius tamẽ nomine & graviſſimè reprehẽſus, & quòd ſermonem Domini abiecisſet, ipſo quoque regno turbatus eſt, 1. Samuel. 15. v. 9. &c. Non igitur maſculus tantùm, ſed memoria quoque Amalecitarum exſcindenda fuit, & inde זֵכֶר non autem זָכָר legendum. Huius generis, ſi puncta ſemoveas, in quotidiana Bibliorum lectione, ſexcenta occurrunt: ad præcavendum igitur tot obſcuritates & ambiguitates infinitas, dubium mihi nullum eſt, omnes Biblicos libros, quoſq; ab Authoribus ſuis, non ſine punctis, ſed diligentiſſimè punctatos exhibitos fuiſſe.

Tertiò. Negari non poteſt, multis, atque adeo infinitis propemodum modis, textum punctatum planiorem, certiorem atque magis perſpicuum eſſe, quàm punctis deſtitutum. Quod ſi igitur Textus Biblicus primùm

III. Multa humana non divina Authoritate conſtabunt.

primùm ſine punctis exaratus fuiſſet, puncta verò poſtea demum, hominum adinventione addita fuiſſent, ſequeretur, quod abſurdum & blaſphemum eſt, ſcripturam ſacram, maiorem certitudinem & lucem, ex hominum ſuperaddita induſtria, quàm ex ſua ipſius natura & proprietate obtinere: id quod tanquam abſonum & extremè prophanum, omnes procul dubio piæ mentes abhorrent.

Huc referre libet, quæ Engelbertus **Engels** Marcoduxanus, in præfatione ſua ad Lectorem, Lexico Pentaglotto M. Valentini Schindleri p.m. præfixa, in hoc Argumenti genere habet: vbi ita ſcribit: *Sunt multi doctiſſimi clariſſimiq́ Viri, qui ideò, quòd quidam Iudæorum Rabbini longè poſt XXII. Alphabethi literas, puncta ab hominibus inventa eſſe aſſerant, vno eodemq́ cum Conſonantibus tempore, Hebræorum vocales non extitiſſe, exiſtimant. Verùm loca ſcripturæ, è multis pauca modò enumerata, ſi attentiùs conſiderentur, perſpicuum evadet, puncta vnâ cum XXII. literis aut orta eſſe, aut ſcripturam olim Cerei inſtar, nunc in hanc partem, nunc in illam fuiſſe flexibilem. Et ſi puncta ab hominibus ſunt inventa, ſequitur neceſſariò, ſcripturam hoc noſtro tempore authoritatem habere, non divinam, ſed humanam.* Hæc ille. Quæ diligenter notanda ſunt, ne quibuſdam Hebræorum Rabbinis, præter rationem nimiùm attendentes, neſcij etiam, ſcripturarum ſanctitatem & integritatem violemus.

N B. In immediatè præcedentibus aliquot Scripturæ loca recenſet, quæ ambiguitate liberari non poſſunt, ſine vocalium cum Conſonantibus coæva antiquitate.

I V.
Sic Fides noſtra, non Propheticis ſcripturis, ſed punctorum adinventionibus inniteretur.
Puncta Hebraica literaturæ vita ſunt.

Quartò. Sed & aliud *abſurdum* ſequeretur. Noſtram videlicet fidem & omnem cognitionem Theologicam, non in *lege Domini*, aut ſcriptis *Propheticis*, ſed in *adinventionibus humanis* fundatam eſſe. Extra omne namque dubium eſt, in ſcrutandis, examinandis, & trutinandis textibus, non minorem curam *punctorum*, quàm *literarum* habendam eſſe. Quin, vt ex ſuperioribus iam conſtat puncta Hebræorum, literaturæ Hebraicæ ipſa vita & anima ſunt, ſine quibus reliquæ literæ, emortua quaſi ſunt Elementa. Non autem ſuper induſtriam & ingenioſas hominum adinventiones, ſed ſuper *fundamenta Prophetarum* ſuperædificati ſumus, Epheſ. 2. verſ. 20. Item *Moſen* habent & Prophetas, illos audiant, Luc. 16. 29. ſed diverſâ ſtante ſententiâ, de poſthuma punctorum origine, libros Moſis & Prophetarum volventes, non *Moſen*, non *Prophetas*, ſed punctorum inventores audiremus, quibus vita & anima ſcripturarum meritò adſcribitur.

V.
Sicut tuba ſine certo ſono, ita conſonantes ſine vocalibus nihil certi ſonant.
1. Cor. 14. 7.

Quintò. Paulus ad Corinthios, de donis Spiritualibus ſcribens, prolixè commentatur, nihil illos, linguarum dono profecturos eſſe, niſi ab auditoribus, *quid dicant & velint*, diſtinctè intelligantur. Et vt res clarior ſit, ſimilitudine negotium illuſtrat: *Quæ ſine anima ſunt*, inquit, *vocem dantia, ſive tibia, ſive Cithara, niſi diſtinctionem ſonorum dederint, quomodo ſcietur id, quod canitur, aut quod Cithariʒatur? Etenim ſi incertam det vocem tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguas, niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur. Eritis enim in aëra loquentes.* Quæ omnia ego ad literaturam Hebræam optimè puto accommodari poſſe. Sicut enim *Tuba* nihil certi ſonans, *nullius vſus eſt*, ita quoque literæ ſine punctis, ad eam laudem, quæ ſcripturis ſacris tribuitur (quod videlicet, *præceptum Domini lucidum ſit, illuminans oculos*: quod mandatum lucerna, & Lex Lux, & quæ alia ſunt laudis capita) nunquam aſpirabunt. Literæ namque ſine punctis, aut nihil, aut pro arbitrio Lectoris, incertum ſonant.

Pſalm. 19. 9.

V I.
Dominus ſententiam ſuam expreſsè ſcribi voluit.

Sextò. Quod in demandatis ſcripturis, ſonare voluit Dominus literas, id etiã ſcribi iuſſit: Et per conſequens, non tantùm literas, ſed etiam puncta vocalia iuſſit exarari. Sed Exod. 17. verſ. 14. literas quas ſcribi iuſſit ſonare voluit זֵכֶר quod mentionem ſignificat, non autem זָכָר quod maſculum. Ergò זֵכֶר ſcribi voluit expreſſis punctis: ne legeretur זָכָר. Sic enim legitur, Exod 17. verſ. 14. *Dixitq́ Dominus ad Moſen: Scribe hoc memoriale in libro, &*

pone

Digitized by Google

& pone in auribus Ioſuæ, quia delendo, delebo mentionem Amalec *ſub cœlo*. Hoc eſt, non tantum Maſculos inter Amalecitas, ſed omnem illorum *memoriam* ſum excíſurus. Quam lectionem atque ſententiam ſuam Dominus, per Samuelem non tantùm repetit Saulo Regi, hiſce verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui quæcunq; fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, quùm aſcenderet de AEgypto: Nunc ergo vade & percute Amalec, & Anathemizate omnia eius, non parcas ei: ſed occidito, tàm virum, quàm mulierem, & puerum lactentem, bovem & parvam pecudem, Camelum & Aſinum quemq;*. Verùm etiam, cùm Saul opimis ex gregibus, & ipſi Regi Agago parcendo, mandatum Domini neglexiſſet, ſolio ſuo regio deiectus & regno privatus eſt. Hic eſt, puto ſatis luculentus commentarius, vtrum Dominus, Exod. 17. 14. זֵכֶר aut זָכָר ſcribi voluerit, & inde ſatis liquidum, ad exprimendam voluntatem Domini, non tantùm literas depingendas, ſed ijſdem etiam addendam fuiſſe punctationem. *1. Sam. 15. 2. & 3.*

VII. *Qui puncta addita negat, etiam aliquas literas negat.*

Si ſtatuatur, Hebræa Biblia, primùm ſine punctis exarata, & poſteà demùm, hominum ingenio atque induſtria, puncta addita fuiſſe, ſequetur Authores punctationum, non tantùm puncta vocalia, ſed in innumeris quoque locis, *literas* etiam addidiſſe, quæ vel præſentes, vel abſentes, in ſenſu & ſignificatione vocum *plurimum mutare* poſſunt. *Conſtat equidem*, He demonſtrativum, multoties per ſolam punctationem repræſentari, cuius præſentia vel abſentia, non vbique nullum pondus habet. Quod tamen iſthâc ſtante opinione, à ſolis punctationum Authoribus, hiſce vel alijs datis punctis, vel inſinuatum, vel neglectum eſt.

He demonſtrativum.

VIII. *Plurimum ponderis ſitum in Dageſch forti.*

Sed plus etiam ponderis ſitum eſt in puncto Dageſch. Cuius quanta *vis & efficacia* ſit, ad conſtituendum, fortificandum & intendendum, tùm etiam ad mutandum ſignificationes vocum, omnibus linguæ ſanctæ peritis, manifeſtiſſimum atque notiſſimum eſt. Quæ omnia, ſi à punctorum Authoribus, & non ab ipſis ſacrarum literarum Propheticis Scriptoribus, dependere ſtatuantur, plurimùm certè authoritatis & dignitatis ſcripturæ ſacræ periturum eſt.

IX. *Ipſe Salvator quoque noſtram ſententiam confirmat.*

Neq; parùm ad ſententiam noſtram confirmandam, faciunt verba Salvatoris, qui Matth. 5. verſ. 18. Cum religioſa atteſtatione ita loquitur: Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἕν, ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου. Hoc eſt: *Amen dico vobis: donec tranſeat cœlum & terra, Iota vnum, aut vnus Apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant*. Ex quibus ſatis manifeſtum evadit, Salvatorem, per *Iota*, minimam Hebræorum literam *Iod*, per κεραίας autem, eminentias ſive apices, hoc eſt, *eorundem puncta*, ſive vocalia, ſive quæcunq; alia intellexiſſe. Et vocat κεραίας τοῦ νόμου ſive puncta *ipſius legis*, non artificij cuiuſcunque humani. Cùm igitur Lex, ipſo *digito Dei* exarata & ſcripta ſit, Exod. 24. 12. & 31. 18. & 32. 16. & 34. 1. dubitari non poteſt, quin ipſæ quoque κεραῖαι τοῦ νόμου, hoc eſt, ipſa puncta Legis, eiuſdem ſcribæ DEI digito, ſimul exarata atque expreſſa fuerint. *Vnde manifeſtum eſſe poteſt*, quid de Gelberti Genebrardi opinione ſit ſentiendum, qui puncta Hebræorum adinventa eſſe refert, anno demùm ab everſo Templo CCCCXXXVI. qui eſt à Chriſto paſſo, Annus CCCCLXXVI. à Chriſto nato DX. Adeoque ſecundum Gelberti relationem, punctorum Hebraicorum ætas, vndecies centum ab hinc Annos non ſuperaret. Quis autem perſuaderi ſibi patiatur Hebraicam literaturam, à prima ſua origine, per aliquoties mille Annos, vſque ad tempora *Honorij Imperatoris*, qui quingentis annis poſt natum Chriſtum Imperio functus eſt, caruiſſe? Iſtis enim temporibus, refert Genebrardus, adinventa eſſe puncta, in Tyberiade Vrbe Galileæ: Et operis iſtius Principes fuiſſe, Aaronem quendam; & Iacobum, illum de Tribu Aſer, hunc de Naphthali. *Et quomodo Chriſtus* de κεραίαις ſeu apicibus Legis concionari potuiſſet, nullum illorum vſque

Chronicon Genebrardi, pag. 81.

Opinio Genebrardi refutatur.

ad mundi conſummationē periturum eſſe, cum ſecundum hanc opinionem, iſthoc tempore nullum illorum adhuc natum, ſed quingentos circiter annos pòſt demum, in Tyberiade Galilææ adinventa fuiſſent. Non enim vaticinatus eſt Chriſtus, in citatis verbis, de exortu futurorum punctorū, ſed de illorum, quæ tunc erant, concionatus eſt durabilitate & conſtantiâ.

X. *Teſtimonia Hebræorum.*

Elias Levites.

Poſtremò, in gratiam Hebraicæ linguæ Candidatorum, ex ipſis Hebræis, vnum atque alterum Teſtimonium citabo, ex quibus noſtra ſententia, de coæva punctorum, & literarum origine, non parùm, credo, illuſtrabitur. Sic igitur habet *Elias Levites*, in præfatione Cantici ſui ſtatim ab initio: לשון הקדש היא האבן הראשה לשאר הלשונות כלם: והאותיות הן סלם לעלות אל מרכבתה: כי מהם מחצבתה: והתנועות והנקודות הן הן היתדות אשר הסלם משלבות: Hoc eſt: Lingua ſancta eſt lapis ſummus, reſpectu omnium aliarum linguarum: Porrò literæ ſunt ſcala, quibus aſcenditur ad currum eius, nam ex eis eſt ſculptura (ſive ſtructura) eius: Vocales autem (motiones) & puncta, illa clavi ſunt, qui ſcalam ipſam gradificant. Ex qua Eliana ſimilitudine, facilè intelligitur, quanta neceſſitudine, literæ & vocales, & quæcunque alia puncta, iuncta ſibi invicem, atque connexa ſint. Quemadmodnm enim ſcalarum gradus, ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: ſic ait Elias, vocales & puncta Hebræorum eſſe ſcalarum gradus, qui abſentiâ ſuâ ſummas pariant & difficultates & pericula.

Vocales ſunt Gradus Scala Hebraica.

Similitudo.

Idem Elias, in libro Canticorum, Cantico tertio, circa finem ita canit: כי נמשלו האותיות לגופים אלה עשרה הן להן נשמות: Hoc eſt: *Comparantur autem literæ corporibus; iſta decem* (ſcil. vocalia) *ſunt eis anima.* Ex qua altera ſimilitudine, idem quod prius patet. Comparantur enim literæ corporibus, inquit Elias. Vocales autem ſunt inſtar animæ. Quemadmodum igitur corpus ſine anima cadaver eſt, ita quoque literæ Hebræorum, ſine punctis, emortua quaſi ſunt Elementa. Vnde concluditur, ad integritatem & vitam literaturæ Hebraicæ, ipſa quoque puncta requiri. Hæc Elias Levites in libro Cantici. Mirum igitur, quod idem ille, alibi in diverſam ſententiam inclinare videatur.

Vocales ſunt anima literarum.

R. Nechomas vixit ante Chriſtum.

Addo duo alia Teſtimonia, quæ citat *Petrus Cevallerius* & repetit *Buxtorffius* in verè dicto Theſauro ſuo Grammatico, *alterum* ex libro הבחיר R. *Nechonia*, qui triginta vel XL. annos, circiter, ante natum Chriſtum, floruit, is ita loquitur: *Similia ſunt puncta literarum Legis Moſis, animæ vitali in corpore hominis.* Hæc ille. Quæ ipſa ferè verba audivimus ex Elia Levita dicente: *Comparantur literæ corporibus: puncta vocalia verò ſunt ipſis anima.*

Alterum Teſtimonium citatur ex libro Zohar (qui ipſorum Hebræorum conſenſu ante Maſorethas & Thalmud conſcriptus eſt) & ita habet: *Non eſt vllis literis poteſtas ad proferendum, in hanc partem aut in illam partem, præterquam cum punctis literarum. Omnes enim illæ, ſunt tanquam corpus ſine anima: quùm adveniunt puncta, ecce corpus conſtituitur in ſtatura ſua.* Hæc ipſi Hebræi, de neceſſitudine, dignitate & nobilitate punctorum.

Et quod notatu digniſſimum eſt, proximo anno videlicet 1609. ex hoc eodem libro Zoar, Buxtorffius in Theſauro ſuo Grammatico, poſt dedicatoriam, aliquot loca annotavit, in quibus non tantùm generalis quædam punctorum atque accentuū mentio fit, ſed in ſpecie benè multi, ipſis ſuis nominibus vt: *Cholem, Chireck, Schurek, Sagol, Tzere, Scheva*, &c. disertè exprimuntur. Cùm igitur dictus ille liber Zohar, ipſorum Hebræorum conſenſu atque teſtimonio, tùm Maſorethis tùm Thalmud antiquior ſit, omnibus certè expeditum eſſe poteſt, quanta ſit & *authoritas* & *antiquitas* punctorum.

Atque

Digitized by Google

Quas adductas rationes, omnes & ſingulas ego conſiderans, concludo, omnes Biblicos libros, quoſque & ſingulos ab Authoribus ſuis, punctatos primùm exhibitos fuiſſe, tùm propter ipſius literaturæ naturam & neceſſitatem, tùm propter ſcripturæ ſacræ integritatem, dignitatem, authoritatem & certitudinem, quæ omnes certè plurimùm laborarent, ſi punctorum inventionem & applicationem, in poſteriora tempora hominesque reijceremus.

Atque ſic demùm & vanitas, & præfracta audacia *Rabbi Ionathæ* manifeſtò patet. Quia enim extra dubium eſt, authenticum Exemplar Ezechielis, *cum punctis* abſolutum perfectumq; fuiſſe, omnibus quoque manifeſtum eſt, ſceleratum *crimen falſi* eſſe, quòd Ionathan effutire non erubeſcit, legendum eſſe יְהוָה שְׁמָהּ IEHOVA *nomen eius*: Non autem יְהוָה שָׁמָּה *Dominus ibi*. Cuius occaſione, nobilis illa quæſtio, de *origine & antiquitate* punctorum ſimul quoque explicata, adeoque ad *primam* Hebræorum inſtantiam reſponſum eſt, quam de eſſentiali & magno nomine Dei IEHOVA, contra Axioma noſtrum Theologicum, ex vltimis verbis noſtri Ezechielis proponunt.

Ad ſecundam inſtantiam quod attinet, quam ex Ierem. 33. verſ. 15. produxerunt: *Et hoc, quod vocabunt eam, IEHOVA iuſtitia noſtra.* Licet pronomen לָהּ fœmininum ſit, & ad Vrbem Hieruſalem rectè referatur, quod negari non poteſt: nequaquam tamen inde ſequitur, quod magnum nomen IEHOVA, de Civitate Hieruſalem enuncietur, ſi proprietatem linguæ ſanctæ rectè examinemus. *Primùm* enim conſtat, quòd vulgatiſſimo Idiotiſmo linguæ Hebrææ, *Tertiæ perſonæ verba* ſæpiſſimè *imperſonaliter* accipiantur, vt Geneſ. 16. 14. *Propterea vocavit* (ſcil. vnuſquiſque) *puteum illum, viventis, videntis me.* Rurſus Geneſ. 21. 31. *Idcirco vocavit* (ſcil. vnuſquiſq;) *locum iſtum Berſeba: quia ibi iuraverat Abraham & Abimelech.* Pro vocatus eſt ille puteus, puteus viventis, videntis me. Item vocatus eſt locus ille Berſeba. Qui *Hebraiſmus*, inde originem ſuam habet, quia per Ellipſin vocula אִישׁ vir vel vnuſquisque, frequenter omittitur, ſed in germanica lingua ſemper exprimitur: **Man ſagt / man ſchreibt / man iſſt / man trinckt /** hæc Latinis imperſonaliter exprimuntur: *Dicitur, ſcribitur, editur, bibitur.* Hoc primum gradum futuræ explicationi ſternit: vt יִקְרָא imperſonaliter accipiamus: Et hoc, quod vocabitur ei. *Secundo* loco excutienda eſt ſignificatio verbi קָרָא Illud ſanè frequentiſſimè ſignificat, vocavit, nominavit, appellavit: vt in proximis citatis locis: *Vocavit puteum*, puteum viventis & videntis. Item *vocavit locum iſtum* Berſeba, id eſt, puteum iuramenti. Sic Geneſ. 1. verſ. 5. Et *vocavit* DEVS lucem diem, & tenebras vocavit noctem. verſ. 8. Et *vocavit* DEVS expanſionem cœlos, verſ. 10. Et *vocavit* DEVS Aridam terram, & congregationem aquarum appellavit maria. In quibus omnibus & alijs plurimis locis, eſt verbum קָרָא ſignificans *appellare, nominare, vocare*, &c. Sed & *alias* habet ſignificationes, & inter illas hanc etiam, quòd ponitur pro *annunciare, ſignificare, prædicare*, vel ore vel ſcriptis. Vt Ioſuæ 8. verſ. 34. Et *Ioſua* propoſuit, *recitavit*, קָרָא *omnia verba legis, benedictionem & maledictionem.* Sic Levit. 25. verſ. 10. *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum*, & promulgabitis וּקְרָאתֶם *libertatem in terra, cunctis habitatoribus eius.* Elegantiſſimus autem locus eſt, Eſai. 40. verſ. 2. *Loquimini ad cor Hieruſalem*, & prædicate ei וְקִרְאוּ אֵלֶיהָ *Quòd completa eſt militia eius.* Quæ ſic *Lutherus*: **Redet mit Hieruſalem freundtlich / vnd prediget Jhr / daß Jhre Ritterſchafft ein End hat.** Et mox verſ. 3. *Vox clamantis in deſerto* קוֹל קוֹרֵא בַּמִּדְבָּר *parate viam Domino.* Quæ iterùm *Lutherus*, & hîc & Iohan. 1. verſ. 23: **Es iſt eine Stimme eines Predigers in der Wüſten: Bereitet dem HERREN den Weg.** Et alius conſimilis locus Eſai. 61. verſ. 1. *Spiritus Domini Domini ſuper me, propterea vnxit Dominus me, ad Euangelizandum manſuetis miſit me, ad obligandum contritos corde, ad prædicandum* לִקְרֹא *captivis libertatem*, &

Diſſolutio ſecundæ inſtantiæ.

1. Hebraiſmus. Verba tertiæ perſonæ ſæpè accipiuntur perſonaliter.

2. Verbi קָרָא *diverſa ſignificata.*

Digitized by Google

vinctis apertionem carceris, ad prædicandum לִקְרֹא *annum acceptum Domino, & diem vltionis Deo noſtro, ad conſolandum omnes lugentes.* Quæ iterum *Lutherus*, ſic eſt interpretatus: **Der Geiſt des HERRN HERRN iſt vber mir/darumb hat mich der HErr geſalbet. Er hat mich geſandt/den Elenden zupredigen/die zubrochen Hertzen zuverbinden/zu predigen den Gefangenen ein Erledigung/den Gebundenen eine öffnung/zupredigen ein gnädiges Jahr des HErrn/vnd einen Tag der Raach vnſers Gottes/zu tröſten alle Trawrigen.** Vnicum locum addo, ex Nehem. 6.7. Sanaballat ſcribit Nehemiæ: *Auditum eſt in gentibus, te Prophetas conſtituiſſe, qui* prædicent *de te*, לִקְרֹא עָלַיִךְ *Hieroſolymis* [id eſt, annuncient, promulgent] *dicendo*: *Rex eſt in Iuda*, &c. poſſem plura alia adhuc loca adducere, ſed ex his puto ſatis clarum eſſe propoſitum noſtrum: vocem videlicet קָרָא pro *ſignificare, annunciare, prædicare*, ſæpiſſimè vſurpari.

Ex hiſce iam, genuina explicatio loci Prophetici ſpontè ſurgit: hæc nimirum: hoc, *quod prædicabitur illi* Hieroſolymis *IEHOVA iuſtitia noſtra.* **Vnnd man würdt jhr predigen/der HErr vnſer Gerechtigkeit.** Quâ ſolâ, verâ & genuinâ verſione, omnis obſcuritas & difficultas ablata eſt. Et confeſtim ſimul in fumos abit, totum & portentoſum Iudæorum ſomnium, qui ſic inſtabant: *Hieruſalem* vocatur Iehova. Non igitur valet collectio, ex magno Dei nomine, ad *divinitatem* Meſſiæ. Negamus enim antecedens, & æternùm negamus, *Hieruſalem* IEHOVA *appellari.* Dicimus autem ſummam & Argumentum prædicationis, quæ Hieroſolymis perſonabit, hanc eſſe: *quòd IEHOVA iuſtitia noſtra*: Et *inde* hoc nomen ipſius Meſſiæ eſt, quod vocatur IEHOVA iuſtitia noſtra. Ieremiæ cap. 23.6. *Et hoc eſt nomen eius, quod vocabunt* eum, *IEHOVA Iuſtitia noſtra.*

Aliæ obiectiones. Hiſce iam *alias obiectiones* adijcio, quas recentiores excæcati Hebræi, ad impugnandum Meſſiæ divinitatem opponunt. *Tria* autem *alia adhuc loca* proferunt, quibus probare volunt, alias etiam res, magno & eſſentiali Dei nomine appellari, propterea Meſſiæ divinitatem ex illo concludi non poſſe. *Primus* eſt, Geneſ. 22. verſ. 14. vbi ſic legimus: *Et vocavit Abraham nomen loci ipſius* יְהוָה יִרְאֶה IEHOVA videbit, quod dicitur hodie, in monte Domini videbitur.

1. Ex Geneſ. 22.14.

2. Ex Exod. 17.15. *Secundus* locus eſt, Exod. 17.15. *Et ædificavit Moſes Altare, & vocavit nomen eius*, יְהוָה נִסִּי IEHOVA vexillum meum.

3. Ex Iudic. 6.24. *Tertius* locus eſt, Iud. 6.24. *Et ædificavit ibi Gedeon Altare Domino, & vocavit illud*, יְהוָה שָׁלוֹם IEHOVA pax, *IEHOVA E pacis.*

Reſponſio generalis. Hæc obiectantur ab Hebræis: ad quæ omnia, & quæcunque id genus alia eſſe poſſunt, ex ſuperioribus abundantem habere poſſent explicationem, niſi horrendùm excæcatos, & inexplebili invidia atque odio, contra Meſſiam noſtrum inflammatos animos circumferrent. Quemadmodum enim ex nomine *Iehonathan*, hoc eſt, *IEHOVA dedit*, vel *Iehoſua*, hoc eſt, *IEHOVA ſalvavit*, nequaquam concludi poteſt, illum qui hoc aut alio conſimili nomine, inſignitus eſt, magno & eſſentiali Dei nomine, appellatum eſſe: cùm omnibus manifeſtum ſit, nihil aliud velle aut habere eiuſmodi nomina, quàm *commemorationes* aut *gratiarum actiones*, pro muneribus atque beneficijs divinis: Dominus dedit, Dominus ſalvavit. *Eâdem* planè ratione, iſthæc omnia adducta loca, non hoc efficiunt, quod intendunt Hebræi, *res nimirùm inanimatas appellatas eſſe* IEHOVA: ſed ſicut in hominibus iſtiusmodi nominum impoſitione, divinorum beneficiorum *memoria* recolitur, ita rerum quoque inanimatarum, conſimilis Nomenclatura, eundem ipſum, nec alium vel vſum, vel effectum habet. Nimirùm igitur craſſi & abſurdi ſunt Hebræi, qui ex adductis locis, falſiſſimam ſuam Theſin defendere, *fruſtrà* adnituntur.

Digitized by Google

Vt tamen res omnis magis plana atque perſpicua ſit, de ſingulis adductis locis, in ſpecie aliquid dicamus. Ad *primum* igitur quod attinet Geneſ. 22. verſ. 14. Abraham *vocavit nomen loci illius*, IEHOVA videbit: Scimus, quid idem filio Iſaaco, de ſacrificio percontanti, reſponderit: Cùm enim hic diceret, Geneſ. 22. verſ. 7. *Ecce mi pater ignem & ligna, at vbi pecus ad holocauſtum?* Reſpondit Abraham, *Deus proſpiciet ſibi de pecude, mi fili.* Poſteaquam igitur Abraham Angeli verbis, ne immolaret Iſaacũ, prohibitus: Aries autem, in vepreto cornibus hærens, ad holocauſtum monſtratus eſſet, ibi Abrahamus, mirabilem eventum rei, cum priore reſponſo ſuo, quo ad Dei providentiam, filium erudiverat, conferens ex eadem illa omniſapientiſſima & maximè paterna providentia divina, loco nomen indidit, *Dominus providebit*, appellans. Vnde tàm cæcis quàm luſcis clarum eſſe poteſt, nequaquam Abrahamo, vt montem illum IEHOVA appellaret, ſed vt mirandam IEHOVÆ *providentiam*, & eiuſdem paternam *curam atque ſollicitudinem* celebraret, animum atque propoſitum fuiſſe. Hinc in *proverbium* res abijt, referente Moſe, vt quoties quodcunque negotium dubios & maximè perplexos eventus haberet, dicerent pij: *In monte Domini providebitur*, hoc eſt, ſicut Dominus Iſaaci immolationem, paternâ providentiâ direxit, & ad lætum acceptatumque deduxit finem, ita huic quoq; negotio, paterna ſollicitudine felicem dabit eventum.

1. Reſponſio ſpecialis ad locum Geneſ. 22. 14.

Proverbium Hebræorum.

Eadem eſt ratio loci, Exod. 17. verſ. 15. Poſteaquam enim durante conflictu populi cum Amalecitis, Moſes cum Aarone fratre & Chur, montis Horeb verticem conſcendiſſet, atque victoria, quamdiu elevatis manibus ſuis Baculum Domini vexilli inſtar elevaſſet, Iſraëlitis, remiſſis autem manibus, Amalecitis cederet, quam ob cauſam, vt vexillum Domini perpetuò in ſublimi maneret, Aaron & Chur, vexilliferum Moſen, non tantùm lapidi, cui quietus inſideret, impoſuerunt, ſed manus etiam, ne laſſatæ vexillum Domini vnquam remitterent, vtrinque ſuffulciverunt: Vnde factum eſt, vt Iſraëlitæ hoſtes ſuos, maxima data ſtrage, fortiter funderent, ſternerent, fugarent, vſque ad occaſum ſolis. In cuius rei memoriam, *Moſes altare extruit*, indito nomine, *Dominus vexillum meum.* Quâ Nomenclaturâ nequaquam Moſes *Altare* hoc, quod victoriæ illius tempore nondum natum fuerat, magno & eſſentiali nomine, IEHOVAM appellare, ſed *memoriæ ſignum* tantùm eſſe voluit, IEHOVAM, Dominum exercituum, mirandæ illius victoriæ, quæ cum vexilli divini elevatione continuata eſt, *vnicum Ducem, Authorem, & Perfectorem* fuiſſe. Cuius omnis beneficij, hoc nomen memoriam conſervare debuit in toto populo יְהוָה נִסִּי *IEHOVA vexillum meum.*

2. Reſponſio ad locum Exod. 17. 15.

Eiuſdem planè generis & explicationis eſt locus tertius, Iudic. 6. 24. Extruxit Gedeon Altare, quod vocavit *IEHOVA pax* יְהוָה שָׁלוֹם: Poſteaquam enim Dominus ipſi de Madianitica victoria loquutus, & abiens pacem precatus eſſet: *Pax tibi:* Gedeon in gratitudinis & exultationis memoriam, extruit altare, quod IEHOVA *pacem* eſſe, perpetuò admoneret.

3. Reſponſio ad locum Iudic. 6. 24.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſſe puto, Iudæorum nugas vel nihil, vel nihilo etiam minus valere. Vbique enim conſtat, ſanctos Dei homines, dictis nominibus, non ad res ipſas ſimpliciter, ſed ad *verum DEVM IEHOVA*, eiuſque beneficia reſpexiſſe. Quæ omnia ex ipſis Hebræorum commentarijs, adhuc etiam luculentius, contra hodiernos Iudæos demonſtrari poſſent: ſed brevitatis ſtudio, remitto linguæ ſanctæ Amatores, ad Petr. Galat. de Arcanis Catholicæ veritatis, libr. 3. cap. 7. vbi pluribus oſtenditur, Veteres Hebræos, quibus moderni contradicere nullâ ratione poſſunt, *eàdem planè ratione*, qua nos ſolemus, locos illos explicuiſſe.

Digitized by Google

REGVLA interpretationis ἀπὸ κοινοῦ.

Sufficere igitur poterant, & abundè ſufficere, quæ hactenus de huiuſmodi locis explicandis commentati ſumus: attamen in gratiam cultorum & alumnorũ linguæ ſanctæ, vnicam adhuc *rationem interpretandi* ſubijcio, quâ ſpero, & hæc, quæ dicta ſunt, non parùm & confirmatum, & dilucidè atq; perſpicuè magis illuſtratũ iri. *Notum eſt* omnibus Hebraicè doctis, vulgatiſſimum eſſe linguæ ſanctæ, quòd ad ſententiæ vel integritatem, vel maiorem diluciditatem, aliquid, ſive ex præcedentibus, ſive conſequentibus, ὡς ἀπὸ κοινοῦ, vel reſumendum ſit, vel ſubintelligendum: Id quod adeò familiare & frequens eſt, vt niſi faciamus & obſervemus hoc ſedulò, plurima ſcripturæ loca, hiulca, obſcura, mutila & manca futura ſint. Cumprimis autem frequens eſt *Ellipſis Relativi*, eiusque vel ſolius, vel Antecedentis etiam ſubſtantivi, quorum omnium Exempla, vbique in ſcripturis obvia ſunt. Hiſce *Idiotiſmis* obſervatis, pleraque obiecta loca, ſuâ luce nitent, nec vlteriore curâ aut ſollicitudine vllâ opus habent. *Exempli gratia*: Geneſ. 22. 14. *Abraham vocavit nomen loci illius*, IEHOVA providebit. Subintellige, relativum, cùm Antecedente ſubſtantivo, ita habebit: *Abraham vocavit nomen loci illius*, locus, in quo *Dominus providebit.* Quæ explicatio, validiſſimè nititur ſubſequentibus verbis: Ex quo dici ſolet hodiè: *in monte Domini providebitur.*

Ellipſis apud Hebræos frequentiſſima.

Sic Exod. 17. 15. *Extruxit Moſes Altare, & vocavit nomen eius*, IEHOVA vexillum meum: Reſume antecedens & ſic habebit: *Et vocavit nomen eius:* Altare *IEHOVAE vexilli mei.*

Eâdem ratione Iudic. 6. v. 24. *Gedeon ædificavit Altare, & vocavit illud*, IEHOVA pax. Subintellige antecedens, & explicatè ſic habebit: *AEdificavit Altare, & vocavit illud*, Altare *IEHOVAE pacis.*

Exempla Ellipſeus.

Patet igitur, hâc *vnicâ Regulâ*, non tantùm obiecta loca, ſed mille alia explicari & illuſtrari poſſe. Nihil enim *vſitatius* eſt in ſcripturis ſanctis, quàm *Ellipſis*, quæ vel ex *antecedentibus*, vel *conſequentibus*, vel *ipſo ſenſu*, & *Argumenti neceſſitate* atque *orationis veritate* ſupplenda eſt. Vnum & alterum Exemplum ſufficiat.

Pſalm. 1. 1. Oratio integra & explicata eſt: *Beatus vir ille, qui non ambulat in conſilio impiorum.* אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ. Sed eadem oratio Elliptica eſt, defectu *Relativi* in Pſalmo 34. 9. *Beatus vir ille, recipit ſe ad Dominum.* אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר יֶחֱסֶה־בּוֹ: Vbi neceſſariò ſubintelligendum eſt Relativum. *Beatus vir ille*, qui *recipit ſe ad Dominum.*

Pſalm. 71. 18. *Ne derelinquas me Deus, donec annunciavero brachium tuum, generationi omni, veniet:* Deſideratur *relativum: Generationi omni*, quæ *veniet*: hoc eſt, omni poſteritati.

Geneſ. 39. 4. Potiphar: *Omnia erant ſibi, dedit in manu eius* ſcil. Ioſephi. Hebr. וְכָל־יֶשׁ־לוֹ נָתַן בְּיָדוֹ deſideratur *relativum, Potiphar omnia*, quæ *erant ſibi, dedit in manu Ioſeph.*

Exod. 18. verſ. 20. *Notificabis ipſis viam, ibunt in ea, & opus quod facient.* Pro: *Notificabis ipſis viam*, quâ *eant*, quam ambulent: Deſiderato relativo. וְהוֹדַעְתָּ לָהֶם אֶת־הַדֶּרֶךְ יֵלְכוּ בָהּ וְאֶת־הַמַּעֲשֶׂה אֲשֶׁר יַעֲשׂוּן:

Pſalm. 11. 4. יְהוָה בַּשָּׁמַיִם כִּסְאוֹ *Dominus in cælis ſolium eius*, pro *Dominus*, cuius *in cælis ſolium.* Sed huius generis Exempla, vbi Relativum Elliptice deſideratur, infinita occurrunt.

Ellipſis præcedentis ſubſtantivi.

Conſimilis eſt *Idiotiſmus* Ellipſeωs, quando non tantùm relativum, ſed ſubſtantivum quoque, quod antecedere debebat, omittitur: *Exempli gratiâ*: Integra oratio eſt: Exod. 23. v. 20. *Ecce ego mittens Angelum coram te, ad cuſtodiendum te in via, & ad introducendum te, in locum, quem paravi.* Sic 1. Paralipomenωn. 15. verſ. 3. Integra eſt oratio: *Congregavit David omnem Iſraël in Hieruſalem, vt aſcendere faceret Arcam Domini, in locum, quem paraverat ei.*

Sed

Digitized by Google

Sed Elliptica oratio eſt, quæ in eodem capite. 1.Paralip.15. 12. occurrit: *Et dixit eis* (David) *vos aſcendere facietis arcam Domini Dei Iſraël, ad præparavi ei*, hoc eſt, ad locum, quem *præparavi ei*.

Sic Ierem.2.8. *Prophetæ ipſi Prophetarunt per Bahaal, & poſt non proſunt ambulauerunt*: vbi ellipſis eſt & ſubſtantivi & relativi: pro: *poſt* idola, quæ *non proſunt, ambulaverunt*.

Ex hiſce locis Hiſtoriæ Abrahami eluceſcit: *Vocavit nomen loci*: locus, in quo *Dominus providebit*.

Vnicum adhuc explico Idiotiſmum, cuius in præſentia vſus eſt: Is dominatur in *nominibus conſtructis*. Nam *conſtructa nomina*, ſemel poſita, rarò repetuntur: frequentiſſimè autem per Ellipſin omiſſa, ſubintelliguntur: vt, Pſal. 36. 4. Vbi ſic legitur: דִּבְרֵי־פִיו אָוֶן וּמִרְמָה *verba oris eius, vanitatis & doli*: Elliptice: pro: *verba oris eius*, verba *vanitatis & doli*, hoc eſt, verba vana & doloſa. *Ellipſis nominis conſtructi non repetiti.*

Pſalm.35.6. *Sit via eorum, tenebrarum & lubricitatum*, pro, *ſit via eorum*, via *tenebrarum & lubricitatum*, hoc eſt, via tenebroſa, & lubriciſſima.

Non rarò, ipſum conſtructum primum omittitur: nomine אִישׁ, vel alio quovis ipſius Argumenti & ſenſus, commoditati inſerviente, ſubaudito, vt: 1. Reg. 22. 36. וַיַּעֲבֹר הָרִנָּה *Et tranſivit clamor*. Vbi diſcrepantia generum (nam verbi maſculinũ eſt, nominis fœmininũ) aliquid, vt אִישׁ vel קוֹל ſubintelligendum eſſe manifeſtò oſtendit, vt ſic habeat: *& tranſivit* vir *clamoris*, *vel* vox *clamoris*, hoc eſt, præco. *Ellipſis ipſius conſtructi.*

Pſalm.36.12. *Ne invadat me pes ſuperbiæ*, hoc eſt viri *ſuperbiæ*.

Pſalm.120.7. *Ego pax* vel *pacis*. וַאֲנִי שָׁלוֹם pro, *ego ſum* vir *pacis*, hoc eſt, pacificus.

Ex hiſce *Idiotiſmis*, iam reliqua etiam obiecta loca eluceſcunt. Exod.17.15. *Ædificavit Moſes Altare, & vocavit Nomen eius, Iehovæ vexilli mei*, ſubintellecto nomine Altaris, quod per ellipſin omiſſum eſt: *vocauit nomen eius*: Altare *Iehovæ vexilli mei*.

Et Iud.6.24. *Gedeon ædificauit Altare, & vocauit nomen eius*: Iehovæ pacis, ſubintellige nomen conſtructum Ellipticum: *Altare*. Sed ſatis. Et conſtat iam ex omnibus dictis, ſalvum & immotum eſſe Axioma: *De quocunque enunciatur Iehoua, is verus eſt & æternus Deus*. Id quod contra cæcos & blaſphemos Iudæos demonſtrandum erat.

MEDITATIONES
SPIRITVALES DE IPSO TEMPLO.

ABſolvimus huc vſque, Domini Spiritu, contemplationes & meditationes noſtras ſpirituales, de *diuiſione terræ* ſanctæ: De *portione* eius, & *quadrato ſancto*, nec non de *Ciuitate ſancta*: ſupereſt ipſum *Templum*. Quod cùm Principale huius viſionis membrum ſit, meritò illud ſingulari ſtudio & diligentia contemplandum. Sic exhortante Demonſtratore Prophetam cap. 40.4. *Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & adverte animum tuum ad omnia, quæ ſum oſtenſurus, nam vt oſtenderem tibi, adductus fuiſti huc: Indica omnia quæ vides, Domui Iſraëlis.* Accipimus igitur noſtri officij eſſe, vt attendamus ad omnia, quæ Prophetæ revelata, & ab eodem nobis relata ſunt. Et noſtros igitur *intendamus* oculos, & noſtras *arrigamus* aures, & noſtros animos *aduertamus*, ad omnia, quæ contemplanda & meditanda nobis proponuntur. Et cum hoc membrum primarium atq; principale ſit, totius huius Propheticæ viſionis, ideoq; meditationes eius, ad hũc vſq; locum reſervavimus, vt aliarũ

 partium

Digitized by Google

partium contemplationibus inſtituti, eruditis quaſi & exercitatis oculis, ad præſens contemplationis membrum accederemus. Is qui finxit nobis oculos,& aures plantavit, atque animos nobis formavit intelligentes, gratiam quoque nobis & Spiritum ſanctum largiatur, vt maximas eas, & vtiliſſimas, atque diviniſſimas res, quæ in huius Templi viſione nobis proponuntur, & ante oculos atque animos noſtros depinguntur, eo quo decet *ſtudio, diligentiâ & Zelo, attendamus, contemplemur, admiremur.* Demonſtrator ille ſanctiſſimus & vigilantiſſimus, qui Prophetæ noſtro omnes viſionis partes, admirandâ omninò, adeoque ſtupendâ diligentiâ, certiſſimis certarum menſurarum numeris deſcripſit, monſtrauitque, idem & nobis, quæ per Prophetam diligenter deſcripta & miro artificio depicta ſunt, animis & mentibus noſtris, ita demonſtret, imprimat & infigat, vt huius Templi contemplationibus toti infixi, in omni totaque vita noſtra, *divini amoris* erga nos exuberantem abundantiam, *Redemptionis ſalutiferæ* ſuperexcellentes divitias, & æternæ illius atque *cæleſtis beatitudinis* ineffabilia gaudia, quæ omnia nobis in Templi huius viſione depinguntur, perpetuò animis noſtris quaſi præſentes contemplemur, *vitæ pietate & ſanctimoniâ* gratos nos, vt Eccleſiæ ſanctæ membra decet, exhibeamus, & *felicitatis noſtræ*, qua & in hac fruimur, cum primis autem in futura illa cumulatè & æternùm vtemur, fruemur, probè ſancteque memores, in omnibus afflictionibus & calamitatibus noſtris, de liberatione & compenſatione certi, ſummis gaudijs & tripudiis, perpetuò exultemus. Huic innixi ſpei & fiduciæ, demonſtratore noſtro ſancto duce, meditationes noſtras, de Templo ſancto feliciter ingredimur.

METHODVS inſequentium meditationum.

Ne verò, in iucundiſſimo hoc & ſanctiſſimo, ampliſſimo ſimul contemplationis campo, incerti & vagabundi oberremus, hoſce meditationum obſervabimus Cancellos.

I. De demonſtratore.

Primùm, ipſum *demonſtratorem Propheticum* contemplabimur: de quo ſanè iam dudum dictum eſſe oportuit. Quia verò Templi meditationes, adhunc vſque locum diſtulimus, & ille (demonſtrator) ab initio huius loci deſcribitur, commodè ſanè eodem in loco, in eundem ipſum oculos noſtros convertimus.

II. De Templo.

Secundò loco de ipſo *Templi ſitu* & ſtructura meditabimur. Vbi in ſpecie nobis occurrent: Mons in quo ædificatum Templum. Extremus ambitus: diſtincta eiuſdem Atria: Altare: ipſa Domus cum Appendicibus ſuis: Loca culinaria & foci: Aula poſtica: Et omnium partium ornamenta.

III. De legibus Templi.

Tertiò, *de legibus Templi*, vbi tàm de vero cultu, quàm omnium Eccleſiæ membrorum officio, ſuſcipiendæ erunt meditationes. Adſit divinâ ſuâ gratiâ demonſtrator.

De quibus tamen in ſuperioribus etiam mentio aliqua facta eſt, illa inſuper grata conditurі ſumus brevitate.

I.

MEDITATIONES DE Demonſtratore.

I. Demonſtrator Propheticus CHRISTVS eſt Architectus Eccleſiæ.

DEmonſtratorem Propheticum non alium eſſe, quàm CHRISTVM SALVATOREM, quem in viſionibus Propheticis vidit noſter Ezechiel, vel inde facilè liquet, quòd ille vnus eſt *verus Architectus Eccleſiæ ſuæ. Tu es Petrus* (inquit apud Matth.) *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Per quem enim *omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quod factum* eſt: Et per quem *ſecula condita ſunt*, per eundem etiam condita & extructa eſt, conſervata etiam hactenus, Eccleſia. De qua ſtructura Apoſtolus loquitur:

Ezech. 40. 3. Matth. 16. 18. Iohan. 1. 3. Hebr. 1. 2. 1. Corinth. 3. 9.

Digitized by Google

Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. 1. Corinth. 3. Inde Eccleſia *Domus Dei, &*
ſancti ipſi, *Templum Dei* appellantur. Elegans autem locus eſt ad Hebr. cap. 3. 3. *1. Timoth. 3. 15.*
Chriſtus, Apoſtolus & Pontifex noſtræ Confeſſionis, amplioris gloriæ præ Moſe, dignus *1. Petr. 4. 17.*
habitus, quanto maiorem gloriam domo habet, qui fabricauit illam. Et mox: verſ. 5. 6. *1. Cor. 3. v. 16. 17.* *Hebr. 3. 3.*
Moſes quidem fidelis erat in tota domo Domini, tanquam famulus, *Chriſtus verò tanquam* filius in domo SVA, quæ domus ſumus nos. Inde quàm nobilis ſit ſtructura Eccleſia, tàm nobiliſſimi & artificioſiſſimi Archithecti, facilis eſt pijs mentibus coniectura.

Appellatur autem hic Architectus, *vir, & ſpecies eius, quaſi ſpecies æris vel cha-* II.
lybis. Ezech. 40. 3. vbi intelligendum, eandem fuiſſe ſpeciem viri huius, quam *Chriſtus verus*
idem Propheta ſimili phraſi in animalibus expreſſit, de quibus ſcripſit, Ezech. *Deus & verus* *homo.*
1. 7. *lucidiſſimam* videlicet & *terſam, & fulgore ſplendentem.* **Er hat glantzet vnd** *Species chalybis*
geſchimmert wie ein ſtählner / ſchön / vnd rein Palirter Spiegel. Quibus *terſiſſima.*
verbis præſtantiſſima huius Architecti *nobilitas*, adeoque *perſona Chriſti deſcribitur.* Quòd enim *vir* appellatur, eo natura illius humana exprimitur, quam in temporis plenitudine erat aſſumpturus. Quòd autem ſpecies eius *puriſſimi chalybis* inſtar fuiſſe ſcribitur, eo non tantùm puritas & ſanctitas eius, ſecundum humanam naturam, in qua non eſt inventus dolus, ſed natura quoque eius divina inſinuatur, quę omnì chalybe, omni ære & ferro, ſiquidem ipſe pater ſeculorum, multò eſt *durabilior.* Et hæc quidem myſteria, in hac viſione Propheticâ ſubobſcurè deſignantur & adumbrantur: in alijs autem ſcripturæ locis, dilucidè & explicatè evolvuntur & explicantur. Hoc enim eſt myſteri-
um illud, in quod etiam *Angeli contueri*, & profundiſſimâ illâ bonitate & ſapien- *1. Petr. 1. 12.*
tiâ Dei ſeſe oblectare deſiderant.

Talis eſt Architectus, qui Eccleſię ſuæ, vnicus fundator, fabricator, & cō- *Architecti famuli*
ſervator eſt, habet tamen *operarios* ſuos, & famulos ſubminiſtrantes, quorum *& miniſtri.*
famulitijs, in ſtructuræ ſuæ operis vtitur. Hi ſunt *Eccleſiæ & verbi diuini miniſtri.*
Dei namq; cooperatores (συνεργοὶ) ſumus. *Et ſecundum gratiam*, vt ibidē inquit *1. Cor. 3. 9.*
Apoſtolus, *quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Qualis igitur *1. Cor. 3. 10.*
eſt *Architectus*, talem illum, ſecundum proportionem gratiæ divinitùs conceſ-
ſæ, æmulentur famuli. *Chalybeam* firmitatem ſervent, tùm in officij functioni- *Sint conſtantes.*
bus perdurando, tùm in calamitatum & perſequutionum procellis conſtāter perſeverando. Chalybeos .n. & firmos, non arundineos ad quoſvis auræ motus agitabiles, Eccleſiæ, verbiq; miniſtros eſſe oportet. Qua laude, priſci illi *Prophetæ Apoſtoli* Domini, cū primis autem *Iohannes Baptiſta*, & Apoſtolus *Paulus*, tùm omnes victores & triumphantes *Martyres* excelluerunt. *Quid exiſtis* (inquit Salvātor de Baptiſta) *in deſertum, videre? Arundinem vento agitatam?* q. d. voluiſſet: falſi & fruſtrati eſtis, tā mollia, vobis & inconſtantia de chalybeo Iohanne imaginando. *Ecce enim, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Hic
autem eſt Propheta. Et dico vobis, *etiam plus, quàm Propheta.* Fuit autem ſpe- *Sint vita pura &*
cies illa chalybis, terſiſſima & puriſſima. Purus enim Architectus, atq; omnis *integra.*
peccati, iniquitatis ac doli integerrimus. Ad quam ſanè ſupremi Architecti puritatem & ſanctitatem, omnibus modis abſolutiſſimam & perfectiſſimam, nullus omnium famulorum, dum in hoc quidem ævo operis faciundis occupamur, nunquam adſpirabit: opera tamen omnibus danda, ſtudium quoq; & diligentia in eo ſedulò diligenterq; ponendum eſt, vt ad vitæ puritatem morumq; ſanctimoniā, quantamcunq; in hac vita aſſequi poſſumus, indeſinenti
ſtudio elaboremus. Speciem enim famulorum, qui in templo noſtro Prophe- *Species chalybis.*
tico, hoc eſt, in Eccleſia & domo Domini operas faciunt, ſpeciem chalybis
terſi & politi eſſe, non ferri ærugine atq; rubigine eroſi atque corrupti conve-
nit. Hoſce enim *carbonarios* dicas, in veſtibulo inferorum occupatos, non Fa- *Carbonarii.*
bricatores aut operarios in Templo ſancto. Plura etiam deſtruunt, quam ædificant, pernitioſæ eiuſmodi æriginea peſtes.

Porrò

Digitized by Google

Pietatis ſtudium oportet eſſe continuum.

Luc.18.1.

1.Corinth.15.58.

Coloſſ.4.6.

1.Tim.4.v.8.12.15

Paſtr Mühlin.

Porrò ſicut chalybs & ferrum perpetuò & nunquã intermiſſò quotidiano vſu niteſcit, neglectu verò, rubigine corrũpitur. *Attritu namq. & expolitione chalybeum ſpeculum ſplendeſcit.* Ita continuo ſtudio, & quotidianâ diligentiâ opus eſt, vt ſpecie decorus famulus, nitorem atq; ſplẽdorem ſuum *conſeruet*. Pietatis enim & virtutis ſtudium, quotidiano vſu & exercitio ferveſcit: neglectu verò & torpore frigeſcit, langueſcit; ac tandem omninò emoritur. Huc ſpectant Salvatoris & Apoſtolorum monita, vt indefeſſo ſtudio, dieſque noctesque, precibus & pietatis ſtudijs invigilemus, vt *ſine intermiſſione* precemur, *ſemper* benefaciamus, *ſemper* parati ſimus ad omnia opera pietatis. Quoniam *oportet ſemper orare, & nunquam deficere*, inquit Chriſtus, Luc.18. *Itaque fratres mei dilecti*, inquit Apoſtolus; *ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini* ſemper, *ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. 1. Corinth.15. Et rurſus: *Sermo veſter* ſemper *in gratia, ſale ſit conditus*. Hunc eundem expolitionis modum Timotheo ſuo, expolitiſſimis verbis præſcribit Apoſtolus: *Exerce teipſum ad pietatem, exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in ſpiritu, in fide, in caſtitate. Hæc cura in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, perſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.* Hunc modum, ſi operarij Domini obſervaverint, dubium non eſt, quin Domini affulgente gratiâ, ad elegantem & chalybeum nitorem adſpiraturi ſint.

Fideles omnes ſanctè vivunto.

Pſalm.15.1.

Ne tamen morum integritatem & ſanctitatem à ſolis Eccleſiæ miniſtris deſiderari exiſtimemus, ſciendum eſt, *omnibus* ſanctæ Domus civibus, ſanctitati ſtudendum eſſe. Etiam ſi in domo ſancta converſari velis, ſanctis vivito & converſator moribus. *Quis* enim, Domine, *habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcit in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non detraxit in lingua ſua, &c.* Et reliqua, quæ ibi ſequuntur. Petrus etiam in hanc expolitionis officinam omnes Chriſtianos vocat: *Curantes* (inquit) *miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hæc, ſi vobis* copioſè adfuerint, ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα, *non otioſos, nec ſine fructu, vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.* Hæc eſt ſpecies, nitor & decor Architecti, quem & *famuli, & cives omnes* Eccleſiæ æmulari debent.

III.

In Eccleſia, accuratiſſimis menſuris omnia definita ſunt.

Tertiò de Architecti noſtri *menſuris* aliquid commentandum eſt. Propheta namque noſter in viſionibus Dei allatus ad montem ſanctum, vidit Architectum demonſtratorem inſtructum *funiculo lineo* in manu ſua, & *calamo menſorio*. Ezech. 40.3. Ad quos vſus autem Architectus iſthæc inſtrumenta adhibuerit, totius viſionis Argumentum copioſè explicat. Omnes enim totius ædificij partes, *muros, portas, Atria, Altare*, totam *Domum* cum Appendicibus ſuis, quin imò verò civitatem & terram ipſam, hic Architectus *calamo* ſuo accuratè dimenſus eſt, eo menſuræ genere, de quo paulò poſt dicturi ſumus. Quod autem omnia in hoc Templo, ad tam accuratas menſuræ rationes extructa atque ædificata ſunt, id in contemplationibus noſtris ſpiritualibus, hanc meditationem nobis ſuppeditat: In Templo & Eccleſia Chriſti, non *confuſas* eſſe & turbatas rationes, ſed omnia *accuratiſſimis modis ordinata atque diſpoſita* eſſe, certiſſimis atque divinis conſiliorum finibus modiſque definita. Quid enim *accuratiùs* certiùs, atque diviniùs vel cogitari poteſt, quàm quod divina ſapientia, miſerum humani generis lapſum prævidens, iam inde ab æterno, de ſalutis noſtræ medijs, conſultatione habitâ, deliberavit. Id quod Apoſtolus Paulus ſummè admiratur, ad Epheſios ita ſcribens: *Elegit nos in Chriſto, ante mundi conſtitutionem.* Tantò nimirùm tempore, imò verò antè omnia tempora, de mediis menſuriſque noſtræ ſalutis, reparandæ ſollicitus fuit miſericordiſſimus Deus, deliberans & conſtituens, *quomodo* Eccleſiam in Chriſto

Epheſ.1.4.

ædifica-

Digitized by Google

ædificare, & per eundem credentes omnes ſalvare vellet. Hinc Chriſtus, *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perforaſti mihi.* Sacrificium pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: *ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus.* Et rurſum Apoſtolus ad Epheſios. *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quibus verbis Apoſtolus, nos quaſi in ipſam αὐτοψίαν *dimenſionum* adducit, quibus Demonſtrator noſter Propheticus, totius ædificij *longitudinem, latitudinem, ſublimitatem & profunditatem*, adeoque omnes illius dimenſiones, accuratiſſimè deſcripſit. Quæ deſcriptio nihil aliud eſt, *quàm infinitæ* miſericordiæ, bonitatis & gratiæ divinæ, quâ totum humanum genus, in Chriſto complectitur, celebratio, eaque verè eſt excellenter & ſuperabundanter ſupereminens ſcientia charitatis Chriſti, quâ inſtructus, omni plenitudine Dei adimpletur. *Pſalm.40.7.* *Epheſ.3.14.*

Porrò haſce menſuras, quibus res tantæ maximæ deſcribuntur, *in manu Demonſtratoris* eſſe ſciendum eſt. *Ecce enim vir*, inquit Propheta, *cuius erat ſpecies, tanquam ſpecies æris, & funiculus lineus* in manu eius, *& calamus menſorius*, ſcilicet in manu eius. Is ipſus enim & Architectus & demonſtrator atq; menſurator eſt. *Qua re*, de longè omnium graviſſima fidei noſtræ Regula admonemur: Menſuram videlicet rerum ſacrarum, hoc eſt, Fidei Chriſtianæ & veritatis cœleſtis dogmata, non in *hominum arbitrio & placitis*, ſed in ſolius Dei manu, qui Eccleſiam ſuam & ædificat, & certis menſuris deſcribit, repoſita eſſe. *Non* enim *addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, vt cuſtodiatis mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Et rurſus: *Quodcunque ego præcipio vobis, illud cuſtodito & facito, non addito ſuper illud, nec diminuito ex illo.* Similia vide: Deuter. 5.32. & 6. 2. & 7. 11. Et Eſaias: *Ad legem & ad Teſtimonium: quod ſi non dixerint ſecundum verbum hoc, non erit eis matutina Lux.* Similiter *Chriſtus*, ad diſcipulos ſuos, quos operarios Eccleſiæ ſuæ in totum terrarum orbem emiſit: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque* mandavi *vobis.* Hanc Regulam, quàm diligenter obſervaverit, *nobilis ille Architectus Tharſenſis*, Paulus, omnium operariorum ſine exceptione Princeps, ex eiuſdem notatu digniſſimis verbis conſtat, dum fini operarum ſuarum propinquos, ita loquitur: *Auxilio adiutus Dei, vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atq; maiori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ* Prophetæ *loquuti ſunt futura eſſe*, & Moſes. Hanc menſurarum divinam certitudinem, operarij obſervanto omnes. Quomodo autem placeant Deo *menſuræ adulterinæ*, hoc eſt, hominum privata placita & opiniones, vel ex eo conſtare poteſt, quòd poſteaquàm Deuter. cap. 12. ſuorum mandatorum cuſtodiam & obſervationem, tantâ diligentiâ & ſtudio, præcepiſſet: Statim ſequenti cap. 13. *Prophetam, ſeductorem populi ſui*, capite vitaque mulctari mandavit: Propheta ille, & fictor ſomniorum interficietur. Ad legem & Teſtimonium inquit Eſaias, ſi non dixerint ſecundum verbum hoc, non ſit eis matutina Lux. Et Salvator ex Eſaia: *Fruſtra colunt me, docentes Doctrinas, mandata hominum:* διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. Et paulò poſt, verbis multò ſeverioribus: *omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Et adhuc dum ſeverioribus verbis contra adulterinos menſuratores Paulus vtitur: *Licet nos aut* Angelus *de cælo evangelizet vobis, præterquam, quod euangelizauimus vobis*, Anathema ſit. Et quod Apocalypſis habet: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet* D E V S *ſuper illum plagas, ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet* D E V S *partem eius de libro vitæ,*

Menſura rerum Eccleſiaſticarum ſunt in manu Domini.

Deut.4.2. *Deut.12.32.* *Eſa.8.20.* *Matth.28.19.* *Act.26.22.*

Menſura rerum divinarum adulterina, ſumma Deo abominationi ſunt. *Deut.13.5.* *Matth.15.8.* *Eſa.29.13.* *Matth.15.13.* *Galat.1.8.* *Apocalypſ.22.18.*

Digitized by Google

vita, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto: idem rectiſſimè de tota Scriptura ſacra, adeoque de menſura totius Eccleſiæ, & omnis veritatis cœleſtis accipiendum tenendumque eſt. Quiſquis enim appoſuerit ad radium ſive calamum menſorium Architecti noſtri, cuius ſolius verbum eſt veritas, Iohan. 17. 17. ſuper illum appoſiturus eſt Dominus plagas furoris, & quiſquis hunc calamum menſorium decurtaverit, decurtabitur ipſius ſalus à Domino. *Meditentur hæc* ſedulò, & ad animos ſuos revocent, operarij illi ſuperficiarij, die Hümpler vnd Stümpler / qui pleni temeritatis & faſtus, ſcripturam ſacram, omnium divinarum rerum calamum menſoriũ, privato hominum iudicio & libidini ſubijciunt. Sic enim illi in Colloquio Ratisbonenſi blaterant: *Sacra ſcriptura* non eſt judex *omnium controuerſiarum, fidei & Religionis Chriſtianæ: ſed hoc munus pertinet* ad Pontificem Romanum*: eoq́ hodie fungitur* Clemens Octavus, *Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius: cuius definitio, toti Eccleſiæ cum Authoritate propoſita, in controuerſis quæſtionibus Religionis decidendis, infallibilis eſt, ſive cum Concilio, ſiue abſque Concilio definiat. Eſto quidem Scriptura, religionis norma infallibilis, verùm nec ſola, nec vnica, ſed præter hanc neceſſariò admitti debent traditiones, & Eccleſiæ definitiones, Doctorumq́ Orthodoxorum Conſenſus.* Hæc ibi.

Falſatores menſurarum divinarum

Colloq. Ratisbon. pag. 168.

Ieſuita calamo perda.

Quid verò, per immortalem Deum, hoc aliud eſt, quàm non tantùm calamum menſorium, Architecto Prophetico, hoc eſt Chriſto Salvatori, fundatori & dimenſori Eccleſiæ ſuæ, *manibus excutere*, & excuſſum tradere Clementi Octavo, *Pontifici Romano* audaciæ & temeritatis ingenti & horrendo monſtro: Verùm etiam ipſum calamum menſorium *confringere*, *inflectere, decurtare, perdere*. Nam viſio noſtra Prophetica, quam Ezechiel divinam appellat, *vnicum* monſtrat virum, *vnicum* Architectum, qui calamum menſorium, manu tenet: Is eſt, quem Propheta Moſes hiſce verbis deſcripſit: *Prophetam ſuſcitabo illis, de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq́ ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Et pater de cœlo clamans: *Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite*. Papicolæ autem Ratisbonenſes, audiendum eſſe Clementem Octavum dictitant, ſive cum Concilio, ſive abſque Concilio definiat. Calamus præterea Architecti noſtri *vnus* eſt, quem ſupra monſtravimus eſſe *Scripturam ſacram*, quam vnam & ſolam, Chriſtus & pater cœleſtis fidei noſtræ Regulam nobis commendavit. Famuli autem ſive operarij Ratisbonenſes, præter hunc Architecti noſtri calamum, hoc eſt, præter Scripturam ſacram, alias quoque Regulas nobis obtrudunt, *Traditiones* videlicet, *Eccleſiæ definitiones*, & Doctorum Orthodoxorum *Conſenſum*, quæ omnia cum viſione noſtra Prophetica, è Diametro pugnant. Calamus enim Architecti noſtri *vnicus* eſt. Iſti autem famulorum, pro temeritate & petulantiâ ſuâ, alios & alios calamos, hoc eſt, alias & alias fidei Regulas libidinoſè cõfingunt. Multò autem rectiùs de hoc Argumenti capite *Cyprianus*: ſiquidem illi *Orthodoxum* audire velint, qui lib. 2. Epiſtolarum Epiſt. 3. ad Cæcilium ita ſcribit: *Quod Chriſtus debeat ſolus audiri, pater etiam de cœlo conteſtatur, dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo benè ſenſi, ipſum audite. Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid* aliquis ante nos *faciendum putauerit, ſed quid, qui* ante omnes eſt, *Chriſtus* prior fecerit. *Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed* Dei veritatem. Hæc Cyprianus. Quæ ſi *Ratisbonenſes*, & omnes vbique terrarum papicolæ, diligenter obſervarent: Calamus menſorius Architecti noſtri, & vnus, & rectus, & incorruptus permaneret. Quia verò & plures adulterinos calamos illi comminiſcuntur, & hunc ipſum qui Architecti noſtri vnicus eſt *Lesbiæ* inſtar *Regulæ*, ad omnis generis ſomnia atq; figmenta ſua contorquent, viderint ne in pœnas eas incidant, quę publicarum menſurarum falſarijs conſtitutæ ſunt.

Deut. 18. 18.

Matt. 3. 17. & 17. 5.

Sola Scriptura fidei norma.

Cyprianus: de ſolo Chriſto audiendo.

Poſtremò

Poſtremò, illud etiam in menſuris noſtri Architecti obſervandum, quod *vulgaribus ſunt abundantiores*. Cubitus enim Propheticus, *cubito* conſtat *&* *palmo*, hoc eſt, palmo maior eſt cubitus Propheticus, quam cubitus communis. Cum enim, vt in ſuperioribus demonſtratum eſt, cubitus communis tantum ſit *ſeſquipes*, hoc eſt, palmorum ſex, ſive digitorum X X I V. Cubitus Propheticus ſeſquipedem *palmo* ſuperat, hoc eſt, digitos habet X X V I I I. Quæ in præcedentibus fuſius omnia explicata ſunt. Calamus igitur Propheticus (ſex cubitos habens) calamo communi ſex palmis eſt maior. Ita, vt cum *calamus communis* habet pedes novem: *Calamus Propheticus* habeat pedes decem, cum dimidio. Cùm igitur in omnibus Templi ædificiis menſurandis, hoc maiore calamo, Architectus noſter vſus ſit, facilè intelligitur, omnia maiora, & auguſtiora, adde quoque nobiliora & præſtantiora eſſe, quàm ſi communi duntaxat, & vulgari calamo eſſent coagmentata. Hoc verò quid aliud innuit, quàm vt intelligamus, dona & munera Architecti noſtri *ſpiritualia*, quibus Eccleſia multipliciter dotata eſt, longè maiora & *ſuperabundantiora* eſſe, quàm quicquid in mundo magnificum & pretioſum haberi poteſt. Quæ enim ſpiritualia & æterna ſunt, rebus temporalibus & caducis longiſſimè antecellunt. Tùm ipſa bona ſpiritualia in ſeſe conſiderata, magnitudine ſumma, numero maxima & abundanter copioſa ſunt. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (inquit Salvator) *non ſicuti mundus dat, ego do vobis* (ſubintellige: ſed multo nobiliorem & præſtantiorem, divinam videlicet & æternam) *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti* (inquit Paulus) *qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto.* Et mox: *In Chriſto habemus redemptionem, per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum* ſecundum divitias *gratiæ eius*, quæ ſuperabundauit *in nobis, in omni ſapientia & prudentia.* Rurſum verſ. 18. *Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis, quæ divitiæ gloriæ hæreditatis*, quæ ſupereminens magnitudo virtutis eius, &c. Cap. ſequente *vocat* abũdantes divitias *gratiæ divinæ*. Et cap. 3. Inperveſtigabiles divitias Chriſti, *mihi*, inquiens, *data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare*, inperveſtigabiles divitias *Chriſti*. Hæc igitur eſt menſura illa abundans, hic eſt calamus ille Propheticus vulgari maior, quo Dominus in ædificandâ, menſurandâ & exornandâ Eccleſia ſuâ in his terris vtitur. Sed auguſtior etiam futura eſt & abundantior menſura, cùm in Eccleſiam illam beatam & *triumphantem* perventum fuerit. Scriptum enim eſt: *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis aſcendit, quæ præparavit D E V S his, qui diligunt illum.* Huc pertinent, quæ *Auguſtinus* habet in Pſalm. 85. *Bona* cogitate & conſiderate fratres, quæ dat D E V S peccatoribus & hinc intelligite, quid ſervet ſervis ſuis. *Peccatoribus, blaſphemantibus eum, quotidiè dat cælum & terram, dat fontes, fructum, ſalutem, filios, copias, vbertatem. Hæc omnia bona non dat niſi Deus. Qui talia peccatoribus dat*, quid eum putas ſervare *fidelibus ſuis? Hoc ne de illo ſentiendum eſt, quia, qui talia malis dat*, nihil ſervat *bonis? Imo vero ſervat non terram, ſed cælum, vilius fortè aliquid dico, cùm dico* cœlum: *ſervat* ſeipſum, *qui fecit cælum: pulcrum eſt cælum, ſed pulcrior eſt fabricator cæli.* Hæc ille. Quibus omnibus, exuberans copia, nobiliſque præſtantia donorum, quibus Dominus Eccleſiæ ſuæ cives, & in hâc & in alterâ futura vita exornaturus eſt, adeóque calami, ſeu menſuræ noſtræ Propheticæ abundans fœcunditas, & excedens magnitudo deſcribitur. Sed de hoc membro contemplationis iam ſatis, vbi vidimus Architectum cum menſuris.

Omnia Eccleſiæ bona reliquis ſunt præſtantiora.

Iohan. 14. 27.

Epheſ. 1. 3.

verſ. 7.

Epheſ. 2. 7.

Epheſ. 3. 8.

Triumphantis Eccleſiæ menſura abundantior.

Eſa. 64. 4.

1. Cor. 2.

Auguſt. in Pſalm. 85. Tom. 8. Col. 943.

Q II. ME-

I I.

MEDITATIONES DE TEMPLO.

PRoximè de Templo meditandum, vbi primùm omnium occurrit *Templi ſitus*. Inde extremus *ambitus*. Hinc *diſtincta* Templi *atria*: *Altare*; ipſa *Domus* cum appendicibus: Loca *culinaria* & foci: *Aula poſtica*, & tandem, omnium atque ſingularum partium, *exornamenta*.

I. DE SITV TEMPLI.

I. Eccleſia ſupra montem poſita eſt.

I. De *Situ Templi* accipimus, quòd in excelſo & edito monte ſit locatum. Sic enim Propheta noſter, *in viſionibus Dei, adduxit me* (manus Domini) *in terram Iſraël, & dimiſit me ſuper* montem excelſum nimis, Ezechiel. 40 verſ. 2. In *monte* igitur ædificata, & ex monte conſpicua eſt Eccleſia Domini.

Eſa. 2. 2.

Qua de re pulcerrimis etiam verbis vaticinatus eſt Eſaias cap. 2. *Et erit in noviſſimis diebus, præparatus erit* mons Domus *Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi ac dicent: venite, & adſcendamus* ad montem Domini, *& docebit nos vias ſuas, &c.*

Mich. 4. 1.

Quæ ipſa quoque verba mutuatus eſt Michæas, ita vaticinans. *Et in noviſſimo dierum, erit* mons Domus Domini *præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent: venite adſcendamus* ad montem Domini, *& ad Domum Dei Iacob, &c.*

Zach. 14. 10.

Et Zacharias cap. 14. *Circumquaque erit planities, Ieruſalem autem* exaltabitur. Quod igitur vaticinati ſunt *verbis* Prophetarum priores, id *oculis* contemplatus eſt,

Ezech. 40. 2.

Propheta noſter Ezechiel. Vidit enim Templum Domini, *ſuper montem excelſum* nimis.

1. Eccleſiæ ſplendor & nobilitas.

Iſte ſitus Eccleſiæ, in præcelſo montis vertice conſpicuus, *primò omnium ſplendorem præſtantiam, dignitatem & nobilitatem Eccleſiæ denotat.* Non enim eſt abiecta vel obſcura civitas & in abditam vallem depreſſa, montium anfractibus concluſa, aut ſylvarum denſitatibus obtecta: ſed in *aperto monte* conſpicua & libera enitet. Quæ res *non tantum* ad ipſius Eccleſiæ *dignitatem* ſpectat: notum equidem eſt, quàm ſit præclara laus, & ineſtabilis amœnitas vrbis, ex alto contemplantis circumiectam Regionem: ſed ad incolarum etiam terræ, & omnium peregrinantium plurimam *vtilitatem* eſt comparata. Præterquam enim, quòd *Civitas montana*, libero eoque amœniſſimo & iucundiſſimo proſpectu exhilarat, nebularum etiam vaporibus & ſordium fœtoribus, quibus valles infeſtantur liberata, ſuaviſſima & nobiliſſima aëris puritate & ſanitate perfruitur. Quibus omnibus rebus, Eccleſia, quantum cæteris omnibus totius orbis vrbibus antecellat, verbis explicari digne non poteſt. Hæc namque eſt illa civitas, *in illo illius montis vertice locata*, vnde non ad pauca duntaxat circumiacentis Regionis milliaria, ſed aduſque extremos orbis terminos *proſpectus* patet. *Hinc enim, ex Eccleſia nimirum*, in vniverſum terrarum propagatur veritas, hinc emanant rivulos ad omnes populos & vniverſas gentes. *In omnem namque terram exivit*

Pſalm. 19. 5.

Regula Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum, vt Pſaltes habet. *Et Euangelium prædicatum eſt, in vniverſa creatura, quæ ſub cælo eſt, cuius factus ſum*

Coloſſ. 1. 23.

ego

ego Paulus *miniſter*, inquit Apoſtolus gentium. *Quibus* autem verbis explicari poſſit *ſalubritas* noſtræ ciuitatis, vbi non tantum ſaluberrimi vitæ fontes ſcaturiunt. *Ad quem* namque *ibimus*, inquit Petrus Saluatori, Principi huius ciuitatis, *verba vitæ æternæ habes.* Sed ipſe Princeps, vita, & ſalus, & Sol ſalubritatis eſt. In hac ſola ciuitate, *medicina* parata eſt, morbis æternùm aliàs incurabilibus, *peccatis*, dico, *morti & inferno.* *Ero namque mors tua, ô mors, ero morſus tuus inferne.*

2. Eccleſiæ ſalubritas.

Iohan. 6. 68.

Oſeæ 13. 14.

Situs vrbis, montis vertici impoſitæ, eandem *inuictam atque inſuperabilem* facit. Si enim & artis opus, & ipſa loci natura, mons nimirum ſaxeus, ſublimis, & prœruptus, cùm ciuitatem vel arcem muniunt, ab acceſſu hoſtem prohibent, cùm neque ſuperari ciuitas ſcalis, neque fundamentum foſſionibus aut cuniculis actis, dirui poſſit (*quicquid tamen artificis extruxit aut communiuit manus, id vis hoſtilis demoliri poteſt*) quanto minus hanc ciuitatem à Domino fundatam, nulla unquam vis aut violentia euertet. *Deus* enim *in medio eius, non commouebitur, adiuuabit eam Deus ante auroram.* Fundauit Architectus Eccleſiam ſuam *ſuper Petram, & Portæ inferni non præualebunt aduerſus eam.* *Quanta* autem eſt firmitas & inuictum robur ciuitatis, tanta etiam eſt ſecuritas, & inuiolabilis ſalus *incolarum.* Nemo enim Eccleſiæ ciuis, hoc eſt, *nemo credens in Chriſtum*, quamdiu ciuis manet, quamdiu intra ciuitatis muros ſe continet, hoc eſt, quamdiu credit, & fidem in Chriſtum illibatam ſeruat, tàm diu eſt inſuperabilis, & ſalutis ipſius *conſtans & innocua certitudo.* *Nemo* enim *rapiet oues meas de manu mea.* Iohan. 10. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Et rurſus: *Scio cui credidi*, & certus ſum, *quia potens eſt, depoſitum meum ſeruare in illum diem.* De tali tantaque certitudine nemo vllius ciuitatis incola gloriari poteſt: cùm, quicquid humanum eſt & huius æui, dubia incertitudine, & multiplici infirmitate ſit inquinatum. Sola Eccleſia Domini & qui huius vera membra *ſunt, atque permanent*, ſunt inſuperabiles. Qua de re eleganter *Gregorius*, ſuper illud Iobis 9. 9. Qui facit Arcturum, &c. *Quid Arcturi nomine, qui in cœli arce conſtitutus, ſeptem ſtellarum radiis fulget, niſi* vniuerſalis Eccleſia *exprimitur? Arcturus enim ſemper verſatur & nunquam* mergitur. *Sic Eccleſia* perſequutiones *tolerat*, & ſine defectu *perdurat.* Gregorius in moralibus lib. 9. Hanc firmitatem & ſecuritatem præſtat ciuitati noſtræ, ſitus *in monte* verticalis.

3. Eccleſia firmitas & robur.

Pſalm. 46. 6.

Matth. 16. 18.

Fidelium tuta ſecuritas.

Iohan. 10. 28.

Rom. 8. 38.

2. Timoth. 1. 12.

Idem porrò ſitus, eidem ciuitati maximum ſplendorem, *ea quoq; ratione* conciliat, quod *omnibus* circumcirca locis, in montis edito *conſpicua* redditur. Quæ res peregrinantibus, & vndique ad vrbem confluentibus hominibus, maximo commodo, ſummæque vtilitati cedit. Sic enim in aprico patet ſcopus, ad quem rectâ viâ contendendum, & neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram declinandum eſt. Hæc eſt illa ciuitas, de qua Saluator, Matth. 5. 14. *Non poteſt ciuitas* abſcondi *ſupra montem poſita.* Ea namque Ciuitas eſt Eccleſia, quæ per *totum orbem*, ab ortu in occaſum, à meridie in Septentrionem *vbique conſpicua eſt.* Nullus enim populus, & gens nulla, cuius auribus, Euangelij vox non innotuerit, quæ eſt lex ciuitatis Eccleſiæ, Apoſtolo teſte, qui *Euangelium in vniuerſa creatura prædicatum eſſe*, apertis *verbis pronunciat.* Et ibidem verſ. 6. *Euangelium perueniſſe* dicit *in vniuerſum mundum.* Illud ſi Apoſtolus ſuo tempore verè enunciare potuit, quanto magis noſtris temporibus manifeſta patet Eccleſia, quibus non tantum Euangelij & Eccleſiæ rumor, ſed publicum quoque verbi miniſterium, totum penè orbem peruaſit. Licet enim non vbiq; hodiè vigeat publicũ verbi miniſterium, tamen vel ſu-

4. Eccleſia omnibus hominibus conſpicua.

Matth. 5. 14.

Coloſſ. 1. 23.

Q 2 periori-

perioribus temporibus, ibi viguit. Poſterorum autem inobedientiâ & ingratitudine amiſſum eſt (id quod Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum hiſtoria abunde teſtatur) vel licet aliqui populi non habuerint publicum verbi exercitium, vbi tamen *ſonet* Evangelium, *& quid ſonet* non obſcuris rationibus ipſis cognitum eſt. Quod nihil aliud eſt, quàm eius civitatis, quæ in monte eſt poſita, non ſanè eſſe civem, ſed eandem tandem ex longo intervallo contueri. Vnde Architecti noſtri bonitas & clementia conſpicitur, qui civitatem ſuam non tantùm ſecuritatis cauſâ in montis vertice locavit, ſed ideò etiam per totum terrarum orbem conſpicuam eſſe voluit, vt omnium oculis expoſita, omnibus adventandi *occaſionem, viam, & iter* monſtraret. Hæc enim æterna, & ſanctiſſima Dei patris noſtri cœleſtis voluntas, & ardentiſſimum puriſſimumque deſiderium eſt, vt *quotquot per protoplaſtorum peccatum, ius Paradiſi amiſerunt proſcriptique ſunt, ad Eccleſiam revertantur, ibique priſtino iuri & cœleſtis patriæ hæreditati, per Chriſtum reſtituantur.* Hoc enim eſt *beneplacitum eius, vt ſub* vnum Caput *reducat omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt:* ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα. Ad hanc civitatem & ad ſeipſum tanquã Ducem ac Principem civitatis, vocat & invitat in vniverſum omnes: *Venite ad me* omnes, *qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Matth. 11. verſ. 28. Ad invitandum *omnes orbis habitatores* emittit Apoſtolos *in totum terrarum orbem, prædicatum Evangelium* vniverſæ Creaturæ, Matth. 28. 19. Rom. 16. 15. Atque vt Templum & Civitatem, ad quam properare debeant, ſemper ante oculos & conſpectum habere poſſint, in *monte locatam* digitis commonſtrat Evangelii ſplendore, clariſſimis & fulgentiſſimis radijs per totum orbem diffuſo.

Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Epheſ. 1. 10.

Matth. 11. 28.

Multi vocati Evangelio non obediunt.

Quanta verò eſt benignitas & clementia Principis, ad illuſtrem hanc ſuam civitatem, vniverſos invitantis: tanta multorum eſt, *deſperata ingratitudo*, qui ab exilio in patriam, ex deſerti erroribus, in civitatem revocati, vocationi obedire, & Principis optimi atque clementiſſimi paterno deſiderio obſequi renuunt, adeoque ſalutem ſuam *privato ſcelere* petulanter negligenterque contemnunt. *Non enim pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti* (vt eleganter alicubi Cyprianus) *alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt* D E V M Patrem, *qui Eccleſiam non habet* matrem? *Si potuit evadere, qui extra* Arcam Noë fuit & qui extra Eccleſiam foris fuerit, *evadit?* Hæc ille. Vocationi igitur ad hanc civitatem, non obtemperantes, ſalutem & incolumitatem ſuam ipſi negligunt: *Cum extra Eccleſiam nulla ſit ſalus.* Hi ſunt, de quibus Apoſtolus conqueritur: *Quam ſpecioſi pedes, evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Sed* non omnes *obediunt Euangelio.* Eſaias enim dicit: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Quorum in numero omnes comprehenduntur, quotquot extra Eccleſiam vivunt & pereunt. *Sed* & ſumma eſt illorum quoque ingratitudo, qui in vrbis medio degentes, omnium eorumque maximorum beneficiorum & privilegiorum, quibus incolæ civitatis fruuntur, ſcelerate ſunt immemores, & vitæ ſuæ morumque impuritate & ſpurcitia, Principi optimo & beneficentiſſimo, & moleſti maximè & ſummo ſunt dedecori. Hi ſunt, de quibus Dominus apud Eſaiam: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem* ſpreverunt me. Et iterum: *Expectavit Dominus, vt iudicium faceret Domus Iſraël, & ecce* iniquitas, *& Iuſtitiam & ecce* clamor. Hi ſunt, qui Evangelico nomine & profeſſione gloriantur: ſed *inordinate vivunt, & non ſecundum dignitatem & Regulam Euangelij, non ſecundum veritatem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſed ſecundum operationem immunditiæ, & ſecundum deſideria errorum incedunt. Confitentur ſe noſſe* D E V M: factis *autem negant, cum ſint abominabiles & inobedientes, & ad omne bonum*

Cyprianus de ſimplicitate prælatorum, mihi pag. 164.

Rom. 10. 16. Eſa. 53. 1.

Multi Euangelii titulo gloriantes ſcelerate vivunt.

Eſa. 1. 3. Eſa. 5. 7. 2. Theſſ. 3. 6. Epheſ. 4. 21. Tit. 1. 16.

opus

opus reprobi βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, id eſt, Animi ſordibus abominabiles, per incredulitatem intractabiles. Hiſce indignis civibus occinendum illud: *ô generatio prava atque perverſa: Haccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens?* Deut. 32. 6.
Nos *interea* neque horum, neque iſtorum ingratitudine offendamur: ſcientes in *Arca Noe*, munda & immunda animalia fuiſſe. In *grege Iacobi*, albas & nigras pecudes, agnos & hœdos: In *agro Domini*, Lilia eſſe inter ſpinas, zizania inter triticum, in *Area Domini* triticum cum palea, in *Reti Apoſtolico*, bonos & malos piſces, in *Horto Patris* familiâs, vrticam & Roſas. *Breviter* cum Hieroſolymitanis habitat Iebuſanus, ſervus & filiusfamiliâs in eadem Domo. Sed *ſeruus* eijcietur, *filius* adibit hæreditatem: *Triticum* ſervabitur, *Zizania* cum paleis exurentur. Cives igitur præſtantiam & nobilitatem vrbis montanæ agnoſcamus, & benigniſſimo Principi, pro magnitudine & numero privilegiorum dignas referamus gratias, ſervientes ipſi, *in ſanctitate & iuſtitia*, omnibus diebus noſtris.

In Eccleſia bonis malos commixtos eſſe, nemo offendatur.

Reſpondendum autem hoc loco eſt, ad obiectionem Pontificiorum: qui ita oggranniunt. Si noſtram Eccleſiam, quam Evangelicam ſeu Lutheranam vocant, pro vera Eccleſia, adeoque pro Templo ſive vrbe Dominica, in monte ſita venditare velimus, monſtrandum nobis eſſe, vbi & quomodo Montana hæc Civitas, aliquoties centenos annos ante Lutherum latuerit. *Quomodo enim abſcondi poteſt Civitas, quæ eſt ſupra montem poſita? Reſpondeo*, Civitas in monte poſita, montana eſt, vt manet civitas, licet circumfuſus aër vel nebulis obſcuratus, vel caliginoſas in nubes, quibus imbres & nives excidunt, concretus ſit, *vnde euenire* ſolet, & clariſſima & præſtantiſſima civitas, quæ purgato aëre longiſſimis ſpatijs conſpicua eſt, vix è proximis apparere poſſit paſſibus. Nihilominus tamen cives, qui intra mœnia vivunt, ſecuri ac tuti vivunt, & omnibus civitatis bonis atq; privilegiis vtuntur, fruuntur. *Eadem* planè ratione, *Eccleſia Chriſti, ſemper* eſt civitas in monte poſita, verbi divini radijs coruſcans. Ante noſtra tamen tempora, ratione *publici cultus & exercitij*, civitas hæc veluti diebus pluvijs, nubibus humanarum traditionum & ſuperſtitionum induta, delituit: nec adeò illuſtris, conſpicua & manifeſta fuit, quàm hiſce noſtris, quibus Evangelij ſplendor, cum radijs ſolaribus certat. Nihilominus tamen veri Eccleſiæ cives, hoc eſt ij, qui in medio Papatu, ex recitatis Evangeliorum pericopis, Oratione Dominica, Articulis Symboli Apoſtolici, & Decalogo, vel qui ſacras literas ipſi legere potuerunt, ex ſcripturis, ſeipſos & Chriſtum Salvatorem agnoſcere didicerunt, hi, inquam, in montana vixerunt civitate, licet publicus aſpectus, triſtiſſimis ſuperſtitionum nebulis circumfuſus & interceptus eſſet. Qua de re *Catalogus teſtium* veritatis, eorum videlicet, qui omnibus retrò ſeculis, ſub denſiſſimo etiam Papatu Evangelij radijs illuſtrati, & confeſſionum martyrijs exornati & nobilitati fuerunt, ſufficientiſſimus & clariſſimus commentarius eſſe poteſt. Hæc pluvia & nimboſa fuerunt tempora, noſtrâ autem memoriâ dies clariſſimi, & maximè aprici, per Dei gratiam exorti ſunt, quibus ſplendidiſſima hæc civitas, nebulis errorum diſcuſſis, & abſolutis traditionum humanarum tempeſtatibus, toti terrarum orbi conſpicua apparet. Iam enim fulgẽt verba Salvatoris: *Quomodo abſcondi poteſt civitas, quæ ſupra montem eſt poſita?* Et propter hos varios, civitatis noſtræ aſpectus vultusque, Eccleſia Domini in Cantico Canticorum, cum *Luna* comparatur. Hiſce in verbis: *Quæ eſt illa, quæ conſpicitur quaſi aurora, pulcra ut* Luna, *Electa ut Sol:* Quemadmodũ enim Luna, dum menſtruas ſuas periodos abſolvit, diverſiſſimas habet φάσεις, hoc eſt apparentias ſeu facies lunationum. Cùm iam pleno fulget orbe, iam parte altera nonnihil diminuta eſt, ἀμφίκυρτος Mathematicis dicta, hoc eſt, vtrinque Gibboſa, cum in Solis triquetro ſemiambitur orbe, iam dimidiatum oſtentat lumen, iam vix corniculata conſpicitur, iam toto putatur diffugiſſe cœlo:

Quomodo Eccleſia ſupra montem poſita interdum occultari poſſit.

Eccleſia comparatur cum Luna. Cant. 6. 9.

cùm in ſe tamen tantundem luminis ſemper habeat, quod totum à ſole mutuatum, nobis tanta exhibet diverſitate. Et cùm *Soli* maximè vicina eſt, novo plenoque repleta lumine, nobis minimè eſt conſpicua. Idem de Eccleſia certiſſimum habendum: quòd cùm hominum oculis minimè omnium eſt expoſita, tùm iuſtitiæ Soli proxima, & ſilenti lumine maximè coruſca ſit. Adeoque civitas hæc montana, electa vt luna, quaſcunque facies nobis oſtendat, ſemper ſuo repleta lumine, *ſuo modo* conſpicua & illuſtris manet.

5. Eccleſia omnia mundana deſpicit.

Poſtremò, in monte ſitum eſt Templum noſtrum Propheticum. Mons autem ſupra adiacentes depreſſas valles, & ſupra omnes circumiectas planities attollitur, easque tanquam ex alto deſpicit. *Mundum* ſcilicet contemnere & alta mente deſpicere decet, omnium ſordium valles, quotquot in Eccleſia Dei, civitate montana, vitā degere, eiusq; iure ac privilegijs frui velint. *Scimus enim, quoniam* (qui cives Eccleſiæ ſumus) *ex DEO ſumus* (qui in altis habitat) *Mundus autem totus in maligno poſitus eſt. Nolite igitur diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ, non ex patre, ſed ex mundo eſt. Mundus autem tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternū.* In monte Domini autem, qui longè ſupra mundanas ſordes elevatus eſt (in quo locatum eſt Templum Domini) *Iuſtitia, ſanctitas, charitas, & omnes pietatis virtutes* florent. *Huc conſcendendum*, & oēs mūdanas abiectas ſordes relinquendum omnibus, qui in monte Domini habitare volunt. *Quis* enim *Domine habitabit in Tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, &c.* Attollendus eſt animus, elevandæ mentes, ex depreſſis rerū humanarum vallibus, ad cōtemplationes *montanas, ſupernas, cæleſtes. Si conſurrexiſtis cum Chriſto*, quæ ſurſum *ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens. Quæ* ſurſum *ſunt ſapite, non quæ* ſuper terram. Quid autem Apoſtolus per iſtam elevationem intelligat, nullum videlicet localem aſcenſum, ſupra cœleſtes orbes, ſed *Elevationem* mentis, & *Celſitatem* morum, quos non in mundanas curas & ſordes abijcere, ſed ad puritatem & ſanctam Chriſti voluntatem *(qui vbique ad dextram Dei ſedens, vbique celſiſſimus eſt)* attollere & elevare decet hominem Chriſtianum, id quod ex proximo ſequente verſu 4 manifeſtò patet, vbi dicit Apoſtolus. *Mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt* ſuper terram, *fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam.* Et quæ ſequuntur ibi plura. *Terreſtres* igitur ſunt, depreſſi in valles, & in cœnum lutumque abiecti, vitioſi & ſordidati mores. Elevati autem in montes, imò ad ipſos cœlos, & ad Chriſtum in dextera Dei ſedentem (quæ ſeſſio nulla locorum neque altitudine, neque profunditate, vel definitur vel diſcriminatur) exaltati ſunt mores, & ſtudia pietatis & ſanctitatis. Hoc eſt quærere, quæ ſurſum ſunt. Dextera enim Dei, tàm ſublimis eſt, quùm nobiſcum in terris eſt, quàm quùm in ſupremis cœlis eſt. Attollite igitur mores veſtros è luto cœnoque mundi, quicunque *in montem Domini*, ad Templum Domini contenditis. *Et diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Chriſti.* 2. Timoth. 2. Hæc de ſitu vrbis noſtræ, montano.

Margin notes: *1. Iohan. 5. 19.* — *1. Iohan. 2. 15.* — *Pſalm. 15. 1.* — *Explicatio loci. Coloſſ. 3. 1.* — *Chriſtus vbique ad dextram Dei ſedet.* — *Homines terreſtres. Homines cœleſtes.* — *2. Timoth. 2. 19.*

II. DE EXTREMO Ambitu.

Vidimus hucuſq; Templum in monte conſpicuum: ſed quænam illius ſit ſtructura, ad *Meditationes* quātum attinet, nihil dum vidimus. Conſcendimus igitur, ducente & comitante Domino, montē: igitur, & quæ ſit ædificij omniſque ſtructuræ facies cominus contemplemur. *Primùm* omnium igitur Ezechiel

noſter

noſter commonſtravit nobis *extremum Templi ambitum*, Ezechiel. cap. 40.5. & 45.2. Qui ambitus ita comparatus eſt: Templi extremum *Atrium*, in quadrati lateribus, habet *quingentos cubitos*: Ad Ortum, ad Occaſum, ad Meridiem, ad Septentrionem. Circa hoc quadratum extremum Templi Atrium, eſt *ambitus*, ſeu ſpatium omni ædificio vacuum, *Quinquaginta cubitorum*, quod Ezechiel. 45.2. *ſuburbium* appellatur. Hoc ſuburbium circumcirca *muro clauditur*, vnius Calami latitudine, & vnius Calami altitudine. Hoc eſt, muro in eandem altitudinem perducto, cuius eſt craſſitiei: Calami nimirùm vnius. Habet autem Calamus noſtri Architecti palmicubitos ſex, hoc eſt, pedes Legales decem cum dimidio. Hic talis tantusque murus claudit extremum ambitum, ſeu *ſuburbium* Templi. Atque hic firmiſſimus & fortiſſimus murus, vnicâ portâ, eâq; Orientali adventantes admittit, cùm per aliquot prius Gradus ad eandem conſcenderint, Ezech. 40. verſ. 6. *Vbi* amplius & hoc notandum eſt: hoc ſuburbij ſpatium ab ipſo Templo diſtinctum eſſe: Hoc enim ſanctum eſt, ſuburbium autem *prophanum* appellatur, collatione ad ipſum Templum Ezech. 42.20.

Hæc omnia nos ſpiritualibus oculis contemplantes, videmus denuò *firmitatem* & *tutam ſecuritatem* Eccleſiæ. Quanti enim roboris eſt circumiectus murus, latus pedes decem & dimidium? Qui murus non tantùm extremum hoc ſpatium, ambit: ſed eiuſdem quoque latitudinis, ſingula Atria muri circumveniunt. Babylonis, peramæna & incredibilis ferè venuſtas & fortitudo, hiſce verbis apud Q. Curtium deſcribitur. *Alexander*, inquit *Hiſtoricus*, *cum curru vrbem, & deinde regiam intravit. Poſtero die ſuppellectilem Darij, & omnem pecuniam recognovit. Cæterùm ipſius Vrbis pulcritudo ac venuſtas, non Regis modò, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immeritò convertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt plerîq; credidêre) Belus, cuius regia oſtenditur. Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus, ſpatium triginta & duorum pedum latitudinem amplectitur. Quadrigæ inter ſe occurrentes ſine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri, centum cubitorum eminet ſpatio, turres denis pedibus, quàm murus, altiores ſunt. Totius operis ambitus CCCLXVIII. ſtadia complectitur.* Hæc ille. Quæ quidem omnia, ſi ad Templi ſtructuram conferantur, ampliora & auguſtiora ipſo illo videri poſſint: Nam craſſitudo muri Babylonici, hunc noſtrum *triplâ*, altitudo *decuplâ* ferè proportione ſuperat. Sed ſpirituali inſtituta contemplatione, omne Babylonicum robur, pulvis & cinis, & leviſſimarum palearum acervus eſt, qui quovis vento diſpellitur, ſi ad murum, & firmamentum Eccleſiæ conferatur. Noſter enim murus non *fictili* aut *coctili* laterculo inſtructus, imo verò nec ferreus ſolum aut aheneus eſt murus Eccleſiam circumdans, ſed totus *igneus*, omnes appropinquantes hoſtes abſumens, omnes inſurgentes, flammâ inſuperabili abſorbens. Iſte namque murus Eccleſiam circumvallans, eſt *ipſe Dominus* IEHOVA *exercituum*, cum millies mille myriadibus Angelorum, *Qui omnes ſunt Adminiſtratorij Spiritus in miniſterium* (defenſionem, tutelam & ſecuritatem) *emiſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*, Hebr. 1.14. Inde Pſalmus 34. v. 8. *Angelum Domini Caſtrametari* ait, *in circuitu timentium eum, & malis omnibus eripere eos.* Quin verò Dominus ipſe omnipotenti Brachio Eccleſiam ſuam circumdat, & contra omnem vim hoſtium inſuperabili firmamento tutatur. *Ego enim*, inquit Dominus apud Zachariam, *ero Hieruſalem murus ignis in circuitu*, Zach. 2.5. Et repetit in eodem Propheta. *Ego Caſtrametabor circa Domum meam, quo minus opus ſit ſtatione, itione & reditione, & non tranſibit ſuper eos vltrà exactor, &c.* Hic eſt murus ille igneus, Eccleſiam Domini circumdans, & acceſſu hoſtes omnes prohibens. *Hic murus* intervenit inter Iſraelitas ex Ægypto exeuntes, & perſequentem exercitum Pharaonis. *Hic murus* etiamnum hodie Eccleſiam ſalvam & tranquillam præſtat. Niſi enim

Eccleſia firmitas.

Q. Curtius de Babylon. libr. 5.

Dominus exercituum Murus Eccleſiæ.

Hebr. 1.14.

Pſalm. 34. 8.

Zachar. 2.5.

Zachar. 9.

Digitized by Google

Dominus cuſtodiret nos,iam dudum Sathan &infernus,omnesque ſatellites eius abſorpſiſſent nos. *Niſi Dominus nobiſcum eſſet,dicat nunc Iſraël,niſi Dominus nobiſcum eſſet,cum exurgunt homines contra nos, iam vivos deglutiviſſent nos.* Pſal.123.2. Propterea non *timebimus,ſi terra loco ſuo moveatur,aut montes præcipitentur in medium maris*, *Pſalm.*46.3.

Pſalm.123.2.

Pſalm.46.3.

Fideles ſunt inſuperabiles.

Porrò ſecuritatem hanc,quam Eccleſiæ Domini,murus igneus, IEHOVA, præſtat,non de *externis* tantùm hoſtibus, & perſequutione carnis duntaxat intelligamus, ſed de *Spiritualibus* hoſtibus principaliter, qui ſunt *peccatum, maledictio,mors,infernus*, horum nullus murum hunc igneum ſuperare, aut quemquam verum Eccleſiæ civem violare aut perdere poteſt. *Nihil enim condemnationis his,qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Roman.8.1. *Et quis ſeparabit nos a charitate Dei.Tribulatio?an anguſtia?an fames?an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius?&c.In hiſce omnibus longe vincimus: Ibid.v.35.&ſeqq.* De omnibus enim, qui intra hoſce igneos muros veri cives degunt,illud Chriſti Salvatoris, certæ ſalutis pronunciatum eſt: *Nemo rapiet oves meas,de manu mea*,Iohan.10.verſ.28. Quod tamen non ita eſt accipiendum,vt Calviniani Stoicam neceſſitatem & immutabilitatem ſomniant,quaſi qui *ſemel* verus Eccleſiæ civis, aut Electum Chriſti Architecti membrum (cui per fidem omnes inſerimur) factus ſit, illa ſanctiſſima cōmunione *nunquam* excidere,aut ſalutari (muri ignei) protectione eliminari *nunquam* poſſit. Illis enim Deus eſt igneus murus, qui *intra Eccleſiam* vera membra, verique cives & Incolæ ſunt manentque. *Hiſce* nulla hoſtium vis aut violentia vnquam nocebit: *Hiſce* nulla mors,nulla condemnatio. *Quicunq.* verò, & *quandocunq.*,per infidelitatem,impietatem & ſcelera, Civitatis cœleſtis,hoc eſt,Eccleſiæ iurib.renunciant, *illi confeſtim*,ab omni protectione divina,nudi & vacui,omnibus omnium hoſtium inſultibus & violentijs, obiectantur. Eam ob cauſam Paulus,in prolixo illo malorum Catalogo,quorum nullum Electos Dei, à Charitate Dei *ſeparare* poſſe,magna cum confidentia pronunciavit, *ſolam infidelitatem & peccatum* non connumeravit. Hæc enim ſeparant à Charitate & protectorio divino. *Quisquis enim non crediderit,condemnabitur.* Hinc idem Apoſtolus in eodem capite,de *illis ipſis*,de quibus dixerat: *nihil nunc damnationis eſt his,qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Rom.8.1. Item *vos non eſtis in carne,ſed in Spiritu*, verſ.9. Et rurſus: *Vos accepiſtis Spiritum adoptionis*, πνεῦμα υἱοθεσίας. verſ.15. Item: *Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, ſi autem* filij, *& hæredes, hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti,&c.* verſ.16.17. De hiſce ipſis, *inquam*, ad ſtoicam Calvinianorum immutabilitatem excludendam ait Apoſtolus: *Debitores ſumus ſratres non carni, vt ſecundum carnem vivamus.* Si *enim* ſecundum carnem *vixeritis*, moriemini. Et quos filios atque hæredes Dei *dixerat*, ſeipſum quoque connumerans, de ijs,& de ſeipſo confeſtim ſubiungit: *ſi tamen* compatimur, vt conglorificemur. *Ecce*,qui propter fidem in Chriſtum,filij & hæredes Dei *appellantur,atque revera ſunt, fide & conſtantia abiecta*,non glorificantur. *Si tamen* compatimur,inquit Apoſtolus, vt conglorificemur. Murus igitur Eccleſiæ igneus & inſuperabilis eſt hoſtibus. Qui verò membra & cives Eccleſiæ *abnegatâ fide*, per impietatem, Eccleſiam deſerunt,& ſeceſſione factâ,extra Eccleſiæ mœnia, *ad hoſtes* concedunt, illis nulla ſalus aut protectio ſupereſt, *quamdiu* in impietate,& hoſtium caſtris commorantur.

Rom.8.1.

Calviniana Fidei immutabilitas refutatur.
Credens fidem amittere poteſt.

Rom.8.1.

Rom.8.35.
Infidelitas & peccatum ſeparant à dilectione Dei.
Rom.8.1.

Tuta ſecuritas ſingulorum fidelium.

Quod autem de vniverſæ Eccleſiæ ſecuritate dictum eſt, idem de *ſingulis* Eccleſiæ *membris* eſt intelligendum. Quanta enim totius Eccleſiæ eſt *ſecuritas*, & intra igneum circumdatum murum tarta *incolumitas*, tanta etiam eſt ſalutis & protectionis certitudo *ſingulorum*. Chriſtum enim caput noſtrum prius Satan & mundus ſuperet,quàm me, membrum ipſius, exſcindat. Hic ſinguli in individuo gloriari poſſunt: Si Deus *pro me*,quis *contra me*: qui etiam proprio filio non pepercit,ſed *pro me* tradidit illum. Si Chriſtus *pro me*,quis *contra me*,

qui

qui dilexit *me*, & tradidit ſemetipſum pro *me*, Galat. 2. 20. Quis ſeparabit *me* à Charitate Dei, tribulatio? an anguſtia? an fames? &c. Certus ſum, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, &c. neq; vlla creatura, poterit *me* ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quodnam autem *viciſſim* periculum ſit deficientium, iam in ſuperioribus ſatis declaratum eſt. Hic igitur Eccleſiæ omniumq; piorum murus ahenens, murus igneus, murus immotus, fixus, inſuperabilis & æternus eſto, Deus Author, defenſor, conſervator & propugnator omnipotens.

III. DE GRADIbus.

Antea verò, quàm in ipſam domum ingrediamur, per *gradus* aliquot ad portam conſcendendum eſt. Sic enim in Textu habuimus, Ezech. 40. 6. Et *venit ad portam, quæ reſpiciebat viam Orientalem, & adſcendit* per gradus eius. Mundo videlicet valedicendum, & relictis ſecularibus rebus, ad ſpiritualia conſcendendum, omnique conatu & ſtudio in id enitendum, vt abiectis mundi carnisque ſtudijs, ad cœleſtium rerum contemplationem & amores, mentem animosque noſtros evehamus. Qua de re in ſuperioribus, cum de ſitu Templi meditaremur, copioſiùs pertractatum eſt.

Fideles, mundo valedicunto.

Sed hoc iam ſingulariter attendendum, non tantùm ad extremum Templi ambitum, ex circumiecta planitie, ſed etiam ab Atrijs ad Atria, ab exterioribus nimirùm, ad interiora, per ſuos *gradus* conſcendendum eſſe: hoc obſervato diſcrimine vt ad *altiora* & *interiora* Atria, per *plures* etiam *gradus* pateat aſcenſus. Nam ab *exteriore* ambitu in primum Atrium, adſcenditur per Gradus VII. Ezech. 40. verſ. 22. Ab *extimo* Atrio in medianum, aſcenditur gradibus VIII. Ezech. 40. v. 34 37. *Hinc* in Atrium intimum. Et *hinc* ad ipſam domum ſuis gradibus, quorum numerus non eſt expreſſus, Ezech. 41. verſ. 2. Hi omnes omnium Atriorum Gradus, hoc indicant, Dominum Deum noſtrum ſuos in Eccleſia cives, *tùm* in rerum ſpiritualium cognitione, *tùm* in fidei conſtantia, morum ſanctitate, patientia in periculis, alijsque omnibus virtutum Chriſtianarum exercitijs, ſemper *altius & altius* evehere, promovere, & exaltare. Quorum enim cognitio & fides, infirmior adhuc atque imbecillior eſt, illis *pauciores* proponit gradus, quorum autem profectus maior eſt & fides magis explorata, illos ad *altiora* vocat, & per plures atque eminentiores deducit gradus.

Dominus fideles ſuos per gradus deducit.

Hæc graduum contemplatio, *primùm* ſtudium noſtrum Theologicum exacuere, & ad maiorem indies diligentiam accendere debet. Videmus enim ſtructuram Templi noſtri Prophetici ita comparatam eſſe, vt qui ad Adyta Domus penetrare velit, non ad radices montis otioſus & deſes conſiſtere poſſit, ſed enitendum ipſi ad *ſuperiora*, & per omnes Atriorum gradus conſcendendum eſt. Sic Theologiæ ſtudio deditus (*à quo neminem Chriſtianum alienum eſſe oportet*) non ſemper ſibi in principijs hærendum ſciat, cuiuſmodi ignaviam Paulus, ne quidem in mulierculis ferre poteſt, hiſce verbis illas reprehendens: *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* γυναικάρια πάντοτε μανθάνοντα, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα. Rurſum Hebræos ſuos Apoſtolus, eodem nomine reprehendit; ita ſcribens. *Segnes facti eſtis ad audiendum. Etenim, cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint Elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, rudis eſt ſermonis Iuſtitiæ.*

Exhortatio ad diligentiam in ſtudio Theologico.

2. Timoth. 3. 7.

Hebr. 5. 11.

Nobis igitur ſummo ſtudio diligentiaq; enitendū, vt quotidiè progreſſus faciam⁹ maiores, & ad gradus altiores cōtendēdo, nos ipſos indies ſuperemus.

Hoc

Hoc ſcientes, nos, quò altiùs in cognitione rerum Theologicarum evadamus, & Altari, & ſancto ſanctorum, quæ in ipſo montis vertice emicant, & ipſi Domino, qui omnium ſupremus eſt, adeoque æternæ felicitati, quæ in puriſſima & ſynceriſſima rerum divinarum *contemplatione* conſiſtit, eſſe viciniores. *Hæc enim vita æterna eſt, vt ſolum Deum verum, & quem miſit ille Ieſum Chriſtum agnoſcamus*, Iohan. 17. Atque hi gradus ſunt aſcenſus montis Domini. *Quantamcunq;* vero diligentiam & ſtudium, cognoſcendis rebus divinis adhibuerimus, ad perfectionem tamen in hac vita nunquam pervenerimus. *Videmus* enim *nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem a facie ad faciem. Nũc cognoſcimus* ex parte, *tunc autem cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus*, 1. Corinth. 13. 12.

Gradus & incrementa virtutum.

Quæ verò hactenus, de gradibus & incremento cognitionis ſpiritualis dicta ſunt, eadem de *virtutum ſtudijs* ſunt intelligendi. Duobus enim cardinibus Chriſtianiſmi capita volvuntur. Quorum alter eſt *ſynceritatis fides*, alter *rectitudinis vitæ*. Atque in hac non minus ad felices incrementorum progreſſus, quàm in rerum cognitione acquirenda ſedulo enitendum. Non conſiſtendum eſt homini Chriſtiano in *virtutum Exordijs*, ad montis radices efflореſcentibus, ſed ſemper *altius altiusq;* conſcendendum, donec omnes virtutum gradus abſolverimus. Hi ſunt *Charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas fides, manſuetudo, continentia*. De hoc virtutũ curſu, loquitur Pſ. 15. 1. *Domine*

Pſalm. 15. 1.

quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur Iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non detraxit in lingua ſua. Et reliqua, quæ ibi exponũtur. *Hæc eadẽ* incrementa virtutũ Petrus elegãtiſſimis verbis explicat, dũ in poſteriore ſua, primo capite, fideles ad virtutũ ſucceſſus hiſce verbis exhortatur: *Propter hoc, curã omnẽ ſubinferentes, ſubminiſtrate in fide veſtra virtutẽ, in virtute autem ſcientiã, in ſcientia abſtinentiã, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi adſint vobis, & augeſcant, non otioſos aut ſine opere vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.* Græca ita habent: Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν, &c. vbi vox πλεονάζω

2. Petr. 1. 5.

Pleonaſmus virtutum Chriſtianorum.

peculiariter obſervanda eſt. Significat enim apud Græcos, vt notum eſt, augeſcere & abundare, vnde πλεονασμὸς ſuperfluitas & abundantia. Oportet igitur piorum virtutes & bona opera, non tantùm eſſe ὑπάρχοντα, ſed copioſa, & cum quotidianis incremẽtis πλεονάζοντα. Ad eiuſmodi πλεονασμὸν bonorum operum, tùm primum perveniet homo fidelis, cum in ſtudio virtutum nunquam otioſus, aut in primis earundem gradibus confeſtim laſſus aut defatigatus, ſed *ſemper* operoſius & ſedulus fuerit, nec citius quieverit, quàm nulla facta intermiſſione, à virtute in virtutem contendendo, ad verticem Chriſtianæ perfectionis evadat. Ecce hi *Gradus* ſunt, & hæc *Incrementa* propoſita homini Chriſtiano. Hos gradus conſcendere, & ſeipſum quotidie, adauctis virtutum profectibus feliciter vincere, hoc opus, hic labor, hoc Alpha, hoc Omega eſt Chriſtianæ pietatis. Quo de exercitio Paulus ad Timotheum. *Exerce teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: Pietas autem ad omnia* vtilis eſt, *promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*. Hactenus de Gradibus, iam de diſtinctione Atriorum.

1. Timoth. 4. 8.

IV. DE ATRIIS.

Ex ipſa Graduum differentia, de qua proximè dictum, de *Atriorum* quoque diverſitate conſtat. Ad extimum itaque murum, qui totum ædificium claudit, vſque ad infimum Atrium, eſt ſpatium ambiens *quinquaginta cubitos* latum, Ezech. 40. 15. & cap. 45. 2. Quod ſpatium licet comprehenſum ſit in oblatione, quæ tota ſancta dicitur, Sacerdotibus nimirùm & ſanctuario tributa, Ezechiel. 45. v. 1. 4. 6. 7. & 48. 10. Nihilominus tamen collatione cum reliquis

Atriis Templi, hoc *prophanum* dicitur. Nam Ezechiel. 42. verſ. 20. deſcribens Propheta murum infimi Atrij, ſic ait: *Menſus eſt* (Architectus) *murum illius circumquaque, longitudine quingentorum, & latitudine quingentorum* (cubitorum,) *ad diſtinguendum inter ſanctum* & prophanum. Sic Atrium etiam Atrio ſanctitate præcellit. Hinc Ezechiel. 44. verſ. 17. Ita legimus. *Cum accedent Sacerdotes ad portas Atrij intimi, veſtes lineas induant, neq; vtantur laneo cum miniſtrabunt, in portis Atrij* intimi & intus. Et rurſus verſ. 19. *Exibunt autem in Atrium* exterius, *& in Atrium extimum ad populum, nudantes ſe veſtimentis ſuis, quibus miniſtrabant, deponunto illa in cellis* ſanctitatis *ſuæ, vt induant alias veſtes, neq;* ſanctificent *populum veſtimentis ſuis.* Ex quibus diverſitas Atriorum, eorundemque ſanctitatis, manifeſta conſpicitur, ſimulque nihilominus verum eſt, *omnia* ſancta eſſe.

Diverſitas Atriorum ratione ſanctitatis.

Quare innuitur, in Eccleſia Dei, omnia eſſe *ſancta*, omnia *placentia* Deo: interim tamen ordinem ſervandum, vt alij ſint miniſtrantes, alij attendentes, alij prædicantes & annunciantes verbum, alij audientes. Interim Atrium omnia ſancta. *Nam in Chriſto Ieſu, neq; Iudæus neq; græcus eſt, neq; ſervus, neq; liber, neque maſculus, neque fæmina. Sed omnes vnus ſumus in Chriſto Ieſu.* Omnes *pariter acceſſum habemus ad thronum gratiæ*, adeoque ad intimos miſericordiarum receſſus. *Sumus enim genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Laudate* igitur *nomen Domini, laudate ſervi Domini. Qui ſtatis in Domo Domini, in Atrijs Domus DEI noſtri. Exhibete omnes corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationalem cultum veſtrum. Nolite conformari huic ſeculo, qui vivitis* in Atrijs Dei ſanctis. Nam quæ in mundo ſunt, prophana & polluta ſunt. *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: adeoq; totus mundus poſitus eſt in maligno.* Sed Atria Domus DEI ſancta ſunt, & qui veri ſunt cives, ſeipſos quoque ſanctificant. Nam hic, *pollutus, non ingreditur. Foris autem ſunt canes, & venefici, & impudici & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Sed omnium, qui ſunt intra Domus Domini Atria, licet vocationum, officiorum, & donorum multiplex differentia & varietas ſit, omnes tamen iucunda & amabili, pietatis & ſanctitatis ſocietate devincti, mutuo converſantur. Sicut enim vnius eiuſdemque corporis membra, in ſuaviſſimam & maximè ſalutarem incolumitatis Harmoniam conſpirant, licet vel dignitate, vel officiorum nobilitate diſcreta ſint: Ita Cives in Domo Domini, hoc eſt, omnia vera Eccleſiæ membra, ſpiritualem inter ſe fraternitatem, & mutuam concordiam colunt & alunt, licet alijs & alijs, aliud & aliud in Eccleſia *donum* ſit conceſſum. *Sicut* nō omnia membra ſunt oculus, vel auris, ſed ad corporis incolumitatem varie diſtincta, ita non omnes in Eccleſia ſunt *Apoſtoli, Prophetæ*, aut *Doctores*, ſed quiſque vocationem & locum, in hoc vel illo ſortiti Atrio. Omnes tamen ſunt omnes in eadem Domo *cives*, omnes etiam *omnium bonorum*, quæ in Eccleſia vel ad huius vitæ ſolatium, vel ad æternam felicitatem conſequendam diſtribuuntur, *participes.* Hoc namque reſpectu, nulla eſt membrorum diſtinctio, quæ ab vno capite dependentia, ab eodem omnia vivificantur, & ſuſtentantur. Hæc differentia Atriorum, donorumque, vt in Domo Domini, in hac vita initium habet, ita quoque in illo ſummo & cœleſti æternæ felicitatis Templo, ſine vllo tamen diſſidio, aut invidia, continuabitur. *Sicut* enim inter lucida cœli huius ſidera, alia lucis ſplendore & elegantia, alijs præcellunt: interim tamen pulcerrima omnia & iucundiſſimis flammis emicant, nec vlla inter ſe vnquam invidia interceſſit, ſed ſumma alacritate, & nunquam intermiſſis ſtudijs Deum Creatorem ſuum celebrant, ſive Arctico, vel Antarctico Polo, ſive medios ſecanti orbe Æquatori, aut Eclipticæ ſint viciniores.

Omnia tamen ſancta ſunt.
Galat. 3. 28.
Hebr. 4. 16.
1. Petr. 2.
Pſalm. 135. 1.
Rom. 12. 1.
1. Iohan. 2. 16
1. Iohan. 5. 19.
Apocal. 22. 15.
In vita æterna etiam ſunt gradus futuri.
Simile.

Ita quoq;

Itaquoq; in illo beatorum concilio, licet plurimæ ſint futuræ *manſiones*, & *Atria* quaſi, diſtinctæ quoque donorum & gloriæ diſtributiones, nulla tamen indignationis murmura, nulla vnquam invidiæ ſemina in æternum naſcitura ſunt. Sed quiſque beatorum, in ſuo propriæ felicitatis Atrio, æterna cum gratitudine & alacritate, ſumma quoque & animitus concepta, erga omnes & ſingulos beatos, gloriæ congratulatione, tripudiabit. *Quod Argumentum* ab Apoſtolo, qui arcana Theologiæ in tertio cœlo [illegible] eſt, in Epiſtola 1. Corinth. 15. copiosè ſatis pertractatum, & in noſtro Templo Ezechielis typicè eſt adumbratum.

V. DE PORTIS ATRIORUM.

Chriſtus unica Eccleſiæ porta.

Extremus ambitus, *vnicam portam* habet, eamque à plaga Orientali. Ezechiel. 40. 6. & 43. 1. & 47. 2. Reliqua Atria ſingula *ternas*, ab ortu vnam, a Meridie vnam, & ab Aquilone vnam, vti copioſius videre eſt toto cap. 40. Ezechielis. Quid igitur ſibi vult *vnica* iſthæc porta Orientalis, quâ per extremum ambitum, ad Domum Domini acceſſus patet? Quid aliud vero denotet, quàm *vnicum Chriſtum*, Dominum & Servatorem noſtrum, eſſe *oſtium* ad ovile, Domino ipſo ſic loquente: *Ego ſum oſtium ovium*, Iohan. 10. 7. Et mox verſu 9. *Ego ſum oſtium*, per me *ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*. Atque iterum Iohan. 14. 6. *Ego ſum via veritas, & vita, nemo venit ad patrem niſi* per me. Eſt autem hæc porta, *Orientalis*. Chriſtus enim, porta cœli & porta Eccleſiæ, eſt *oriens* ille *ex alto*, quem Zacharias, Baptiſtæ parens, in Cantico ſuo celebrat, *viſitavit nos oriens ex alto*. Et alter ille Zacharias, in Prophetarum choro penultimus, eundem vocat צֶמַח, hoc eſt, *germen*, Zach. [illegible] verſ. 8. *Ecce ego adducam ſervum meum* Germen. Et rurſus cap. 6. 12. [illegible] germen, *nomen eius*. Hoc eſt, Chriſtus: Quod ipſum nomen apud *Eſaiam* [illegible] que habet: Eſa. 4. 12. *In die illa, erit* germen IEHOVÆ, *in deſiderium*. Et apud Ieremiam, *vocatur germen Davidis*, Ierem. cap. 23. 5. & 33. 15. Veriſſime autem hoc germen *Orientale eſt*. Nam ab æterno eſt *exortus* eius, quod eleganter Micheas explicat.

Iohan. 14. 6.

Chriſtus oriens ex alto.

Mich. cap. 5. 2.

Chriſti exortus inde ab æterno.

Explicatio loci Mich. 5. 2.

1. Ratione divinitatis.

Pſalm. 2. 7.

Iohan. 1. 1.

Et tu Bethlehem Ephrata, vt minima ſis in Ducibus Iuda, ex te [illegible] *mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael, cuius* exortus inde ab initio, à diebus æternitatis. Vbi *notandum*, vocem Propheticam מוֹצָאֹתָיו exortus eius, in *numero multitudinis* poſitam eſſe, exortus eius ſunt inde à principio, à diebus ſeculi. Quod enim ad *divinam* Chriſti naturam attinet, extra controverſiam eſt, exortum illius, eſſe à diebus æternitatis. *Nam hodie*, hoc eſt, *ab æterno* [illegible] inquit Pater ad Filium, Pſalm. 2. 7. [illegible] Filio, Pater nunquam fuit [illegible] *In principio* namque *erat verbum* [illegible] *apud Deum, & Deus erat verbum.* [illegible] *apud Deum.* Hoc eſt, vt Pater *æternus* eſt, *ita Filius quoq;* eſt [illegible] Articulo, patre poſterior. Quam ob cauſam Patrem [illegible] loquitur Filius: *Clarifica me pater apud temetipſum, claritate, quam habui* [illegible] mundus *fieret, apud te*. Et rurſum de æternitate [illegible] ita concionatur, Proverb. 8. 22. *IEHOVA poſſidebat me*, principio viæ ſuæ. Hoc eſt, [illegible] rerum omnium creationem ordiri vellet Pater, nec quicquam adhuc rerum extra Deum extaret, ego iam tùm eram apud Deum, cum eodem *æternus &* [illegible], omni principio fineque carens. Id quod ibidem loci, per [illegible], & [illegible] enumerationem rerum pulcerrime exornatur. *Fui*, inquit ſapientia [illegible], *ante principium, antequam terra fieret. Antequam eſſent Abyſſi ego* [illegible] *eram, cùm nec fontes, nec montes eſſent, edita eram.* Et cætera, quæ ibi ordine enarrantur. Hinc Apocalypſis Iohannis cap. 1. 8. ita loquitur: *Ego ſum A. & Omega, principium & finis*, dicit Dominus, *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Idemque repetitur, Apocal. 21. 6. & 22. 13.

Iohan. 17. 5.

Proverb. 8. 22.

Apocalyp. 1. 8.

& 22.13. Hic igitur eſt oriens ille ex alto, oriens ab *æternitate* ſeculorum, ratione divinæ naturæ, Chriſti Salvatoris.

Propheta verò Micheas, non *exitus*, ſed *exituum* mentionem facit: *Exitus vel exortus ipſius* ſunt, *à diebus æternitatis*. Quis alius igitur exitus, præterquam divinæ naturæ in Chriſto, ab æterno conſiderandus venit? Reſp. Duarum in Chriſto naturarum, *ſola divina* æterna eſt. Humana natura, certo temporis articulo initium ſive exortum ſuum habuit. *Vbi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*, Gal. 4. v. 4. Nihilominus tamen *conſilij divini* ratione, quo λόγος ad Redemptionis officium (quod ſine aſſumpta virginis carne, expediri non debuit) inde *ab æterno* eſt *deputatus*, æternitatis etiam conſiderationem admittit. Deus enim humani generis lapſum, & miſeriam, inde *ab æterno* videns, ab eodem etiam, λόγον in temporis plenitudine incarnandum, eſſe decrevit. Adeoque proceſſus quidem ex virginali vtero, *temporalis* fuit, ſed idem *æterno decreto ordinatus*. Hinc λόγος æterna ſapientia Dei, in Proverbijs Salomonis de ſeipſa hæc verba pronunciat: *Ante ſeculum inunctaſui* מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי, hoc eſt, inde ab æterno ad redemptionis officium deſtinatus & præordinatus ſum, vt Propheta, Rex & Sacerdos, adeoq; caput ſui Eccleſiæ. *Hinc elegiſſe nos dicitur Deus ante conſtitutionem mundi.* Et Chriſtus vocatur *agnus immaculatus, & incontaminatus, præcognitus quidem* ante mundi conſtitutionem, *manifeſtatus autem noviſſimis temporibus*. Eandemque ipſam ob cauſam, *definito conſilio & præſcientia Dei, Chriſtus traditus eſſe ſcribitur, per manus iniquorum*, Actor. 2. 23. Adeoque etiam proceſſus humanitatis Chriſti, qui quidem in temporis plenitudine factus eſt, ratione conſilij tamen prædefinitionis & decreti divini, æternitatis habet conſiderationem. *Vnde* intelligimus, veriſſimè ſimul & graviſſimè Prophetã Micheam dixiſſe: *Exitus eius* ſunt, *à diebus æternitatis*. Hæc eſt porta illa ambitus, porta *vnica*, porta *Orientalis*: Chriſtus Salvator, oriens ex alto, verus & æternus Deus, & ad redimendum totum humanum genus, inde ab æterno prædefinitus.

2. Ratione, qua ab æterno deputatus eſt mundi Redemptor.

Prov. 8. 23.

Epheſ. 1. 4.

1. Petr. 1. 20.

Actor. 2. 23.

Hæc porta *Orientalis* eſt, vnde *dies*, *lux & ſplendor* ſolis emicat. Chriſtus enim eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. verſ. 9. Lux *ſplendor faciei*, gratiam, benignitatem & favorem ſignificat, Pſalm. 80. verſ. 4. 8. 20. *Domine Deus Zebaoth, converte nos, illumina faciem tuam & ſalvi erimus.* Item Pſalm. 67. verſ. 1. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos*, Sela. *De plenitudine nimirum Chriſti omnes accepimus gratiam pro gratia. Quia Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta*, Iohan. 1 16.

Ad huius portæ limina conſtituti, à dextris videmus violentiam Papicolarum, qui hâc portâ vnicâ non contenti, multas alias adulterinas comminiſcuntur, & ad latus huius Regalis mille fiſſuris, in Eccleſiam, & cuius hæc veſtibulum eſt, in cœleſtem domum, irrumpere, cæcis auſibus, fruſtra adnituntur. Quot enim habent traditiones, doctrinas & mandata hominum, quibus remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & vitam æternam, promereri ſe poſſe ſomniant, tot rimas agunt, tot diverticula quærunt, quibus clàm ad cœleſtia hæc Adyta irrepant. Eſt enim religioſorum ordinum atque regularum, quibus omnibus ſalutares meriti opiniones affingunt, tam infinita propemodũ varietas & multitudo, vt vel recenſendis illis etiam longa Narratio (quam præſens noſtrum inſtitutum reſpuit) vix ſatis eſſe poſſit. Vt tamen ex magno numero aliquos breviter attingamus, ecce tibi pie *contemplator*, *Benedictinos, Hieronymianos, Auguſtinianos, Carthuſianos, Carmelitanos, Præmonſtratenſes, Crucigeros, Canonicos, Dominicanos. Franciſcanos, novitios* Ieſuitas *flagellantes*, & plures alios Monachorum & monialium, plurimum non tantum ab ſe invicem, Regularum morumque inſtitutis diſcrepantes, ſed ſingulos inter ſeſe, adeo mi-

Portâ vnica Orientali Pontificij nolunt contenti eſſe.

rùm variantes ordines, vt maximus recenſendi, conciliandi verò infinitus &
impoſſibilis ſit futurus labor. Hi omnes cum omnibus ſuis Regulis, cultibus,
habitibus, ieiunijs, χαμευνίαις (humicubationibus) flagellis, virgisque, adeoque
cum omni ſua humanarum traditionum ſupellectili, & vario Inſtrumento-
rum apparatu, ſecus *portam Orientalem* conſiſtentes, quiſque ſuo malleolo mu-
rum pulſant, & actâ rimulâ, in mediam ſeſe domum inſinuare, ac proprijs
opellis, ad minimum Chriſti merito combinatis, vitam & ſalutem conſequi,
fruſtraneâ operâ fruſtrâ, adnituntur. *Vnica* enim *eſt porta Chriſtus*, hunc qui ne-
gligit, nullus huic alius patebit ingreſſus. *Nemo* enim *venit ad Patrem*, *niſi per*
Iohan.14.16. *me*, inquit porta vitæ, Iohan.14.6. Et iterum: *Ego ſum oſtium ovium, omnes quot-*
quot ante me *venerunt, fures ſunt & latrones*. Eos autem intelligit, qui aliam por-
tam, quam *venturum Meſſiam* monſtraverint, aut monſtrare finxerint. Ea-
dem hodie vox, omnium papicolarum, Ieſuitarumque auribus circumſona-
re debet. Chriſtus enim *porta Orientalis*, ita clamat: Ego ſum oſtium ovium,
quotquot poſt me veniunt, fures ſunt & latrones, hoc eſt, quicunque aliam
portam, viamve vitæ conſequendæ comminiſcuntur, quam Chriſtum. Iſthæc
igitur verba Salvatoris, *Titulus* ſunt & inſcriptio, omnium ordinum, dogma-
tum, & traditionum humanarum, quibus Ieſuitæ & omnes omnium ſuperſti-
tionum Romanenſium Doctores, Chriſti meritum, vel obſcurant, vel exte-
nuant, vel cum humanis meritis (quod Tridentinum Concilium apertis ver-
bis non erubuit) temerario niſu commiſcent: *Quotquot poſt me venerunt, fures*
Romanenſes ſanctam Deiparam virginem ſummis iniurijs afficiunt. *ſunt & latrones*. Hinc etiam facili coniectura aſſequi licet, quanto honore *ſcili-*
cet Romanenſes, ſanctiſſimam & laudatiſſimam *ſemper virginem* Mariam Dei-
param afficiant, quum eam *præter*, imò *contra* voluntatem ipſius, *portam* cœli,
& *portam* paradiſi, in Hymnis, precationibus & Litanijs ſuis frequenter ap-
pellitant. Iſtis enim titulis, benedictam & laudatiſſimam inter mulieres o-
mnium generationum, ſuperſtitioſi iſti homines, graviſſimis illis criminatio-
nibus obijciunt, quibus Chriſtus, *benedictus fructus ventris ipſius*, ſeductores &
hæreticos eſt inſequutus: *Fures ſunt & latrones, quotquot ante me, quotquot poſt me*
venerunt. Hiſce ignominijs, papicolæ ſanctiſſimam virginem quotidie afficiunt,
nec tamen accuſare nos vnquam ceſſant, nos honorem Deiparæ neglige-
re, eoq; in illam per ſummum crimen iniurios eſſe. Sed quinam illam *honorent*,
qui ignominioſè *iniurijs afficiant*, ex dictis ſatis conſtat.

Quod autem de diva virgine Maria dictum eſt, idem de omnibus o-
Iidem omnes ſanctos ignominiis mactant. mnino ſanctis, quos *divinis cultibus* ſuperſtitioſè honorant Romanen-
ſes, eſt intelligendum. Nam Architectus noſter, I E H O V A Do-
Iohan.10. minus & Author Eccleſiæ, ſtat ad limina portæ orientalis, & aperta vo-
Iohan.14. ce clamitat: *Ego ſum porta cœli*, ego ſum *oſtium* ovium, *nemo* venit ad Patrem
niſi per me. Ego Dominus I E H O V A, hoc eſt nomen meum, *gloriam meam al-*
teri non dabo, & laudem meam ſculptilibus, & quotquot poſt me veniunt, fu-
res ſunt & latrones. Romanenſes autem, & *novitij Ieſuitæ*, invocationis & opi-
tulationis, nec non remiſſionis peccatorum, & gratioſi meriti, honorem *de-*
mortuis ſanctis attribuunt. Quid inde verò conſequi poteſt, quàm ſumma igno-
minia, & extremæ iniuriæ, quibus Idololatræ Romanenſes, divos ſanctos
quotidiè *proſcindunt*: aſſingentes illis damnatam divinitatis libidinem, qua
Chriſto Servatori, gloria, & portæ *Orientali*, quæ vnica eſt, maieſtas & decus
eripitur. Sancti autem furum & latronum obijciuntur & ignominioſiſſimè
mactantur & conculcantur, opprobrijs. *Eccos* tibi ſanctulos, & præpoſteros
Rom.1.22. ſanctorum cultores Romanenſes, qui quidem in honorandis ſanctis o-
mnium primi eſſe, nec cuiquam concedere volunt: ſed rectâ dum perpen-
dimus rem viâ, non tantùm omnium poſtremi, ſed maximè in ſan-
ctos iniurij & violenti ſunt. Adeo *ſtulti facti* ſunt Romanenſes in ſapien-
tia ſua, vt quod in honorem ſanctorum proprio ingenio confinxerunt,
in eorum-

in eundem vergat ſummam ignominiam, qui dolendus fructus eſt ἐθελοθρησκείας, & temerarij à divino verbo receſſus. Scriptum enim eſt: *perdam ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reprobabo? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Et, *appropinquat mihi hic populus ore ſuo, & labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.* Quid gratitudinis autem hi præpoſteri cultores, & à diva virgine, & ab omnibus beatis ſanctis, olim recepturi ſint, graviſſimæ accuſationes iniuriarum, quibus ipſi immeriti ab illis conculcati, & dilacerati fuerint, in magno die Domini, inque conſpectu benedictæ Trinitatis, & choro omnium beatorum declarabunt. Hactenus Romanenſes, quos omnes ad *dextram portæ orientalis* videmus, præter illam vnam, alias rimulas adaperire, fruſtrà adnitentes.

1.Cor.1.19.
Matth.15.8.

Sed ecce ad *ſiniſtram portæ* catervam, ſtudijs & conatibus ſuis longè vehementiorem. Quantum enim *Romanenſes*, vt pluribus actis rimulis, plures ingreſſus pateant, ſudantes laborant: tantum illi, per *vnicam* portam Orientalem ingreſſuros, *pedibusq; manibusq;* ſummo niſu repellunt. Intò verò portam ipſam, *multo anguſtiorem* eſſe, quam vt omnes adventantes admittat, vndique ſumptis & vbique diminutis menſuris, viribus omnibus contendunt. Hi ſunt contra gratiam, & veritatem Dei, contra perſonam & officium Salvatoris, contra verbi divini & Sacramentorum vim atque ſolatium furioſè tumultuantes *Doctores Calviniani.* Hanc enim portam ſalutis, Chriſtum mundi Meſſiam, præparavit Deus pater, vt omnes Paradiſo eiectos exules, hac *portâ orientali*, recolligeret. Pollicitus enim eſt, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, in ſemine tuo benedicentur *omnes gentes.* Ipſum Salvatorem portam ſalutis, hiſce verbis alloquitur: *Parum eſt, vt ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas, tribus Iacob, deſolationes Iſraël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.* Et apud Ezechielem iuramento confirmat. *Non delectari ſe morte peccatoris, ſed vt convertatur & vivat.* Quibus *omnibus* manifeſtum evadit, nolle Deum Patrem, hanc *portam anguſtam*, aut quemquam excluſum eſſe, ſed eadem illam cum *orbis extremitatibus* amplitudine pandit, ſummo deſiderio expetens, vt *quotquot* extra Paradiſi felicitatem, in mortis territorio divagantur, húc converſi, ad vitam & beatitatem *redeant.* Non enim Deus quenquam perire vult: ſed omnes ad pœnitentiam & fidem reverti. *Propoſuit enim Deus pater in Chriſto, ſub vnum caput in vno reducere OMNIA, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*, Ephel.1.10. Coloſſ.1.20. Ideoque *pater ipſe ſ[illegible] totius diei horis operarios vocat in vineam ſuam*, Matth.20.1. &c. Et Rex *ad paratas Filij ſui nuptias vocat* omnes. Matth.22.1.& ſeqq. Ex conſilio igitur Dei Patris, porta vitæ omnibus omnium ſeculorum, omnium gentium, populorum atq; nationum hominibus, in Chriſto fide apprehendendo aperta patet.

Calviniani portam Orientalem in anguſtum coarctant.
Voluntas Dei Patris de porta vitæ.
Geneſ.12. 18. 22.
Eſa.49.6.
Ezech.18.33. & 33.11.
1.Timoth.2.4.
2.Petr.3.9.

Ad *ſecundam divinitatis perſonam* quod attinet, quæ ipſa vitæ porta eſt, idem plane ipſius eſt animus, idem æquè ardens atque exæſtuans ſalutis noſtræ deſiderium. Hic enim non latere cupit, ſed *oſtium* dicit ſe, & *vitæ portam* eſſe, apertis verbis prædicat. *Ego ſum oſtium Ovium. Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Quibus autem ad introeundum porta eſſe, quoſque admittere [illegible] declarat: *Venite ad me omnes* (Omnes, [illegible]) *& ego [illegible]* [illegible] *venientem ad me non eijciam foras.* Quod [illegible] clarius etiam patet ex [illegible]atione Apoſtolorum, qua in [illegible] Evangelium prædicaturi emiſſi ſunt: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes illas in nomine Patris, &c.* Et apud Marcum. *Euntes in mundum [illegible] univerſum, prædicate Evangelium* omni creaturæ, *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.* Sicut igitur Chriſtus Salvator, pro omnibus omnium hominum peccatis ſatisfecit, omnium Salvator factus, omnibusque reditum ad ſalutem, & cœle-

Voluntas & deſiderium Chriſti porta vitæ.
Iohan.10.
Iohan.14.6.
Matth.11.28.
Iohan.6.37.
Matth.28.19.
Marc.16.15.

ftis Paradiſi, ius ac hæreditatem comparavit: Sic ipſa *vitæ porta*, omnibus hominibus per fidem ingreſſum, expenſa patet, nemini orbis incolæ vel clauſa, vel anguſta, vel inacceſſa.

Spiritus ſanctus Evangelij Buccina omnes advocat. *Tertia Trinitatis Perſona*, Spiritus ſanctus, quaſi Arcis vitæ præfectus eſt. Huic enim buccina & prædicatio Evangelij commiſſa eſt, qui intromittendos ad vitam, Evangelij Tuba advocat, & invitat. Hic vero non *paucos* aliquos non *certos* aliquos, certæ gentis aut conditionis homines, ſed *omnes in univerſum* homines, vt ab exilio redeant, & [illegible] erroribus revertantur, & per Portam hanc Orientalem ad vitam ingrediantur, vocat, invitat, monet, hortatur, obſecrat, vrget. Ideo namque Evangelium in toto orbe prædicatur, vt
Iohan.1.7. OMNES CREDANT, Iohan.1.verſ.7. Ideo prædicatur Evangelium,
Iohan.17.v.21.23. VT CREDAT MVNDVS, Chriſtum miſſum eſſe à patre, Iohan. 17.
Actor.17.30. verſ.21.23. *Et tempora quidem ignorantiæ diſſimulans Deus, nunc annunciat hominibus*, vt OMNES *vbiq; pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in iuſtitia, per virum per quem decrevit*: Fidem offerens omnibus. In quibus elegantiſſimis verbis, notandum eſt *triplex Teſtimonium* de *vniverſali* fine converſionis & ſalutis hominum, quem Deus in vniverſali prædicatione Evangelij propoſitum habet. *Semel* enim aperte dicitur, ideo DEVM annunciare verbum & voluntatem ſuam, VT *Omnes* vbique pœnitentiam agant. Quibus verbis, nihil clarius, nihil dilucidius dici aut cogitari poteſt.

Secundo dicitur: Ideo annunciari pœnitentiam omnibus, quia DEVS per Chriſtum *decreverit*, totum orbem terrarum iudicare velle in iuſtitia. Niſi autem omnibus ſalus, ſalutisque media offerrentur, non poſſent omnes homines *in iuſtitia* iudicari. Hi namque, quibus Dominus non convertendi, & illuminandi, ſed fortius indurandi & horribilius excæcandi, animo propoſuiſſet *exceptionem* haberent προσωποληψίας, ſe in ratione vocationis & invitationis ad vitæ portam, non tantum miſere neglectos, ſed dolendis modis, aditu prohibitos, & abactos eſſe. Iuſtitiæ igitur divinæ rectitudo & ſanctitas, vocationis & invitationis ad vitæ portam, vniverſaliſſimam vocationis vniverſalitatem, firmiſſimè & ſine omni contradictione evincit. *Tertio vero*, rurſum aperte dicitur, Deum fidem offerre *omnibus*: Quod niſi *Hypocritam* DEVM & *Agyrtam*, cum Calvinianis fingere velimus, nullam dubitationem admittit, quin *vitæ & ſalutis deſiderio* omnibus proponatur & inculcetur Evangelium. Adeoque omnes homines ſerio & ardenti ſtudio S. S. *Trinitatis*, ad vitæ portam invitantur. Quem miniſterij ſui finem, etiam pleniſſi-
Ephes.3.v.8.9. mis verbis Paulus prædicat: *Mihi omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc, in gentib. Evangelizare imper veſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare* OMNES,
Coloſſ.1.28. *quæ ſit communio myſterij abſconditi a ſeculis*. Et rurſus: *Chriſtum annunciamus, admonentes* OMNEM hominem & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem *perfectum in Chriſto Ieſu*. Rex igitur *Pater cœleſtis*, in Aulæ felicitatis medio ſedens, totum humanum genus, ad æternorum gaudiorum participationem advocat: Eamque ob cauſſam portam aperuit, iiſdem cum huius orbis [illegible] patentem, is eſt *Chriſtus Ieſus*: vitæ æterna *porta Orientalis*. [illegible] autem Præfectus vigilantiſſimus, omnes vbique diſperſos Paradiſi [illegible], Tuba Evangelica, per totum terrarum orbem ſonora, fideliſſime [illegible], & invitat, ne quis retardatus, per devia errorum, in æternum [illegible] Barathrum præcipitetur & pereat. Quam benignitatem & [illegible], Domini DEI noſtri, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, nemo homo *ſatis graviter* ponderare, nemo Angelus dignis cumulatis laudibus, extollere, celebrare aut deprædicare poteſt.

Maledicta

Maledicta igitur, & æternùm maledicta, Calvinianorum βδελύγματα, qui ex Deo patre, admirandâ & ineffabili φιλανθρωπίᾳ erga totum humanum Genus exæſtuante, non tantùm miſerum & totum invidiâ deflagrantem μισάνθρωπον faciunt, qui felicitatem ſuam maximæ hominum parti deneget, eamq; ob cauſam, eoſdem à *ſalutis porta* repellat: ſed eundem infelicitatis & damnationis (quod ipſo dictu horrendum atque blaſphemum eſt) *authorem & effectorem* confingunt. Eò, quòd docent μισάνθρωπον illum Deum, ad juſtitiæ ſuæ declarationem maximam humani generis partem, ad æternam damnationem C R E A S S E. Videantur illorum verba, quæ alibi magno numero citata extant.

Deſperata Calvinianorum βδελύγματα.

1. Deum multos homines ad damnationem creaſſe.

Ipſam porrò vitæ portam, omnibus hominibus patentem, non tantùm in *anguſtum* contrahunt: Docentes, Chriſtum non pro omnium hominum, ſed paucorum tantùm, nempe *Electorum* quos vocant, peccatis ſatisfeciſſe, adeoque non omnium hominum, ſed *Electorum* tantùm conſtitutum Redemptorem, & vitæ portam. Sed quòd etiam magis audax eſt facinus, ipſam vitæ & ſalutis portam crudeles illi Dogmatiſtæ cum æterno totius humani generis periculo, demoliuntur. Quoniam enim *veram & realem Idiomatum communicationem* in Chriſto negant, eo ipſo totum Redemptionis opus eneruant, omnique virtute, ac vi ſalutis & vitæ evacuant. *Niſi* enim λόγος in ſuæ divinæ virtutis κοινωνίαν, humanam virginis carnem aſſumpſit, & *niſi hæc* divinæ maieſtatis & virtutis verè & realiter particeps facta eſt, mors certè Chriſti, tota *inefficax*, adeoque prorſus inutilis atque inepta fuit ad reparandum vitam. Hanc κοινωνίαν virtutis divinæ, dũ negant Calviniani, *omne fundamentum* vitæ & ſalutis noſtræ deijciunt, adeoque totam vitæ & ſalutis noſtræ portam, portam noſtram Orientalem, portam gratiæ, & æternæ felicitatis audaces deſtruunt, confringunt, comminuunt. O *facinus* audax! O *facinus*, omnium piorum odijs & maledictis, omnium ſanctorum Chriſti cultorum, æternis abominationibus dignum. *Qui aures habet ad audiendum, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Vide Vvirtembergenſium Examen contra Heidelbergenſ.

Item Locos meos Theologicos.

2. Chriſtum pro paucorum tantum hominum peccatis ſatisfeciſſe.

Ipſam vitæ portam demoliuntur.

NOTET orbis Chriſtianus.

Non minùs iniurij & blaſphemi ſunt Calviniani in *præconem, ſeu vigilem*, portæ noſtræ Orientalis, Spiritum ſanctum. Cùm enim hic advocet vniverſos, omnibusq; adventãtibus, per fidem introitum polliceatur: Iſti audaculi, non tantùm hypocritam, ſed quod dictu & auditu horrendum eſt, *Crocodilum* faciunt Spiritum ſanctum Euangelij præconem. Eò; quòd docent, non tantùm non omnes ſeriò vocari, quotquot Evangelicâ concione ad introitum fidei & ſalutis vocantur: ſed quoſdam *ideò* tantùm vocari, vt illecti gratijs periculoſiùs tandẽ intereant. Quòd nihil aliud eſt, quàm *fictis Lacrymis* ad ſalutẽ invitare homines, obſequentes autem miſeros *laniare*. Quæ omnia, talia tantaque ſunt, blaſphemiarum monſtra, vt mirum non ſit, ſi ad vomitum illorum, ipſa cœlorum firmamenta concutiantur, aut ima Doctoribus eiuſmodi dehiſcat terra. Nos *portam* Templi Dominici *Orientalem* contuentes, & per illam infinitam Dei bonitatem & miſericordiam contemplantes, & Deum noſtrum, ipſam eſſe *charitatem & dilectionem*, ipſam *miſericordiam & veritatem* exultantes agnoſcamus, & gratias animis noſtris meditemur & exolvamus *æternas. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalvationum accipiam, & nomen Domini prædicabo.* Hoc eſt, grato animo acceptabo beneficia, quibus Dominus me cumulat, & benignitatem eius celebrabo. Ita & nos agnoſcamus, & exoſculemur, *benignitates, gratias, miſericordias & veritates divinas*, per portam Orientalem nobis exortas. Cantemus Deo laudes, & imperveſtigabiles divitias miſericordiæ & dilectionis Dei patris noſtri cœleſtis, nunquam intermiſſis laudibus deprædicemus. *Hactenus de porta Orientali.*

3. Spiritum ſanctum Hypocritam faciunt.

Pſalm. 116. 12.

Sed quid illud ſibi vult, quòd ambitus quidem extremus, vnicam, eamque orientalem habet portam; reliqua verò Atria, ſingula ternas: ab oriente vnam, & ex vtroque latere, Meridiei & Aquilonis vnam? *Vnica nimirum ſalutis*

Cur extremus ambitus vnicam tantùm habeat portam: Reliqua Atria plures.

 & vitæ

& vitæ porta eſt Chriſtus, per quem ſolum venitur ad Patrem. Sed qui iam per Chriſtum cives & vera Eccleſiæ membra facti ſunt, ex abundanti amore Patris, *alia & alia* habent media, quibus ampliùs in fide *informentur, augeantur, corroborentur, obſignentur*. Vt pote ſunt plenior & perfectior, verbi divini, omniumque myſteriorum Regni *intellectus*, *vtriuſq; Sacramenti* ſalutaris, & Cœnæ Dominicæ quidem, crebrò iteratus *vſus*: ſunt *preces & ſoliloquia* cum Deo. Eſt *Spiritus ſanctus*, Arrhabo, pignus, & ſigillum ſalutis noſtræ, 2.Cor.1.22.& 5.5. Galat.4.6.Epheſ.1.13.& 4.30. Quibus omnibus medijs, ſub vno capite Chriſto, indies magis magisq; Domino appropinquamus, & ab inferioribus, ad ſuperiora contendimus atria.

Cur nulla Templi porta ab occidente?

Sed cur neque in extremo ambitu, neque in vllo alio Atriorum, vlla porta ingreſſus patet ab *Occidente*? Sæpius hucuſque monui, nemini noſtrum eò confidentiæ progrediendum, vt ad omnia huius viſionis myſteria penetrare ſe poſſe, audaci niſu præſumat: meas tamen cogitationes hac de re exponam.

Diſtinctio plagarum mundi, ſecundum Scripturam ſacram.

Hebræi, mundi plagas ita diſtinguunt, vt *ortum*, partem anteriorem, *occaſum* partem poſteriorem, *Meridiem*, latus dextrum, *Septentrionem*, latus ſiniſtrum appellent. De qua diſtinctione videre eſt, Exod.27.13. *Latitudo Atrij ad plagam* anteriorem, *orientem verſus, quinquaginta cubitorum*. Et Exod.26.18. *Facito aſſeres Tabernaculo, viginti aſſeres ad plagam auſtralem*, dextrorſum. Sic Pſalm.89.v.12.13. *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra*, &c. *Aquilo &* dextra (ſcil. plaga, id eſt, meridies) *quos tu creaſti*. Omnium autem elegantiſſimè, hanc diſtinctionem, omnibus ſuis membris abſolutam legimus, Iob.23.verſ.8.9. *En, ſi* antrorſum (hoc eſt, ad orientem) *ivero, non appareret Deus: Si* retrorſum (id eſt, ad occidentem) *non animadvertam eum. Ad* ſiniſtram *cum aget* (hoc eſt, ad Septentrionem) *non tamen videbo: operiet* dextram (ſcil. plagam) *nec ibi contuebor*. Quibus in verbis, omnes diſtinctionis partes continentur, quibus plagæ mundi differunt. Inde patet, *occidentalem* plagam, quæ nullam in Templo portam habet, partem ſeu plagam appellari *poſteriorem*. Per *anteriora* nimirùm, quæ ſpiritualia, cœleſtia atque divina ſunt, ingreſſus patet: per poſteriora verò, quæ mundana, temporalia & caduca ſunt, omnis aditus occluſus manet. Et hoc eſt, quod Paulus ſuo exemplo docet: *Vnum eſt, quod dico fratres, quæ quidem* retrò *ſunt* (hoc eſt, quæ occaſum ſpectant, atque caduca ſunt) *oblivijcens, ad ea vero, quæ ſunt* priora *me extendens, ſcopum perſequor, ad bra&brum ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Ieſu*. Idem Chriſtus expreſſit hiſce verbis: *Nemo mittens manum ſuam ad Aratrum, & reſpiciens* retrò, *aptus eſt regno Dei*. Et hiſce: *Quærite primùm Regnum Dei & iuſtitiam eius, ac cætera adijcientur vobis*. Quicunque igitur ſequuntur Chriſtum atque in verbo Domini, die noctuque exercentur, illi ad patentes, & ambitus, & Atriorum portas, rectà contendunt. Qui verò, rebus terrenis impliciti, ab *oriente* averſi, in ſolis *occiduis* occupantur, illi nunquam ad cœli portas ſunt perventuri.

Anteriora, ſunt ſpiritualia, cœleſtia & æterna. *Phil.3.13.*

Luc.9.62.

Matth.6.33.

Structura & forma portarum.

Hactenus de *numero* portarum, iam earundem etiam ſtructuram & formam contemplandum, & quid ſpiritualium meditationum, inde quoque exoriatur, perpendendum. Talem autem ſtructuram Ezech.40.10.& ſeqq. vidimus. Quamprimùm per portarum gradus conſcenditur, confeſtim ex *vtroq; latere* conclavia quædam, ſive Exedræ ab intus occurrunt: Tres *hinc*, & tres *inde*, eiuſdem planè quantitatis & formæ, ita conſtructæ, vt fores illarum, quarum ſingulæ *binas* habent, rectâ lineâ, ſibi correſpondeant, adeoque ab vna extremitate vſque ad alteram per omnes omnium conclavium fores, non impedito viſus radio, liber pateat traiectus. Deſuper autem omnia conclavia *tectis & ſuggrundijs*, contra tempeſtates & pluvias apparata, armataque ſunt. Addita interiore porticu, quæ verſus Atrium porrecta, maiorem & quietis commoditatem, & contra ſoles ac plu-

vias

Digitized by Google

vias tutam defenſionem præbet. Et hæc forma vna eademque eſt *omnibus* partibus, tàm ambitus extremi, quàm omnium & ſingulorum atriorum. Quid igitur ſibi volunt iſtæ exedræ ex vtroque latere introitus? Summam nimirùm *commoditatem, tranquillitatem & ſecuritatem*, quibus omnibus Eccleſiæ civibus frui licet, ſignificant.

Pii ab omnibus periculis tuti.

Quamprimùm enim vel primum pedem in Eccleſiam intuleris, confeſtim à dextris, à ſiniſtris, à fronte commodiſſimè vbiq; habitationes paratæ ſunt, in quibus & requieſcere & à tempeſtatum iniurijs, ferarum hoſtiumq; incurſionibus tutis eſſe omnibus licet. *Iuſtificati* namq; *ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Rom. 5. 1.

Quicunq; ſumus intra ſepta Eccleſia, non tantùm in certa Domini cuſtodia, & paterna inſpectione vivimus: ſed in ipſa Domini Servatoris *manu*, medioq; *ſinu* reclinati, contra omnes iniurias atq; pericula, tuti & incolumes requieſcimus. Nam

Iohan. 10. 27.

oves meæ (inquit Servator) *vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis*, & non peribunt *in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Et rurſus: *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei.* Ibid. v. 29. Pſaltes has exedras, ita celebrat:

Pſalm. 91. v. 1.

Qui habitat in abſcondito altiſſimi, in vmbra Omnipotētis commorabitur, dicet Domino ſpes mea es tu, & arx mea, Deus meus ſperabo in eum. Alis ſuis operiet te, & ſub pennis eius ſperabis. Et cætera quæ magnifica ibi, & pleniſſima ſolatij atque incolumitatis, de Domini protectione & cuſtodia piorum copioſè & maximè emphaticis verbis decantantur. Et Pſalm. præcedente 90. 1. *Domine tu habitaculum noſtrum, in generatione & generatione*, hoc eſt, tuo beneficio, tuâ paternâ protectione, ſalvi & incolumes habitamus. Sunt igitur iſtæ exedræ, ſeu manſiones Tēpli iſthæc latibula altiſſimi, in quibus contra omnes adverſitates & pericula, ſalui & incolumes latitamus.

Communio Sanctorum.

Sunt autē iſthæc conclavia ad *vnam* omnia *formam*, & magnitudinē extructa, & ad iſtum accuratum rectilineum ordinem diſpoſita, vt propter correſpōdentiam januarum, vna domus ſeu vna manſio omnia videri poſſint. Communio videlicet vna eſt omniū ſanctorum, quam in fidei noſtræ Articulis, publica confeſſione profitemur. Eadem eſt diſpoſitio, forma & amplitudo, omnium exedrarum, ad omnes omnium atriorum portas, ſic eadem ſunt *beneficia*, quibus in Eccleſia, vnâ câdemque *κοινωνία* perfruimur.

Epheſ. 4. 4.

Vnum namque *Corpus, & vnus ſpiritus, ſicut & vocati ſumus in* vna ſpecie *vocationis noſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium.* Licet igitur diverſa ſint atria, vna tamen & eadem vbique ſunt conclavia. Licet *diuerſitates* ſint donorum & vocationum in Eccleſia, idem tamen eſt Spiritus, omnibus vnus pater, omnibus vnus redemptor & Servator Chriſtus, vnus Baptiſmus, vna cœna Dominica, vna fides, vna remiſſio peccatorum, vna juſtitia, vna ſalus, vna vita æterna, ſumma, *vna* omnium & vniverſorum cœleſtium bonorum *communio.*

Humiles & abiecti non franguntor.

Quæ res *humilibus & abiectis*, ſolatium præbere: primoribus autem, & omnibus, qui aliquid in mundo eſſe videntur, humilitatem & humanitatem (quo ſolo ſtudio, ad divinitatem proximè acceditur) perſuadere debet. Quid enim tu, pauper & egens, animo angeris, quid conficeris ſollicitudinibus? In Eccleſia vivis, omnium ex æquo bonorum & beneficiorū es particeps.

Divites & honorati non extelluntor.

Et tu quid extolleris, qui divitijs, dignitate & honoribus abundas? Idem ille omnipotēs & cœleſtis pater, quem tibi patrē prædicas, huic quoq; egeno & pauperi, quem tu ex alto deſpicis, Pater eſt. Idem illi eſt, qui tibi Chriſtus. Idem illi Spiritus ſanctificator. Et quid deſpicis eum hominem, qui in eadem tecum Eccleſia, in eadem exedra vivit?

Myſterium de Divitibus.

Et ſi velint divites & præſtantes in mundo, benignis auribus audire, *myſterium ipſis revelabo.* Multi iam ſunt potentes, & nobiles in mundo, qui licet per fidem in Chriſtū, ſint membra & cives Eccleſiæ: eamque ob cauſam vitæ æternæ hæredes. Illuc tamen, cum ex militante Eccleſia perventum fuerit, multi principes

Digitized by Google

atque nobiles viri, qui neque tantum propter Chriſti gloriam perpeſſi ſunt, neque tantum in Evangelij veritate propagandâ ſudârunt & elaborârunt, neque tot vicibus, nec tàm ardentiſſimis affectibus, orârunt, nomenque Dei celebrârunt, nec tot beneficiis, pauperes, & egenos, ſublevârunt (quod pro divitiarum amplitudine, & occaſionum nobilitate, facilimè potuiſſent) qui, inquam, in huiuſmodi veræ pietatis, & charitatis exercitijs, non tantum præſtiterunt, quantum alij pauperes, egeni, & in mundo contempti homines, illi cum his, vices, ſedes & Exedras in vitâ æternâ, ita commutabunt, vt pauper & abiectus, qui ardentem pietatis zelum ſemper habuit, principem & regium virum, & ipſum beatum (qui tamen in hac vita, pietatis & charitatis zelo fuit inferior) *longè ſit anteceſſurus* & exedras inhabitaturus *ſuperiores.* Tunc enim locum & praxin ſuam habebit illud Salvatoris: *Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Matth. 25. v. 21. 23: Quæ tamen gloriæ Atriorum, & Exedrarum *differentia*, in differentibus atrijs, omni invidiæ crimine & ſuſpicione eſt caritura. Proponuntur autem, & ad alendum veræ pietatis & charitatis ſtudia, & ad extinguendum & eliminandum omnē faſtum & ſuperbiam inter mortales.

Notate divites & prapotentes in mundo.

Obſervanda etiam eſt regularitas Thalamorum ſeu Exedrarum. Quilibet enim thalamus ſive exedra, calamum habuit in *longitudine*, & calamum in *latitudine*, adeò vt ad decorem, & æqualitatem ornatus omnia perfectiſſimè comparata ſint, nec quicquam ſit, protuberans, excurrens, abundans, irregulare, obliquum aut inflexum. In Eccleſia nimirum, & piorum cœtu, omnia *ordinata & decora* eſſe convenit. Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, vt Apoſtolus inquit. Πάντα εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω, iſthæc verò εὐσχημοσύνη & τάξις, non in picturis maximè & imaginibus, argento, & auro gemmiſque ornatis conſiſtit, vt pueriliter ſomniant *Romanenſes*, ſed eſt æqualitas & elegantia morum, quam pij & fideles, in exedris Eccleſiæ commorantes, Spiritus ſancti inſtinctu motibus & viribus vbique declarant. Hoc enim *dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & aliæ gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, &c. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum: ſi tamen illum audiviſtis, & in ipſo edocti eſtis, qua ratione eſt veritas in Chriſto Ieſu. Nempe, deponere vos, ſecundum priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur, ſecundum deſideria. Renovamini verò Spiritu mentis veſtræ, &c.* Hæc eſt illa æqualitas & regularitas Exedrarum in Templo Domini, vbi omnia ad pietatem, omnia ad honeſtatē, charitatem & ſanctitatem comparata, pulcerrimum decorem & ornatum habent. Caput omnis ornatus eſt Religionis ſynceritas.

In Eccleſia. omnia fiant εὐσχημόνως.

1. Cor. 14. 40.
Verus Eccleſiarum ornatus.

Epheſ. 4. 17.

Sed neque *interior Porticus*, ſine meditationibus ſpiritualibus nobis permeanda eſt. Sicut enim ex vtroq; latere introitus, terni thalami ſive exedræ occurrunt: ita verſus interius atrium, hæc porticus excurrit, applicato ad exedras concurrente tecto. Vnde fit, vt hæc porticus, cum exedris vtrinque lateralibus, *Crucis* formam exhibeat ſpectatori. Quanquam enim Eccleſiæ cives, tutiſſima in Deo latibula habeant, *crucis* tamen *quotidianæ* non erunt expertes. Hinc in ipſo ſtatim introitu Templi, ad omnes portas, porticus crucis formam oſtentat. *Si quis* nimirùm *poſt me vult venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Matth. 16. Et rurſum apud Lucam cap. 9. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Et Matth. 10. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et elegantiſſimè Paulus Actor. 14. Cùm Lyſtris ad necem lapidatus, & paulò pòſt, cùm Barnaba ex Seſſione Derbenſi, Lyſtram reverſus eſſet, confirmant ambo animas diſcipulorum, exhortantes vt permanerent in fide, et, *quòd per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum Dei.* Hic nimirùm eſt introitus per Porticum noſtram crucis, per porticum σταυροειδῆ, quam nemo tranſilire,

Piorum quotidiana Crux.

Matth. 16. 24.

Luc. 9. 23.
Matth. 10. 38.
Actor. 14. 20.

aut

aut declinare poteſt. Hinc ad Timotheum. *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patientur.* 2. Timoth. 3. 12.

Ne tamen, vel perſequutionis igne, vel crucis, & calamitatum acerbitatibus frangamur: in ipſo quoque introitu, ſolatij gaudijq; ſigna obſervare licet. Nam ipſę exedrę ſeu thalami, quod iam in ſuperioribus dictum eſt, contra ſolis æſtum & tempeſtatum iniurias defendunt, ſed in ſpecie obſervanda eſt tum *Lux* thalamorum, per feneſtras clauſas intrans, tùm etiam *palmæ* feneſtras vndique circumdantes. Quid enim illa lux, quam gratia, fervor Dei, in medijs calamitatum æſtibus refrigerans? Lux illa Spiritus ſancti ſolatium eſt, quo fideles & pios in medijs calamitatum tenebris reficit, recreat, refocillat. Qua de re Paulus, *per fidem acceſſum habemus ad gratiam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei. Non ſolùm autem* (ſcilicet in ſpe gloriæ gloriamur) *ſed etiam* gloriamur in tribulationibus, *ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem.* Et Roman. 12. *Spe gaudentes: in tribulatione patientes, orationi inſtantes.* Et 1. Theſſalon. 5. 16. *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Per *feneſtras* autem *clauſas* hæc lux ingreditur, hoc eſt, deforis anguſtæ videntur, ſed intus, laxæ & amplæ ſunt. Ita Chriſtianorum gaudium, ab extra non apparet, omnia namque periculis, calamitatibus, anguſtijs, egeſtate & penuria, morbis & mortibus oppleta ſunt, adeo vt nihil vſpiam occurrat, niſi miſeranda crucis & lurida mortis imago. Sicuti ſcriptum eſt: *Quia propter te mortificamur tota die. Æſtimati ſumus, ſicut oves occiſionis. Ab intus* autem, ſpe, gaudio, & exultatione repleti ſunt fideles, vt in medijs etiam anguſtijs exultare & tripudiare poſſint. Vnde illa Paulina: *Gloriamur in tribulationibus ſpe gaudentes*: Item *gaudete ſemper.* Quod fieri nunquam poſſet, niſi lux & gaudium Chriſtianorum internum eſſet, de quo David: *Etſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Et Pſal. 73. 26. *Deficiat caro mea, & cor meum: tamen Petra Cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Et Paulus: *Etſi immolor ſuper ſacrificio & cultu fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipſum autem & vos* gaudete, & congratulamini mihi: Ecce Paulus de Martyrio ſuo loquens, & ipſe gaudio repletus eſt, & repletos eſſe etiam vult alios. Hæc eſt Lux illa Thalamorum, per *occultas* ſive clauſas feneſtras in corda piorum influens. Atque hoc non tantum ſacris, ſacrarum literarum Exemplis, ſed etiam primitivæ Eccleſiæ & quotidianæ experientiæ hiſtorijs notum & clarum eſt. Conſtat enim Sanctos Martyres, cum Pſalmis & Hymnis, exultante Spiritu, cruciatus ſuos, illosq; acerbiſſimos, & ad externum adſpectum intolerabiles ſubijſſe & ſuperaſſe. Conſtat, & quotidiana piorum exempla loquuntur, multos fideles & pios, cum iam Mors ſubeunda, & omnibus rebus terrenis, quas nobiles etiam & charas habuerunt, extremum vale dicendum eſt, magna eos cum fiducia & *gaudio* animorum, diſcedere, & cum lætitia diem claudere ſupremum. *Nam pax Chriſti, quam donat nobis*, Iohan. 14. *Palmam ſiue victoriam obtinet, in cordibus noſtris. Et regnum Dei, quod in nobis eſt, Iuſticia eſt, & pax, &* gaudium *in Spiritu ſancto.* Rom. 14.

Solatium piorum in afflictionibus.
Rom. 5. 2.
Rom. 12. 12.
Gaudium piorum internum eſt.
Pſalm. 23. 4.
Pſalm. 73. 26.
Philip. 2. 17.
Martyres & alii fideles cum gaudio vitam finiunt.
Iohan. 14. 27.
Coloſſ. 3. 14.
Rom. 14. 7.

Inter reliqua Portarum ornamenta, ſunt etiam *palmæ*, quæ circa feneſtras & limina portarum conſpiciuntur. Sicut vidimus in textus explicatione, Ezechiel. 40. verſ. 16. 22. 26. 31. 34. 37. Iſthæc autem Palmarum ornamenta, non tàm decoris, quam ſpiritualis meditationis gratiâ adſunt. Palmarum enim hæc eſt natura, vt contra pondus ſurgant, hoc eſt, quanto maiora ipſis pondera imponuntur, tanto maiore niſu aſſurgunt, & ſupprimi ſe nunquam patiuntur. Inde veteribus moris erat, vt victores, in ſignum Triumphi, dexterâ palmas portarent. Ex quo Latinorum etiam Proverbium

In Eccleſia perpetuus Triumphus.

verbium ortum eſt, quo *palmam reportare*, aut *palmam obtinere*, pro vincere, aut ſuperare dicunt. In Eccleſia nimirum *victoria* eſt & *triumphus* perpetuus: Contra peccatum, mortem, Diabolum & Infernum & omnes Eccleſiæ cives, contra omnes adverſarios ſuos palmam, & inſuperabilem victoriæ coronam reportant. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. *Quis accuſabit Electos Dei? Quis ſeparabit a charitate Dei? Tribulatio? an angustia? an fames?* *Et cætera* quæ ibi ſequuntur. Et additur in verſu 37. *In his ſe omnibus* longe vincimus, *propter eum, qui dilexit nos.* [illegible]

1. Ioh. 5. 4. Et Iohan. in Canonica ſua cap. 5. 4. *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt* victoria, *quæ vincit mundum* fides noſtra. Sic in Apocal. 12. 11. *Sancti* vicerunt Draconem *per ſanguinem agni & per verbum teſtimonii ſui.* Huc

Pſalm. 92. 13. etiam reſpexit Pſaltes, ita canens: *Iuſtus vt palma virebit. Quæ autem Corona*

Corona Triumphalis piorum. *huiuſmodi victoribus parata ſit, paſſim in ſcripturis & eleganter explicatur.* Paulus ita

2. Timoth. 4. 7. deſcribit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi* corona Iuſtitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex.*

Apocal. 2. 7. *Non ſolum autem* mihi, *ſed &* omnibus *qui diligunt adventum eius,* [illegible] *αὐτοῦ*. Et Iohannes in Apocalypſi ex ore Salvatoris: vincenti *dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi Dei.* Et verſ. 11. *Qui* vicerit, *non lædetur à morte ſecunda.* Et v. 17. vincenti *dabo edere Manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo, nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit,* Et v. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à*

Apocal. 3. 5. *Patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam.* Similia leguntur ſequenti cap. 3. v. 5. Qui vicerit, *hic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.* Et rurſus, verſ. 12. Qui vicerit, *faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Hieruſalem, &c.* verſu denique 21. Qui vicerit, *illi dabo ſedere mecum in Throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo, in Throno eius.*

VI. DE ALTARI.

Iam, quod Deus ad ſalutarem noſtram cognitionem, & firmum animarum ſolatium clementer vertat, *tertium* ſeu medium *atrium* ingredimur, vbi præter Sacerdotum & cantorum ædes atrij in medio (quod per centum cubitos (qui pedes faciunt centum ſeptuaginta quinque) totum quadratum eſt.) Altare holocauſti miranda magnitudine & [illegible] conſpicitur. Nam ſuprema Altaris tota ſuperficies, cum proiectura [illegible] in quadrato. Ezech. 43. 17. Altitudo Altaris ſeptem cubitorum, Ezech. 43. verſ. 13. 14. 15. hac obſervata proportione, vt latitudo [illegible], altitudinem in duplo præciſe ſuperet. Illa namq; quatuordecim [illegible] ſeptem cubitorum eſt, hoc eſt, ſi ad noſtras menſuras revocemus, Latitudo ſuperficiei Altaris eſt $24\frac{1}{2}$. Pedum in quadrato. Altitudo vero $12\frac{1}{4}$. Pedum.

Magnitudo Altaris cum ſtatura humana comparata. Hác magnitudine Altaris, ad humani corporis proportionem comparatâ, facilè apparet, nulli hominum vulgato illud ad ſacrificandum in illo extructum eſſe. Procerus namque inter viros, ſex vel ſeptem pedes longus eſt. Sed Altare in duodecim pedes cum quadrante elevatur: Si dicas, per gradus Altaris, in proiecturas, conſcenſum [illegible], ſciendum nihilominus [illegible] dia proiectura, ad ſupremam ſuperficiem, hoc eſt Harel [illegible] (Ezech. [illegible]) altitudinem quatuor cubitorum eſſe, [illegible] accedit ſuprema proiectura [illegible] do, dimidij cubiti, quæ iunctim faciunt pedes octo quam proxime. [illegible] magnitudinem, nemo noſtrûm æquaverit, vt vel ſupremo capitis vertice adſpiciat, nedum manibus parare & adminiſtrare poſſit. Sed poſito, *altitudinis*

quæ dio,

quæſtionem, nullas habere difficultates, conſideremus Altaris, latitudinem: Illa per quadratum eſt quatuordecim cubitorum, Ezechiel. 43. v. 17. hoc eſt, *viginti quatuor pedum, & ſemis.* Quando igitur in medio Altari, holocauſtum parandum, quis Sacerdotum brachia ſua, per duodecim pedum ſpatja, eſt porrecturus? Et hoc eſt, quod L V T H E R V S habet in Præfatione ſua ſuper Ezechielem: Der Altar ſol oben vierzehen Elen breit ſein / das ein Prieſter / wann er ſchon die Treppen hinauff ſteiget / dannocht muß er ein Arm haben / ſieben Elen lang / daß er mitten auff den Altar reichen / vnd die Opffer zurichten könne. Daß müſte ja auch ein eben Prieſterlin ſein / der fünffzehen oder ſechzehen guter groſſer Elen groß vnd lang were. Hæc ibi. Ex quibus omnibus conſtat, hoc Altare non ad vulgatos vſus ſacrificiorum, ſed ad ſpirituales meditationes & contemplationes extructum atque deſcriptum eſſe. Quale & illud eſt, cuius Iohannes in Apocalypſi ſuâ mentionem facit: *Datus eſt mihi calamus, ſimilis virgæ, & dictum: Surge metire Templum Dei,* & Altare, *& adorantes in eo.* Quid autem ſit illud *Altare*, Author Epiſtolæ ad Hebræos dilucidè nobis interpretatur: capit. 13. in hæc verba ſcribens: *Habemus* Altare, *de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato, in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & I E S V S, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Quibus verbis Author Epiſtolæ, elegantem Typum de hirco peccati interpretatus eſt, cuius Sacrificium in Levit. cap. 16. verſ. 27. deſcribitur: Quod, poſteaquam illius hirci ſanguis, pro expiatione peccatorum populi in ſanctum illatus eſſet, non licuerit Sacerdotibus, eiuſdem carnibus veſci, ſed extra caſtra igne illas comburendas fuiſſe. Ita loquente lege: *Iuvencum peccati, & hircum peccati, quorum ſanguis illatus fuit ad expiationem faciendam in ſancto, efferto extra caſtra, & comburunto igne pelles eorum, & carnem eorum, & fimum eorum.* Quemadmodum igitur, *inquit interpres,* hircus pro peccatis populi immolatus, extra caſtra igne combuſtus eſt: Ita quoque I E S V S, quoniam per ſanguinem ſuum & ipſo populum ſanctificavit, extra portas Hieroſolymarum, paſſus eſt. Hunc I E S V M pro peccatis populi crucifixum, vocat *Altare*, hoc eſt ſacrificium, & ſacrificium, de quo non liceat comedere Sacerdotibus, hoc eſt, vocat *ſacrificium pro peccatis populi*: Nam de hirco peccati, non quicquam comedere, licitum fuit. Chriſtus igitur eſt Altare illud holocauſti, hoc eſt, Sacrificium, pro totius mundi peccatis. Hoc *Altare* monſtrat nobis Propheta noſter, hoc *Altare* in medij Atrij medio locatum, toti templo conſpicuum atq; illuſtre eſt. Hoc quale & quantum Altare ſit, porrò nobis *exponendum & meditationibus* noſtris *ſpiritualibus*, explicandum. Attenti futuri ſint omnes, qui Chriſtum, peccatorum ſuorum, diligunt Expiatorem.

Lutherus de magnitudine Altaris.

Apoc. 11. 1.

CHRISTVS eſt Altare holocauſti.

Hebr. 13. 10.

Explicatio Typi de hirco peccati.

Levit. 16. 27.

Primùm ipſa *Forma* Altaris, cum partibus ſuis conſideranda occurrit. Omnium infima terræ incumbit, & pes ſive ſinus Altaris dicitur, Ezech. 43. v. 13. Huic inſerta eſt proiectura minor, Ezech. 43. 14. Inde ſurgit proiectura maior. Quæ altitudine ſua, inferiorem in duplo ſuperat. Hæc enim *duorum* cubitorum eſt: Illa verò ſuperior, cubitorum *quatuor*. Dicto verſu 14. & ſequente 15. Atque hæc pars vocatur: הַרְאֵל mons Domini, quæ vox hoc ſolo loco, hâc formâ legitur. Compoſita ex הַר quod *montem* ſignificat, & אֵל *Deus.* Suprema Altaris concava pars, vbi ligna & ignis ponuntur, & cõburuntur ſacrificia, אֲרִיאֵל appellatur, hoc eſt, *Leo fortis*, vel *Leo Domini*: Compoſitum ex אֲרִי Leo, & אֵל quod eſt Deus, vel fortis. A cuius quatuor angulis, *quatuor cornua* ſurgunt. Tandem proiecturas, circacircum corona ornat, per totum ambitum decurrens, in *Baſi* quidem ſpithamæ vnius, Ezech. 43. 13. In *ſuperiore* autem *proiectura* cubiti ſemis. Hæ ſunt partes, diſpoſitiones & ornamenta Altaris, ſicuti in textus enarratione, copioſiùs explicuimus. Hiſce cognitis iam ſpirituales meditationes ingredimur. Quo-

I. Forma Altaris.

Quoniam igitur conſtat hoc *Altare* eſſe CHRISTVM, vt in ſuperioribus probatum eſt, merito hoc Altare, & perſonam & officium Chriſti nobis depingere credimus.

1. Chriſtus verus Homo.

Ad perſonam igitur Chriſti quod attinet, eundem verum Deum & hominem eſſe novimus. Quum igitur hoc Altare ex terra ſurgit, id humanam Chriſti naturam, quæ de terra eſt, nobis depingit. *Verbum* enim *Caro factum eſt.* Iohan.1.14. Et *Deus eſt manifeſtatus in carne.* 1. Timoth.3.16. Et hæc eſt pars Altaris inferior, terræ propinqua. *Qui* enim *ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes; propter quam cauſam non confunditur nos fratres ſuos appellare.* Hebr. 2.11. *Quemadmodum* enim *pueri communicant carni & ſanguini: ſic & ipſe participavit eiſdem.* verſ.14. *per omnia fratribus aſſimilatus.* Ibid.v.17.

2. Chriſtus verus Deus.

Pars Altaris ſuperior Harel vocatur, hoc eſt, Mons Domini, ſeu Mons fortis. Et hoc quid aliud eſt, quàm mons excelſus, mons altiſſimus & vaſtiſſimus. Sicut & hæc ipſa Altaris pars duplo maioris eſt altitudinis, quàm proxima inferior. Quid aliud igitur hic Harel, quàm Chriſti *diuinitatem* depingat, alteram nimirum naturam, λόγον ſeu filium Dei? Hic enim eſt celſiſſimus Dei mons, mons fortiſſimus, mons altitudinis admirabilis. De hac celſitate Chriſti, Pſalm.97.v.9. teſtatur. *Tu es Iehova excelſus ſupra omnem terram, valde elatus es, ſupra omnes Deos*, hoc eſt, ſupra omne, quod dicitur Deus. Eâdem planè phraſi, *Daniel* Propheta, Chriſtum Servatorem noſtrum, *montem* appellat, & *montem maximum*, qui totum orbem repleat. Daniel.2.v.35. *Lapis, qui percuſſerat imaginem, effectus eſt* mons magnus, *adeò vt impleret* totam terram. Chriſtum autem verum Deum eſſe, plurimis apertiſſimis ſcripturis conſtat. Dictum ſeu Teſtimonium cardinale eſt illud Iohannis, *verbum* λόγος, *caro factum eſt, vt caro efficeretur Deus verbum.* Quam phraſin Divus Paulus, ex Iohannis Evangeliſtæ verbis, apertè concludit, 1. Corinth. 15.45. Quod enim Iohannes dicit: λόγος σὰρξ ἐγένετο: *Verbum caro factum*: hoc Paulus αὐτολεξεὶ pronunciat, ὁ ἔσχατος ἀδὰμ ἐγένετο εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, hoc eſt, *nouiſſimus Adam factus eſt in ſpiritum viuificantem*, per ſpiritum vivificantem, Deum λόγον intelligens.

λόγος eſt Caro.

Caro eſt λόγος.

Damaſcenus.

Sicut & Chriſtus: Iohan.6.63. *Spiritus eſt qui viuificat.* Quemadmodum igitur λόγος *eſt caro*, ſecundum Iohannem. Ita quoque *Caro eſt* λόγος, ſecundum Paulum. Quam vtramque Phraſin elegantiſſimis verbis *Damaſcenus* interpretatus eſt. De Orthod. Fide lib.3.cap.11. In hæc verba ſcribens: Αὐτὴ γὰρ ἡ ὑπόστασις τοῦ λόγου, ἐγένετο τῇ σαρκὶ ὑπόστασις, καὶ κατὰ τοῦτο, ὁ λόγος σὰρξ, ἐγένετο, ἀτρέπτως δηλαδή; καὶ ἡ σὰρξ λόγος ἀμεταβλήτως, καὶ ὁ θεὸς ἄνθρωπος. θεὸς γὰρ ὁ λόγος, καὶ ὁ ἄνθρωπος θεὸς, διὰ τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν ἕνωσιν. hoc eſt, *Ipſa perſona verbi, facta eſt carni perſona. Et ſecundum hoc, verbum Caro factum eſt, inconuertibiliter nimirùm: Et Caro verbum (ſcilicet facta eſt) incommutabiliter. Hinc Deus (ſcil. eſt) Homo, Deus ſiquidem eſt ipſum verbum. Et Homo (eſt) Deus, propter vnionem perſonalem.* Hæc occaſione verborum Iohannis, *verbum eſt Caro*, quibus divinitas Chriſti, (Harel) invictiſſimè comprobatur. Plurima alia ſunt ſcripturarum Teſtimonia de *diuinitate* Chriſti, vt 2. Samuel.7.19. *Hac eſt Lex hominis, Dei Iehovæ.* Quæ eadem verba 1. Paralip.17.17. ita reperiuntur: *Tu vidiſti me* (id eſt, ſemen meum) *ſecundum diſpoſitionem hominis, excelſi* (qui) *Iehoua Deus.* Quæ duo ſcripturarum loca, digna ſunt diligenti collatione. Sed plura recitare Teſtimonia de divinitate Chriſti, alius eſt loci.

CHRISTI Maieſtas.

Naturalis τοῦ λόγου.

Iohan.17.10.
Hebr.1.3.
Iohan.14.28.
Communicata Homini.

Quid autem *coronæ Altaris*, niſi gloriam & maieſtatem Chriſti ſervatoris depingunt: Illa licet vnica ſit, reſpectu tamen duarum in Chriſto naturarum geminatione conſideratur. Nam quà λόγος, *æqualis* eſt Patri, ſecundum naturam. Vnde dicit Iohan. 17.10. *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. Eſt* enim λόγος, *ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ patris.* Hebr. 1. Quà autem homo, *minor* eſt Patre. Vnde dicit: *vado ad Patrem, quia pater maior me eſt.* Licet enim aſſumens λόγος, homini ſeu naturæ humanę aſſumptæ, & perſonam & omnem

maieſta-

Digitized by Google

maieſtatem ſuam communicaverit, hæc tamen communicata maieſtas, non naturalis eſt homini aſſumpto, vt λόγῳ eſt, ſed donata per gratiam. De hac communicata gloria, loquitur Chriſtus Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à patre,* Et Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hæ ſunt coronæ Altaris, quarum ſuperior, Harelis, maior eſt: inferior autem minor. Hactenus pictura *perſonæ* Chriſti.

Matth. 11. 27.
Matth. 28. 18.

Si cum alio Typo Altare noſtrum Propheticum comparare placeat, liceat conferre cum *Scala Iacobi*, quæ *terræ* inſiſtens, *ſummitate* ſua cœlos pertingit. Chriſtus enim verus Deus & verus Homo, *cœloq́ʒ terræq́ʒ* cognatus eſt. Verus Deus ex Patre ante ſecula genitus, & verus Homo ex Maria virgine in tempore natus. Hinc poſtremus Adā, ipſe Dominus eſt de cœlo. 1. Cor. 15. 47.

Geneſ. 28. 12.
Typus Scalæ Iacobi.

Ad *Officium* Chriſti quod attinet, & vſus Altaris & ſitus eiuſdem, elegāter illud depingunt. Nam Altare hoc ad ſacrificādum paratum eſt. Hinc ſuperior pars Ariel appellatur, hoc eſt Leo fortis, ſeu Leo Domini, inde ducto nomine, quod quemadmodū Leo rapinas ſeu prædas ſuas dilacerat, dilaniat, & vorando abſumit: Sic altare hoc, holocauſta conſumit. Sunt autem ſacrificia huius Altaris, *ſacrificia pro peccatis* oblata. Dicit enim interpres ad Hebræos. *Altare habemus, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. Quorum enim animalium ſanguis infertur pro peccato, in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra, &c.* Eſt igitur Altare hoc, Altare illud ſummum, in quo ſacrificatum eſt, pro peccatis totius mundi. Chriſtus enim, qui hoc Altare eſt, eſt *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ipſe eſt propitiatio, pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Et iucundum eſt nomen *Ariel*, Leo fortis, vel Leo Dei. Quemadmodum enim Leo, de præda capta nihil reliquum facit, ita hic Ariel, hic Leo fortis, hic Leo Domini, nihil peccatorum, quod ſanguine ſuo non expiarit. *Nam ſanguis Ieſu Chriſti, filij Dei emundat nos ab omni peccato,* 1. Iohan. 1. 7. Quod ipſum Eſaias hiſce verbis pronunciavit: *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*, Eſa. 1. 18. Et apud Micheam. 7. v. 19. *Ipſe mundabit iniquitates veſtras, & proijciet in profundum maris, omnia peccata noſtra.* Quæ verba diligenter notanda veniunt. Quemadmodum enim Leo prædam adeptam ita comminuit, & comminutam ita abſumit, vt prædæ aliquid ibi fuiſſe, nullum veſtigium relinquatur. Ita Ariel, hoc eſt, Chriſtus expiator, ita abſumit, conſumit, & obliterat peccata noſtra, vt nihil eorum in conſpectum veniat Dei patris. *Quā fiduciam* plurimum adaugent proxima Prophetica verba, de abijciendis peccatis noſtris in profundum Maris. Quemadmodum enim Lychni fumigans ſcintilla, ſi in maris vaſtitatem proijciatur, nihil proportionis invenit, qua maris incendium metuere quiſquam poſſit, ſed quamprimùm, primam maris guttulam attingit, iam extincta eſt: Eandem *& multò minorem proportionem* habent, omnia peccata noſtra, *ad diluvium ſanguinis* Servatoris. *Vbi enim abundavit delictum: ſuperabundavit & gratia, vt ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam, in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum.* Rom. 5. 20. Huius enim Leonis ſanguis, *ſepia* illa eſt, delens & obliterans chirographum peccatorum noſtrorum, de quo D. Paulus: *Deus pater, convivificavit, nos cum Chriſto, donans nobis omnia delicta, delens, quod aduerſus nos erat chirographum decretis, quod erat contrarium nobis.* Hactenus de Ariele, qui vt Leo fortis & famelicus, omnia noſtra peccata deglutit.

CHRISTVS ſacrificium pro totius mundi peccatis.
Hebr. 13. 10.
Iohan. 1. 29.
1. Iohan. 2. 2.
Ariel.
Solatium de remiſſione peccatorum.
1. Iohan. 1. 7.
Eſa. 1. 18.
Mich. 7. 19.
Similitudo Leonis.
Maris & peccatorum noſtrorum collatio.
Rom. 5. 20.
Rom. 5. 20.
Coloſſ. 2. 13.

Obſervandum porrò eſt, *Arielem*, vnâ cum Altari per totum *quadratum* eſſe. Quemadmodum enim pes ſeu ſinus altaris, qui terræ incumbit, quadratus eſt, & ex pede quadrato, tàm maior, quàm minor, proiecturę quadratæ ſurgunt, ita quoque *Ariel* in ſummitate altaris in omnes, partes, quadratus eſt. Sic enim apertè textus habet Ezech. 43. 16. *Eſt autē ipſum Ariel duodecim* (cubitorū) longitu-

Ariel quadratus.
Ezech. 43. 16.

Digitized by Google

Euclid. lib. 1. elem. definit. 30. τετράγωνον μέν ἐστιν, ὃ ἰσόπλευρόν τέ ἐστι, καὶ ὀρθογώνιον. Quadratum, quidem eſt, quod & æquilaterum & æquiangulum eſt.

longitudine,*cum duodecim* latitudine *quadratum in quatuor quadraturis ſuis*,hoc eſt in quatuor partibus ſeu lateribus quadrati. Scimus enim cuiusq; quadrati latera, præcisè ſibi invicem æqualia eſſe, alioquin quadratum non eſſet. Hæc Arielis quadrati contemplatio, Chriſti Servatoris ἀπροσωποληψίαν, & meriti ipſius perfectam æqualitatem nobis depingit, qua in omnes totius orbis partes æqualiter ſpectat. Quemadmodum enim Ariel quadratus eſt, hoc eſt, æquales lineas, ſeu æqualia latera, quaqua verſus porrigit, ita ſacrificium Chriſti, & meritum eiuſdem, vniverſo orbi, & omnibus inhabitatoribus eius, æquabiliter, & ſine omni differentia, aut diminutione & paratum eſt, & prædicatione Evangelij vniverſali, vbique proponitur. Chriſtus enim non plus pro alijs, pro alijs minus paſſus eſt, ſed paſſus eſt, & ſacrificium ſuum meritorium obtulit, pro omnibus peccatis, omnium hominum totius mundi. *Quadratus enim eſt Ariel, in quatuor quadraturis ſuis*, & ſi vno in latere, parte quàm minutiſſima deficeret, quadratus amplius non eſſet, id quod in Mathematicorum ſcholis omnibus manifeſtiſſimum eſt & notiſſimum. Eſt enim quadratum, quod & æquilaterum & æquiangulum eſt. Eadem ratione, ſi Chriſtus, Ariel verus, pro vnico, vnius hominis peccatillo, in tota vniverſitate ſeculorum, non ſatisfeciſſet, iam non eſſet Salvator totius mundi, contra verba patris cœleſtis apud Eſaiam, cap. 49. *Parum eſt mihi, vt ſis mihi ſervus, ad ſuſcitandas tribus Iacob, & deſolationes Iſraël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.* Si pro vnico peccato vnici alicuius hominis, Chriſtus *Ariel* non ſatisfeciſſet, non quadrata, hoc eſt, non vera eſſent verba Baptiſtæ, qui Chriſtum dicit eſſe Agnum Dei tollentem peccatum mundi: ἴδε ὁ ἀμνὸς τῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμυ: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Quibus verbis Iohannes omnia totius mundi peccata, quaſi *in vnam Maſſam* colliquata, vnum peccatum appellat: αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Vnde conſequitur, Chriſtum Agnum Dei, aut omnia mundi peccata, aut nullum ſuſtuliſſe ſeu expiaſſe. Nam Baptiſtæ contuitu, omnia peccata mundi ſunt vnum peccatum ſeu vna peccatorum maſſa. Hanc igitur maſſam vel expiavit Chriſtus, vel ſi quid non expiatum eſt, tota maſſa non eſt expiata. Teſtatur autem Baptiſta: Et digito commonſtrans clamat: *Ecce agnus Dei, qui tollit PECCATA mundi.* Quod ipſum pronunciatum, commentando etiam explicatius proponit, in Canonica ſua cap. 2. 1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro* TOTIVS MVNDI.

CHRISTVS Ariel pro omnibus omnium hominũ peccatis TOTIVS mundi ſatisfecit.

Eſaia. 49. 6.

Iohan. 1. 29.

1. Iohan. 2. 1.

Hinc Chriſtus, pro OMNIBVS mortuus eſſe ſcribitur. 2. Cor. 5. 14. *Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro* omnibus *mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro* omnibus *mortuus eſt, vt qui vivunt, iam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* In quibus verbis notanter obſervandum eſt, Apoſtolum Chriſti paſſionem & meritum, eadem *latitudine*, cum generis humani *morte* extẽdere. Nam pro mortuis Chriſtus mortuus eſt. Sed oẽs ſunt mortui. Ergo pro omnib. Chriſtus eſt mortuus. Et quod amplius atq; ſolatij multò abundantius eſt, Apoſtolus ex vniverſalitate *mortis Chriſti*, vniverſalitatẽ *noſtræ mortis* concludit, Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Ergò omnes mortui ſunt. Multò certiùs igitur & firmius eſt Apoſtolo, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, quam nobis certum eſt, omnes homines in peccatis fuiſſe mortuos. *Indigna* namque eſſet ἀσυλλογισία. quam Apoſtolo affingere ſceleſtum habeatur: Ex incerto & dubio, certum & manifeſtum velle concludere. Quam certus autem in ſuo Argumento fuerit Apoſtolus: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Ergò omnes mortui ſunt*, in ipſo eodem illo cap. manifeſtiſſimis verbis interpretatur, ita ſcribens, v. 17. *Si quis ergò in Chriſto nova* (eſt) *creatura* vetera tranſierũt, ecce facta ſunt oĩa nova. H. e. antiquus ille, & mi-

Chriſtus, pro omnibus mortuus eſſe ſcribitur. I. Locus. 2. Cor. 5. 14.

NB. Chriſtus pro omnibus MORTALIBVS paſſus eſt

Certius eſt Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, quàm omnes homines mortuos eſſe.

& miſerandus omnium noſtrum ſtatus fuit, quando in peccatis omnes emortui & perditi fuimus: ſed per Chriſtum (*conſilij diuini & meriti reſpectu*) omnia renovata & recreata ſunt. Adeò vt veteri illo peccati ſtatu nihil deformatum aut perditum ſit, quod Chriſto renovatore, & reſtaûrâtore, non ſit reſtitutum. Idquod Eccleſia, ex hoc Paulino Textu elegantiſſimis Rhytmis celebrat, ita ſonantibus:

Wie vns nun hat ein frembde Schuld/
In Adam all verhönet/
Alſo hat vns ein frembde Huld/
In Chriſto all verſöhnet/
Vnd wie wir all/ durch Adams Fal/
Seind ewigs Tods geſtorben/
Alſo hat Gott: durch Chriſtus Tod/
Vernewrt/ das war verdorben.

Propter hanc, vltimi verſus vocem, hæc allegare placuit. Elegantem enim Commentarium exhibet propoſiti textus Paulini, qui omnia in Chriſto renovata eſſe publicè conteſtatur.

Sed ne quicquam dubij relinqueret Apoſtolus, in eiuſdem capitis proximè ſequentibus verbis, *tertia vice* repetit, quod *bis* iam poſuerat, dicens verſ. 19. *Deum, mundum ſibi reconciliaſſe, nec reputaſſe illis delicta ipſorum.* Quibus in verbis, *mundi* appellatione, omnia ea repetit, quæ in ſuperioribus, de *morte* omnium *& de renouatione* omnium poſuerat. Hoc vnicum igitur dictum, Articlis noſtri vniverſale meritum & luculenter ſatis, & firmiter ſatis probare poſſet, ſi maximè nullum aliud in ſacris extaret. In vnico namque hoc loco, triplex, & irrefutabile eius rei teſtimonium elucet.

Sed & *aliud teſtimonium*, non minus nobile extat 1. Timoth. 2. 1. & ſeqq. *Obſecro, primùm omnium obſecrationes, orationes, poſtulationes & gratiarum actiones fieri pro* omnibus hominibus, &c. *Hoc enim bonum & acceptum eſt coram Salvatore Deo noſtro, qui* O M N E S H O M I N E S *vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c. qui dedit pretium redemptionis ſemetipſum pro* O M N I B V S. Vbi rurſum vniverſalitatis momenta, diligentiſſimè notanda ſunt. *Primùm* enim Apoſtolus, obſecrationes fieri vult, pro O M N I B V S H O M I N I B V S. *Mox* cauſam annectit: Quia hoc ad deſiderium & εὐδοκίαν fiat Dei Servatoris noſtri, qui O M N E S H O M I N E S vult ſalvos fieri. Et tertiò ſubiungit cauſam meritoriam, & ipſam vniverſalem: *Vnus enim Deus, & vnus mediator, Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus*: qui dedit pretium redemptionis ſemetipſum, pro O M N I B V S. Sicut igitur ſuperius, ita & hoc teſtimonium triplex eſt, quod niſi oſcitantes, nunquam ſunt neglecturi.

II. Locus. 1. Tim. 2. 1.

Tertium locum ſubiungo, ad probandum vniverſale Chriſti meritum, pro totius mundi peccatis, non minus vberem. Is extat Rom. 5. Ibi in v. 10. primùm hæc verba leguntur. *Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filii eius: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Hoc eſt: Si cùm adhuc (*propter peccati ſtatum*) inimici, atque in morte poſiti eſſemus: Deus filium ſuum, pro redemptione & reconciliatione impetranda, in mortem dedit, quantò magis, reconciliationis opere (quod filij Dei mortem requirebat) iam perfecto, ipſoq; filio Dei ex morte in vitam revocato, adeóque redemptionis pretio perſoluto, promptus atque paratus eſt Deus Pater, vt fide acceptantes iam paratam reconciliationem, ſalutem æternam conſequa-

III. Locus.

mur. Quamob cauſam in verſ. 11. triumphat Apoſtolus: quòd eandem ipſam reconciliationem fide acceperimus. Ita ſcribens: ***Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc*** reconciliationem ***accepimus***, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν. Aliud igitur eſt, ipſa καταλλαγὴ ſeu reconciliatio. Hoc enim eſt vniverſale Chriſti beneficium, eiuſdem morte, vniverſis mortalibus partum. Deus enim M V N D V M ſibi reconciliavit per Chriſtum. 2. Corinth: 5. 19. Aliud eſt reconciliationis illius *acceptatio*. Quæ credentibus ſpecialis eſt, facta per fidem. Nam per Chriſtum ***accipimus*** reconciliationem. Quam eandem differentiam Paulus, citato ad Corinthios loco, hoc etiam dilucidiùs, expreſſit. ***Deus*** (inquiens) reconciliavit ***nos ſibi, per Ieſum Chriſtum, & dedit nobis*** miniſterium reconciliationis. Quanquam igitur, ***reconciliatio*** per Chriſtum facta, hoc eſt, meritum reconciliationis præſtitum atque perfectum eſt, vt eodem tamen perfruamur, neceſſe eſt, vt per ***fidem*** reconciliationem illam ***acceptemus***, nobisque in individuo applicemus. Quod ipſum ibidem ***repetit*** Apoſtolus: ***Deus in Chriſto*** mundum ***ſibi reconciliat, & poſuit in nobis*** verbum reconciliationis. 2. Cor. 5. 19. ***Et tertiò: Pro Chriſto ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto***: reconciliamini Deo. verſ. 20. Ex dictis igitur omnibus patet, Chriſti meritum quidem vniverſale eſſe, in ſalutem paratum ***omnibus hominibus***. Per ***fidem*** autem & ***obedientiam*** erga verbum reconciliationis, fidelibus & credentibus applicari.

Reconciliatio, hoc eſt, meritum Chriſti eſt vniverſale.

Reconciliationis acceptatio, ſola fidelium.

2. Corinth. 5. 18.

Adami lapſus non eſt latior Chriſti redemptione. Rom. 5. 15.

Sed ***redeamus*** in caput 5. ad Romanos. In cuius ſequentibus verbis, propoſitum noſtrum, multò & firmiùs & dilucidiùs evincitur & declaratur. Sic enim habet Apoſtolus Rom. 5. 15. ***Si vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti*** in plures ***abundavit***, vbi ***obſeruandum eſt***, Apoſtolum illos, in quos Chriſti Servatoris gratia abundavit, vocare illos multos, qui per peccatum mortui ſunt: εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ (&c.) εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν. Notanter enim Apoſtolus, voce τοὺς πολλοὺς, vocem præcedentem οἱ πολλοὶ reſpicit. Non plures enim per peccatum Adæ mortui ſunt, quàm in quot rurſus Chriſti Servatoris gratia (ad meritum redemptionis quod attinet) abundat. Et hi, quibus abundantia redemptionis parata eſt, ſunt ipſi illi multi, qui per peccatum Adami, morte perierant. ***Vtrobique*** igitur, hoc eſt, & in ***morte*** per peccatum, & in parta ***gratia***, per Ieſum Chriſtum, T O T A humani generis vniverſitas, ne vnico quidem homine, à puncto creationis, vſque ad extremum extremi reditus Salvatoris momentum excepto, quo omnes populos terræ iudicatum glorioſè eſt adventurus. Non ſolùm autem hoc: Totidem nimirùm omninò hominibus per Chriſtum gratiam illuxiſſe, quot Adamus protoplaſtus peccato ſuo perdiderat, ſed apertis verbis pronunciat Apoſtolus, in totidem eiſdem gratiam Dei ***ſupra peccatum*** abundaſſe. Ne quid enim ſuſpicionis relinqueretur, licet numerus ***perditorum & reparatorum*** idem eſſet, forſan tamen gratiam, peccatorum ***magnitudine*** aut ***numero*** exuperari: Gratiam igitur, non tantum non exuperari, ſed copioſè ***ſupra peccatum*** abundare, diſertè Apoſtolus proteſtatur.

CHRISTVS potentior ad ſervandum, quàm Adam ad perdendum.

Hinc, vt ***tertio Argumento*** propoſitum ſuum roboret Apoſtolus, copioſa & nervoſa oratione ***diſſimilitudinem*** inter primum & poſtremum Adamum demonſtrat. Chriſtum videlicet longè potentiorem eſſe ad ***ſeruandum***, quàm Adam fuerit ad ***perdendum***: & obedientiam Chriſti, multò efficaciorem eſſe ad conferendum ***vitam***, quàm Adæ tranſgreſſio fuerit ad introducendam ***mortem***. A verſ. 16. capitis 5. vſque ad verſum 20. Nam Adam protoplaſtus, per vnum peccatum damnavit mundum: Chriſtus autem, non tantùm ab vno illo (***originali ſcilicet***) peccato, eundem liberat, ſed multa peccata, hoc eſt, vniverſa

Digitized by Google

vniverſa omnium hominum delicta in vnam quaſi maſſam colliquata (vt Iohannes loquitur) merito atque iuſtitia ſua abolet. Cum *primis* autem verſus 18. & 19. diligenter notandi ſunt, in quibus vniverſalis parata gratia, cum vniverſali hominum interitu hiſce pulcerrimis & prætioſiſſimis atque nobiliſſimis verbis comparatur. *Sicut per vnius delictum* in omnes homines *in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam* in omnem homines *in iuſtificationem vitæ.* Et rurſus: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſumus multi, ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* Hoc eſt: Quemadmodum Adæ peccato, condemnationis reatus, attractus eſt omnibus hominibus, ita Chriſti Servatoris innocentiâ & merito reparatum eſt *omnibus hominibus* iuſtitiæ *meritum*, id quod Paulus hoc loco, iuſtificationem vitæ appellat, hoc eſt, ius & gratiam conſequendi iuſtificationem vitæ, per fidem. Cùm enim hæc ad omnes homines pertineat (dicente Apoſtolo: Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ) non aliter quàm de *merito* iuſtitiæ, quod omnibus partum eſt, poteſt intelligi. De ipſa *applicatione* verò, & *fidei iuſtitia*, qua ſoli credentes iuſtificantur, infrà ſuo loco clariùs tractabitur. Atque rurſum hîc *relatio* Paulina attendenda eſt, quâ multos *illos*, quibus per Chriſtum iuſtitia parta eſt, *illos* multos eſſe dicit, quibus per Adami delictum condemnatio incumbit. Dicit enim: ὥσπερ ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί : οὕτω καὶ δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.

Atque hæc eſt Paulina illa, eaque nobiliſſima explicatio Typi, quem priorem Adamum, reſpectu poſterioris, geſſiſſe ſcribit Apoſtolus, Roman. 5. 14.

Et quod ex textu monſtratum eſt, id Eccleſia quoque *Hymno*, cuius initium eſt: *Agnoſcat omne ſeculum, &c.* hiſce verbis celebrat: *Adam vetus quod polluit, Adam nouus hoc abluit. Tumens, quod ille deijcit, humillimus hic erigit.* *Hymnus Eccleſiæ.*

Et *Cyrill.* in Iohan. lib. 11. cap. 26. Non procul ab initio: *abſurdum eſſet certè, atque incongruum: Sicut vnius primi hominis peccato, vniuerſum genus condemnatum eſt: Non ſimiliter per iuſtitiam Chriſti, vniuerſa iuſtificaretur natura.* Hæc ille. Quæ omnia de *merito*, & parta gratia intelligenda ſunt, vt ex ſequentibus clariùs patebit.

Quartus locus, ex quo propoſitum noſtrum probatur, Hebr. 2. 9. extat. *Eum, qui modico, quàm Angeli minoratus eſt, videmus IESVM, per paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei*, pro omnibus *guſtaret mortem.* Et verſ. 14. 15. *Quia pueri communicant, carni & ſanguini*, & *ipſe conſimiliter participavit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum, & liberaret eos, QVICVNQVE* ὅσοι *timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.* Omnes autem timore mortis ſervi ſumus, ne vno excepto. *Per peccatum enim, mors* ad omnes *pertranſiit.* Pro omnibus igitur Chriſtus mortuus eſt. Adeoque videmus, gratiam, miſericordiam & conſilium patris fuiſſe, vt Chriſtus pro OMNIBVS guſtaret mortem. Quod & factum eſſe, ex ſuperioribus conſtat. *IV. Locus.*

Hactenus certis & firmis ſcripturis probatum eſt, *Arielem* noſtrum *quadratum* eſſe, hoc eſt, ſacrificium Servatoris noſtri, *pro omnibus omnium hominum* peccatis expiandis oblatum eſſe. *Eſt* enim *ſalus Domini vſque ad extremum terræ.* Eſa. 49. 6. *Eſt Agnus Dei tollens peccatum mundi*, τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Iohan. 1. 29. *Eſt propitiatio pro noſtris peccatis, non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam* pro totius Mundi. 1. Iohan. 2. 2, Tum aliquot loca producta ſunt, in quibus apertè ſcribitur, *Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe.* Vtpote:

Rom. 5. 18. *Sicut per vnius delictum* in omnes homines, *in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam*, in omnes homines *in iuſtificationem vitæ.*

2. Corinth. 5. 14. *Vnus pro* omnibus *mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt.*

1.Timoth.2.6. *Chriſtus Ieſus, dedit ſemetipſum pretium redemptionis* ἀντίλυτρον, pro omnibus.

Hebr.2.9. *Ieſus gratia Dei*, pro omnibus *guſtavit mortem*.

CHRISTVS etiam pro pereuntibus mortuus eſt.

Quæ omnia teſtimonia in ſedibus ſuis ita cōparata ſunt, vt ſingula ſingularia quædam robora & invicta argumentorum firmamenta complectantur, ſicuti in diductione ſingulorum mōſtratum eſt. Adeò, vt certius, firmius, aut validius, vel excogitari poſſe non quicquam videatur. Providens tamen ſcriptura, vt hæc omnia, adhuc etiam magis clara & manifeſta redderet, in ſpecie illud etiam expreſſit, Chriſtum pro *pereuntibus* quoque, adeoque pro *Caino* non minùs, quàm pro *Abele*, pro *Iuda* non minùs, quàm pro *Petro & Paulo*, pro divite *Epulone* in inferno, non minùs, quàm pro *Lazaro*, in ſinu Abrahæ, adeoque pro omnibus impijs & damnatis; non minus, quam pro pijs omnibus & æternum beatis mortuum eſſe.

Vnde cuivis, niſi apertè furioſo, manifeſtò & irrefragabiliter conſtare poteſt, Chriſtum pro *omnibus omninò hominibus* mortuum eſſe, quum tàm pro damnatis, quàm beatis mortuus ſit, quæ diſtinctio, vniverſum hominum genus indubitatò exhaurit. Teſtimonia autem, ex quibus propoſitum hoc conſtat, hæc ſunt.

Rom.14.15. *Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

1. Corinth.8. verſ.10.11. *Si quis viderit te, qui habes ſcientiam, in idolio recumbentem, nónne conſcientia eius, cùm ſit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et* peribit *infirmus frater, in ſcientia tua*, propter quem *Chriſtus mortuus eſt.*

Hebr.10. verſ.28.29. *Irritam quis faciens legem Moſis, ſine vlla miſeratione, ſub duobus vel tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit*, in quo ſanctificatus eſt.

Hebr.6.6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & guſtaverunt bonum Dei verbum, virtutesq́ ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Quibus in verbis duo notanda ſunt. Alterum (*quod ad noſtrum propoſitum pertinet*) illos prolapſos, & in impietate ſua æternùm pereuntes homines, ſibimetipſis filium Dei R V R S V M crucifigere, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Cùm igitur dicantur, filium Dei, *rurſum* ſibimetſis crucifigere, manifeſtum eſt, iam antea *ſemel* ipſis, *per Iudæos* crucifixum, adeoque in ſalutem ipſorum, Chriſtum mortuum & paſſum eſſe. Non poſſent enim R V R S V S ſibi crucifigere, niſi iam *prius* illis crucifixus fuiſſet. Hoc *vnum* eſt, quod in præſenti fuit demonſtrandum.

Explicatio loci Hebr.6.6. Cur & quomodo impoſſibile ſit: aliquos ad pœnitentiam renovari?

Alterum ad explicationem loci ſpectat, qui non nihil obſcuritatis habere videtur. Quid enim illud, quod Impoſſibile eſſe dicitur, prolapſos ad pœnitentiam *renovari* poſſe? Anne aliquid *Decreti abſoluti*, hic ſubeſt, aut fati ne aliquid Calviniſtici hìc alitur, quo *impediti* illi prolapſi, nullà vi ad pœnitentiam renovari poſſent: *Apage ſis*, qui hanc blaſphemam opinionem, nobiliſſimæ huius Epiſtolæ Authori vnquam affingas.

Cauſa impoſſibilitatis.

Quin potiùs *cauſas* adverte, quas ipſe ille maximè emphaticis verbis, huius *impoſſibilitatis* ſonoras expreſſit. Illos enim dicit, ad pœnitentiam renovari, *impoſſibile* eſſe, qui ſibimetipſis Chriſtum filium Dei *rurſus crucifigunt*, ἀνασταυροῦντες.

1. Quia Chriſtum oderunt.

Hoc nihil aliud eſt, quàm eodem repetito, & ex orco revocato odio in Chriſtum filium Dei flagrare, quo deflagrarunt olim *Iudæi*, & ex eodem, ſi facultas & occaſio detur, non quicquam velle reliquum facere, niſi de novo crucifigatur Chriſtus. Et valde notanter dictum eſt, eiuſmodi homines *ſibimetipſis* rurſus crucifigere filium Dei, hoc eſt, proprio ſcelere peccare, & ex proprijs viſceribus atque intimis animi penetralibus; immaniſſimi illius odij & invidiæ flammis,

Digitized by Google

mis, deponere. Hæc vna cauſa eſt, propter quam eiuſmodi hoſtes, non renovantur ad pœnitentiam. Nam *pænitentiam* agere, & Chriſtum *odiſſe*, ſunt incompatibilia.

2. *Quia Chriſtum oſtentui habent.*

Sed & *alteram* æquè gravem cauſam ſubiungit author. Impoſſibile eſt, inquit, ad pœnitentiam renovari τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ παραδειγματίζοντας: hoc eſt, Filium Dei *oſtentui* habentes. Significat autem παραδειγματίζειν, vel *puniendo* vel *infamando*, ignominioſum in aliquem exemplum edere. Significat etiam palàm aliquem *traducere*, ignominiæ exponere, & infamem reddere. Nam apud Matheū 1.19. ità legitur: *Ioſeph autem vir Mariæ* (cùm inventa eſſet in vtero habens) *iuſtus exiſtens, non volens eam* παραδειγματίσαι (hoc eſt, Exemplum infamiæ facere, & ignominiæ exponere) *voluit occultè eam dimittere.* Et apud Plutarchum libro περὶ πολυπραγμ. Vbi dicit Archilochum Poëtam, *obſcænis verbis* ſeipſum παραδειγματίζειν, hoc eſt, infamem & ignominioſum reddere. *Ex quibus* iam de ſententia Epiſtolæ ad Hebræos, clarè & dilucidè conſtare poteſt, nimirùm de *illis* prolapſis eam loqui, *qui Filium Dei* παραδειγματίζουσιν, hoc eſt, qui Filium Dei, cuius bonitatem & ſuavitatem *per fidem* guſtaverant, cuius Spiritus facti fuerant *participes*, qui cœleſtis hæreditatis vim, virtutem & nobilitatem *præſenſerant*: Iam verò eundem Filium Dei, omnium iſtorum bonorum Authorem, largitorem & perfectorem, non tantùm Vatiniano & voluntario *odio* perſequuntur, eundem ipſum, ſi facultas daretur & occaſio, cum excæcatis & odio deperditis Iudæis, denuo crucifixuri: *Sed* cùm hoc venenatum animi vitus, *factis* explere nequeant, *verbis* tamen & cumulatis iniurijs animi morbum continenter deſpumant. In Chriſtum namque Filium Dei, omnis generis iniurias & contumelias congerere, quibus illum publicè traducant, & in odium, invidiam atque ignominiam apud omnes ſingulari exemplo adducant, ſcientes & volentes nunquam deſiſtunt. Hoc eſt, παραδειγματίζειν, ſive *oſtentui habere* Filium Dei.

Quid ſit παραδειγματίζειν.

Sine amore Chriſti impoſſibile eſt renovari ad pœnitentiam.

Hiſce ita ponderatis, quæ Author Epiſtolæ ad Hebr. expreſſis quidem, iiſdem tamen pauciſſimis & breviſſimis verbis, in iſtis defectoribus, notavit: quis mirabitur ampliùs, eiuſmodi virulentos, malitioſos, abiuratos & infenſos hoſtes Filij Dei, non renovari ad pœnitentiam. Sicut enim *ſine fide, impoſſibile eſt placere Deo*: Ita ſine amore Chriſti *impoſſibile eſt* ad pœnitentiam renovari? Cùm igitur Epiſtola de eiuſmodi defectoribus loquatur, qui virulentiſſimi & infenſiſſimi Chriſti Servatoris hoſtes ſunt: Quemq; publicis ignominijs traducunt & calumniantur, quomodo poſſibile ſit eoſdem eundem Chriſtum amare. Et cùm amor Chriſti à pœnitentia ſeparari nunquam poſſit; quomodo poſſibile ſit, eiuſmodi Chriſti hoſtes pœnitentiam agere, & ad eum, animis ſuis reclinare, quem totis animis deteſtantur & abominantur. *Verum* igitur atque immotum manet: Malitioſos, ſcientes & volentes defectores, qui contra conſcientiam ſuam Chriſtum Salvatorem ſuum virulentiſſimè oderunt, & acerbiſſimis convitijs indeſinenter conſectantur, non agere poſſe pœnitentiam. *Quando* autem ſepoſitis odijs, convitijs item atque criminationibus in laudes commutatis, Chriſtum rurſus amare incipiunt: ſuaq; ſcelera deteſtātur: *tunc* via ad pœnitentiam diutius illis non eſt prærecluſa. Hæc de loco ad Hebræos cap. 6: ex quo duæ illæ quæſtiones dilucidantur: altera, Chriſtum etiam pro pereuntibus illis defectoribus mortuum eſſe: altera quùr, & quamdiu impoſſibile ſit eiuſmodi ſceleratos hoſtes & calumniatores Servatoris, ad pœnitentiam renovari.

Vtrumq; igitur confectum hactenus & immotis ſcripturis comprobatum eſt: Et Chriſtum pro omnibus omnium hominum peccatis: Et ne quicquam exceptionis latere poſſit, etiam pro peccatis pereuntium, mortuum & crucifixum eſſe. Id quod ad evincendam Arielis noſtri quadraturam, quam SS. hoc loco ſpectandam nobis propoſuit, fuit demonſtrandum.

ALTARE in medio Atrio locatum vndiq; conſpicuum.

Eodem pertinet totius Altaris *Situs*. Ita namque illud in medio Atrio locatum videmus, vt per rectas lineas, omnibus hominibus, per omnes omnium Atriorum portas ſpectantibus, vbique conſpicuum ſit. Per quamcunque enim Templi portam, introſpicias, oculis tuis, in medio Atrio, hoc Altare vbique occurrit, adeò ordine & diligenter omnia ad vſum, & commoditatem diſpoſita atque comparata ſunt. *Chriſtus* nimirum Salvator mundi, ſuam perfectiſſimo ſuo merito & paſſione, mundo *partam redemptionem*, vel ignorantiæ tenebris, vel involucris invidiæ nequaquam vult occultari, ſed omnibus palàm, manifeſtò ac publicè proponi. Ideò namque diſcipulos ſuos in totum terrarum orbem ablegavit, vt Evangelium de hoc *ſacrificio expiatorio*, pro peccatis totius mundi oblato, vbique terrarum & gentium publicè annunciarent. De hoc Ariele & Arielis ſacrificio, Petrus in prima ſtatim concione Feſti Pentecoſtes agit. *Hunc Ieſum Nazarenum definito conſilio & præſcientiâ traditum, reſuſcitavit Deus, cuius nos omnes teſtes ſumus.* Ad idem officij, ipſe Ariel, Paulum Apoſtolum vocavit: *Ad hoc* inquiens *apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum & teſtem eorum, quæ vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te, de populo & gentibus, ad quas nunc ego mitto te.* Quàm obſequentes autem & diligentes, Apoſtoli omnes & ſinguli, in annunciando & prædicando huius Arielis ſacrificio in toto mundo fuerint, ex Apoſtoli verbis clarum eſt, vbi dicit: *Prædicatum eſt Euangelium in vniverſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter. Equidem in* omnem terram *exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hic eſt ſitus Altaris, rectis lineis, per omnes portas aſpectabilis. *Quibus* omnibus & illud adde: Locum Altaris, ſi *totius ædificij* Prophetici ſtructuram contueamur, *præciſè* eſſe in eiuſdem medio: Adeoque totius quadrati, omnia Atria, omneſque alias ſtructuras comprehendentis medium locum, ipſumq; medium punctum in medio occupat, noſtrum Altare. Quod quid aliud eſt, quàm Chriſtum Altare & Arielem noſtrum, in medio mundi, medioque peccatorum omnium communem Salvatorem eſſe, & iam in Novo Teſtamento, omnibus omninò hominibus, per fidem in ipſum, eundem ad ipſum & prorſus æqualem patere acceſſum? Hactenus de Arielis noſtri quadratura. Hoc eſt, de Chriſto Salvatore, eiuſq; perfectiſſimo merito & redemptione totius humani generis: Ille enim eſt LEO de tribu Iuda, qui noſtro bono, mortem, Diabolum & Infernum vicit. Ille eſt Ariel, hoc eſt, Leo Domini, & Leo fortis, qui ſacrificio ſuo, omnes noſtras iniquitates abſumpſit.

CHRISTVS meritum ſuum omnibus vult proponi. — *Matth. 28.* — *Act. 2. v. 22. 23. 32.* — *Act. 26. 16.* — *Coloſſ. 1. 23.* — *Rom. 10. 18.* — *Altare in Templi medio locatum.* — *CHRISTVS in medio, omnes homines vult ſalvari.* — *Apoc. 5. 5.*

CORNVA Altaris.

Vnicum ſupereſt, quod in meditationibus noſtris de Ariele nequaquam eſt negligendum. Monſtrat enim nobis Propheta etiam *Cornua* Altaris. Ab ipſo inquiens, Ariele ſurſum verſus, ſunt cornua quatuor. Quid hæc cornua Arielis? Cornua alibi *fortitudinem* & *robur* denotant, ſed Leo, per ſe robuſtiſſimum animal, cornibus, quaſi armis nihil indiget. Hoc igitur loco, cornua, quaſi *manubria* ſunt, quibus nos Arielem prehendimus. Quemadmodum de *Adonia* legimus, cùm metueret iram fratris Salomonis, quòd fugerit ad Templum, & prehenderit cornua Altaris, 1. Reg. 1. 50. Similiter de *Ioabo*, 1. Reg. 2. 28. De *Sacrificiis* autem *expiatoriis*, quæ nimirùm pro peccatis offerenda fuerunt, prolixè & multis vicibus repetitis legimus, quod ſanguis ipſorum, ſuper *Cornua* Altaris imponendus fuerit. Videatur Exod. cap. 29. verſ. 12. & 30. 10. Levit. 4. v. 7. 18. 25. 30. 34. & 8. 15. & 9. 9. Quæ Ceremonia hoc voluit, eum, pro cuius peccatis expiatorium offerebatur, *fide apprehendere* debuiſſe, futurum verum expiatorium, pro peccatis totius mundi: Sicut Altaris cornua manu apprehenduntur. Cornua igitur Arielis noſtri, *Fidei applicationem* nobis demonſtrant. Quemadmodum enim expiatorium ſacrificium pro peccatis, ſine illitu ſanguinis ſuper Altaris cornua, ritè peractum nullum fuerit, ita Arielis noſtri ſacrificium ſine cornuum apprehenſione, hoc eſt, ſine fidei applicatione, nemini mortalium profuerit. *Hoc illud palmarium*, & noſtri reſpectu caput Princeps,

1. Reg. 1. 50. — *1. Reg. 2. 28.* — *Beneficia Chriſti vera fide ſunt apprehendenda.*

Digitized by Google

ceps,& vnum neceſſarium eſt,quod ſcriptura ſacra vbique *ingeminat,repetit,inculcat*:Eum videlicet,qui miſericordiâ Dei Patris, & merito ſeu ſacrificio Filij, omnibusque beneficijs per Spiritus ſancti miniſterium,in verbo revelatis,frui velit, *credere*, hoc eſt, cornua Arielis fidei manu apprehendere oportere. Sic enim ſcriptum eſt: *Iuſtus* fide *ſua vivit*.Abacuc.2.4. Rom.1.17. Galat.3.verſ.11. Hebr.10.38.*Iuſtificati* Fide *pacem habemus apud Deum,per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,per quem & habemus acceſſum, per* FIDEM, *in gratiam iſtam, in qua ſtamus,& gloriamur in ſpe gloriæ Dei.* Hinc iuſtitia, quam Ariel noſter per ſacrificiũ ſuum nobis impetravit,*Iuſtitia Fidei* appellatur ab Apoſtolo, Roman.4.13.quaſi dicas *iuſtitiam cornuum*, quæ videlicet, non niſi *per fidem* apprehenſâ proſit. *Deus enim propoſuit Ieſum Chriſtum propitiatorium, per* FIDEM *in ſanguine ipſius*, Rom.3.25. *Vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex* FIDE Ieſu,ibid.verſ.26. Et *iuſtus*(inquit Author Epiſtolæ ad Hebr.) ex fide vivet: *Qui autem ſubtraxerit ſe*(ſcil.fidei,hoc eſt,qui non credit) *non placebit animæ meæ*,Hebr.10.38.Nam *ſine fide,impoſſibile eſt placere Deo.* Credere *enim* oportet,*accedentem ad Deum,quia eſt, & inquirentibus eum,renumerator exiſtat*.Heb.11.6.

Salvandum CREDERE *oportet.*

Abac.2.4. Rom.1.17. Galat.3.11. Hebr.10.38.

Rom.4.13. Rom.3.25. Rom.3.26. Hebr.10.38. Hebr.11.6.

Solus Chriſtus pro peccatis noſtris ſacrificare potuit.

Ex quibus omnibus iam, pijs omnibus conſtare poteſt, quid ſibi velit,auguſta illa,& miranda Altaris noſtri *magnitudo*, quæ omnem humanæ menſuræ quantitatem exuperans,neminem hominem vulgatum Sacerdotem ſacrificantem admittit: qua de re in ſuperioribus,copioſiùs dictum eſt. Stupenda nimirum hæc,& ad noſtra offerendum ſacrificia,inacceſſa Altaris magnitudo evincit,*neminem hominem*,præter ſolum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui omnibus conſortibus ſuis longè præcellit,in hoc Altari,ſacrificare potuiſſe: qui ipſe & Sacerdos eſt & Altare, vt ex præcedentibus planum eſt. Quod enim *impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati,& de peccato damnavit peccatum in carne*,Rom.8.3. Hoc eſt,quod impoſſibile erat legi, Deus per Filium præſtitit, cùm enim nemo homo,legis perfectioni ſatisfacere poſſet,Deus Filium ſuum miſit,qui cùm abſolutiſſimum,pro peccatis mundi ſacrificium expiatorium factus ſit, illius ſacrificij merito,omnia mundi peccata delet. Hoc illud eſt, quod Apoſtolus dicit: Deum *de peccato, damnaſſe peccatum*. Quæ phraſis cum propter *Hebraiſmum* nonnihil obſcura ſit, operæ pretium eſt,vt monſtrato Hebraicæ linguæ Idiotiſmo, obſcuritas diſcutiatur. Hebræa igitur vox חַטָּאת, quæ *propriè* peccatum, tranſgreſſionem & delictum ſignificat,*eleganter* pro ſacrificio accipitur, quod pro expiando peccato offerebatur. Videamus aliqua loca,vt Pauli phraſis,quæ primo intuitu obſcura apparet, tantò fiat illuſtrior.

Rom.8.3.

Explicatio Hebraiſmi, quid ſit: peccatum de peccato damnare.

Peccatum pro ſacrificio pro peccato.

Exod.29.14. Poſtea quàm Moſes omnem ritum conſecrandi ſacerdotes, maximè verò quòd caro iuvenci illius,& pellis & fimus extra caſtra comburenda eſſent,diligenter deſcripſiſſet,ſubiungit tandem: *peccatum eſt*,hoc eſt, *oblatio ſeu ſacrificium eſt pro peccato.*

Exod.30.10. *Aaron de ſanguine* peccati (hoc eſt, de ſanguine ſacrificij pro peccato) *quotannis expiabit altare Thymiamatis.*

Levit.6.25. *In loco, quo mactatur holocauſtum,mactabitur* peccatum,hoc eſt, ſacrificium pro peccato.

Levit.4.29. *Qui ignoranter peccaverit, nititor manu ſua ſuper* caput peccati (hoc eſt,ſuper caput ſacrificij pro peccato) *& mactabit* peccatum *in loco holocauſti*:Quæ eadem verba,in eodem capite,verſu 33.repetuntur.

Plura loca adduci poſſent,ſed hæc ſufficiant,ex quibus apertè patet, Hebræâ elegantiâ, frequenter *peccatum* ſumi, loco *ſacrificij pro peccato.* Apoſtolus igitur Rom.8.3. phraſi Hebræâ loquens, dicit Deum *de peccato, damnaſſe peccatum*,hoc eſt,Deum Patrem *ſacrificio* Chriſti,quod pro peccatis mundi oblatum eſt,mundi *peccata expiaſſe* & extirpaſſe. Id quod legi, & omnibus legis cultoribus, *impoſſibile* fuerat. Alius igitur Sacerdos, qui in hoc Altari expiaret,

Digitized by Google

requirebatur: quod vt monſtraret nobis Propheta, tantæ magnitudinis Aram propoſuit, in qua nemo mortalium, *præter Chriſtum*, ſacrificare poſſet. *Pſalm. 49. 8.* Nam *fratrem non redimet quiſquam, nec dabit Deo redempturam ſeu propitiationem eius. Chara enim eſt redemptio vitæ eorum:* Imò *ceſſabit in ſeculum*, hoc eſt, ab homine nunquam poteſt perſolvi ἀντίλυτρον pro peccatis cuiuſque mortalis. *Vnus enim Deus, vnus & Mediator, Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit pretium redemptionis ſemetipſum pro omnibus*, 1. Timoth. 2. 5. *1. Timoth. 2. 5.* *Et non eſt in aliquo alio ſalus, nec aliud nomen eſt datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 4. 12. *Actor. 4. 12.* Quam ob cauſam, apud Eſaiam gloriatur: *Torcular calcavi ſolus, & de populis non eſt vir mecum:* Eſai. 63. 3. *Eſai. 63. 3.* Hic vnus eſt *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, nec vllus alius, vllibi poterit vnquam reperiri. *Hic vnus & ſolus eſt Agnus, qui ſolus dignus eſt aperire librum & ſignacula eius, quoniam occiſus eſt, & redemit nos in ſanguine ſuo, ex omni tribu & lingua, & populo & natione.* Apocal. 5. 9. *Quem librum nemo aperire poterat, neq; in cælo, neq; in terra, neq; ſubtus terram*, Ibidem v. 3.

Gradus Altaris.

Poſtremò: Eodem planè pertinet, quod in Altari *Gradus* paratos videmus, eosque ab Oriente. Sic enim textus habet, Ezech. 43. 17. *Gradus Altaris erant verſus orientem.* Sicut enim nemo, niſi per graduum conſcenſum ad Arielem pertigerit, ita nemo, niſi alieno auxilio, ad bonorum iſtorum perfruitionem perveneri vnquam. Iſti autem Gradus ſunt, ad fidem comparandam divinitus ordinata media, quorum primarium eſt, miniſterium verbi. *Nam fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum* Dei, Rom. 10. 17. Hinc *Evangelium appellatur verbum Fidei*. Ibid. verſ. 8. Sunt autem gradus ab oriente. *Dei* namque *donum eſt fides*, Philip. 1. 29. Epheſ. 1. 19. & 2. 8. 2. Theſſ. 1. 11.

OPPVGNATORES Altaris.

Hactenus de Altari & Ariele, hoc eſt, de Chriſto Domino Salvatore & Redemptore noſtro, qui vnus & ſolus totius mundi peccata expiavit, & per quem vnum & ſolum, vitam & ſalutem conſequimur æternam.

Iam breviter contemplemur, quomodo hoc ſacroſanctum Altare, in quo ſalus & vita toti mundo parata eſt, tàm à *Pontificijs*, quàm *Calvinianis* Doctoribus, hoſtili admodum atq; inimicâ vi, ſummis viribus oppugnetur, nunquam tamen Dei gratia expugnatur.

I. PONTIFICII ALTARE noſtrum fruſtra oppugnant.

Ad *Pontificios* quod attinet, ridicula ſunt quæcunque illorum ſtudia, quibus perfectiſſimo meritò Chriſti quicquam aſſuere, aut quibuſcunq; ſuis traditionibus cuiuſcunque meriti *remiſſionis peccatorum*, opinionem aut ſomnium affingere ſtultè conantur. Ecce enim tibi Altaris noſtri admirandam & ſtupendam *magnitudinem*, cuius gratia in hoc Altari ſacrificare, præter vnum omnipotentem Filium Dei, Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum, nemo poteſt, vt in præcedentibus clarè monſtravimus. *Quotquot* igitur Monachos & moniales, quotquot Anachoretas, nudipedes, flagellarios, aut quoſcunque operarios iuſtitiarios ad ſacrificandum in hoc Altari, hoc eſt, ad promerendum remiſſionem & gratiam Dei, adducunt: ſtaturâ ſuâ, quàm vt in hoc Altari expiatorio, ſacrificium offerre poſſint, quàm longiſſimè deficiunt. Adeoque omnes Iuſtitiarij ſecundum Altare hoc conſiſtentes (quocunque operum faſtu eleventur, aut caput etiam inter nubila condant) nihil aliud ſunt, quàm turpiſſimi *pomiliones, papiliones, foranicæ* & *Cyniphes*, aut quicquid inſectorum deſpectius, ignobilius & turpius eſſe poteſt, quod circum Altare hoc circumreptet. Eum namque, qui hîc ſacrificare, & peccata mundi expiare velit, non ſeptem tantum aut quatuordecim etiam cubitos longum, ſed ipſis etiam *cœlis excelſiorem*, hoc eſt, verum & omnipotentem Deum eſſe oportet, vt eiuſmodi infenſiſſimos & potentiſſimos hoſtes ſuperare & vincere poſſit. Quid inſanit igitur, deſpectiſſimus pulvis & cinis, qui ad conſpectum horum hoſtium, iræ Dei videlicet, mortis, Inferni & Diabolum oppidò interijt.

Arielem etiam contemplati ſumus, qui vt fortiſſimus Leo, omnia mundi peccata, omnes Dei hominumque hoſtes, hiante rictu, ictu vno, ad vnum

omnes

omnes deglutit. Quid hîc autem omnes iuſtitiarij, cũ omni ſua omnium meritorum ſuorum ſcrutaria ſuppellectile? Singulis hoſtibus, iræ Dei, maledictioni legis, morti, Inferno, Diabolo, quos ſingulos, eoſq; truculentiſſimos Leones dicas, vix *bolus* vnus. Miſerandum igitur & æternùm ſtultos iuſtitiarios, qui tanta inſanâ temeritate, tàm crudeliſſimis hoſtibus, ſeſe miſeras bucellas obijciunt. Vnus eſt Ariel noſter, *Leo de tribu Iuda*, radix Ieſſe, qui mortem, Diabolum, & Infernum vicit, Apocal. 5. 5. Qui hoc Ariele neglecto, proprijs viribus, hoſtes Leones aggrediuntur, ſuo merito & temeritate, meritò pereunt. Quiſquis enim, vt Syracides habet, periculum amat, in illo peribit. Sic *Pontificij* oppugnant Altare noſtrum. *Syrach. 3. 27.*

Calviniani Doctores etiam maiore niſu idem Altare impetunt. Licet enim Iuſtitiarij Romanenſes, ἐθελοθρησκείας, & quaſcunque humanas traditiones ſuas, in meriti dignitatem attollant: nihilominus tamen *meriti* Chriſti perfectionem violare aut imminuere velle, neutiquam videri volunt. Adeoque de Altaris huius ſanctitate & perfectione, multa ſcriptitant: licèt alijs deinde dogmatis ſibimetipſis contradicant. Sed *Calviniani* Doctores, ſacroſanctum & vnicè ſalutare Altare noſtrum, multis modis *aggrediuntur, quatiunt*, & quantum in ipſis, *totum* diruunt & demoliuntur. *Videamus turbas.* *2. CALVINIANI Propheticum Altare fortiùs impetunt.*

Contemplati ſumus quadraturã Arielis, hanc Calviniani Doctores, miris modis corrumpunt. *Eſt* enim *quadratum & æquilaterum & æquiangulum.* Ita Chriſti Salvatoris noſtri meritum, & *perfectum* & *univerſale* eſt, vt in præcedentibus liquidò & irrefutabiliter eſt monſtratum. Calviniani verò, hanc quadratam Arielis figuram, non tantùm in Rhombum aut Rhomboides corrumpunt (*quorum ille æquilaterus quidem eſt, ſed non rectangulus: hoc verò neque æquilaterum* (niſi in partibus appoſitis) *neque rectangulum*, ſed irregularia quædam τραπέζια, hoc eſt, menſulas, nulla parte aut ratione ſibi ſimiles proponunt, in quibus meritum & beneficia Chriſti miſerandis modis dilacerant atque dilaniant. Docent equidem, Chriſtum *non* pro *omnibus* omnium hominum peccatis, ſed tantum pro peccatis Electorum mortuum eſſe. Sic enim *Theodorus Beza*, & omnes ipſius complices, in Colloquio Mompelgartenſi ad Theſin 7. Würtembergenſium, de Prædeſtinatione, pag. 514. *Certè nobis*, intolerabilis *vox veſtra viſa eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro damnatis.* *Beza.*

Hieronym. Zanchius in Miſcell. An remiſſio peccatorum poſſit fieri irrita, Theſ. 4. *Sanguis Chriſti* (inquit) *per quem ſolùm impetratur remiſſio, non eſt* SECVNDVM PROPOSITVM DEI & REIPSA, *pro reprobis incredulis effuſus: ſed tantùm pro quibuſdam multis, hoc eſt* Electis, *& quidem pro omnibus iſtis multis.* *Zanchius.*

Iohannes Piſcator autem in ſuis de Prædeſtinatione Theſibus, duos *Cornutos* Syllogiſmos habet, qui Arielem noſtrum, fortiſſimo impetu quatiunt, & niſi Ariel, hoc eſt, niſi Leo fortis, & Leo Domini eſſet, procul dubio, omnium Calvinianorum *expectatione*, totum proſternerent & conculcarent. *Ioh. Piſcator. Duo deſperati Piſcatoris Syllogiſmi.*

Prior Syllogiſmus, in Θέσει tertia, ita tumultuatur: *Quoſcunq; vult Deus ſalvos fieri: pro ijs Chriſtus mortuus eſt. Non autem pro ſingulis mortuus eſt Chriſtus, ſed tantum pro aliquibus. Nec igitur ſingulos ſalvos fieri vult* DEVS, *ſed tantum aliquos.* *1. Syllogiſmus Piſcatoris.*

Quia verò *minor propoſitio* huius Syllogiſmi, inter ipſa principia laborat, & concluſio eiuſdem, Arielem noſtrum, non niſi obliquè petit, ideò ſequens quarta piſcatoria Theſis, maiore impetu irruit, & hunc alterum Arieli noſtro opponit Syllogiſmum: *Et viciſſim* (inquit Piſcator) *pro quibuſcunq; Chriſtus mortuus eſt, eos Deus vult ſalvos fieri, Atqui non ſingulos, ſed tantum aliquos ſalvos fieri vult Deus. Non igitur pro ſingulis*, SED TANTVM pro ALIQVIBVS MORTVVS EST CHRISTVS. *2. Syllogiſmus.*

Atq;

Digitized by Google

Atq; rurſum in Theſi LVIII. *Si Chriſtus pro* SOLIS ELECTIS *mortuus eſt: non igitur eſt mortuus pro ſingulis hominibus. Atqui Chriſtus pro* SOLIS ELECTIS *mortuus eſt. Non igitur mortuus eſt pro ſingulis hominibus.*

Et hîc quis forſan opinari poſſet, hunc *Piſcatorem*, aliorum confutationibus ac pudore *ictum*, ſapere didiciſſe: & σοφῷ φαρμάκῳ ſuis enunciatis tacitè mederi voluiſſe, vt ſentiret: Chriſtum pro omnibus quidem hominibus, meriti *ſufficientiâ*: eiuſdem verò *efficaciâ*, tantùm pro Electis mortuum eſſe. Quo ementito colore, multi ex Calvinianorum grege, multis noſtrum fumos hactenus vendere conſueverunt. Sed hic noſter, *piſcatoria* quadam *ſimplicitate*, intima animi ſui penetralia nobis recludens, oſtendit ſe cum ſocijs ſuis, nulla prorſus ratione concedere, Chriſtum pro damnatis mortuum eſſe.

Piſcatoris piſcatoria ſimplicitas.

Sic enim *Piſcator*, in dicta Diſputatione Theſi CIX. *Pro reprobis*, NVLLO MODO *mortuus eſt Chriſtus, ſive* ſufficienter *dicas, ſive* efficaciter. Et hoc ipſum illud Zanchij eſt: Secundum propoſitum DEI, & REIPSA, ſanguinem Chriſti, non pro Reprobis aut incredulis, ſed tantùm pro *Electis* effuſum eſſe. Hoc ipſum myſterium eſt, & Bezæ, & omnium ſociorum eius: Quam ob cauſam, in Colloquio Mompelgartenſi, noſtrorum vox: *Chriſtum etiam pro damnatis mortuum eſſe, ipſis viſa eſt* INTOLERABILIS. Hæc de merito Chriſti, doctrina eſt Calvinianorum.

Hanc ſi conferamus cum Ariele noſtro, ignem & aquam citiùs temperaveris, quàm hæc βδελύγματα Calviniana, conciliaveris cum effatis Propheticis.

Calviniana dogmata corrumpunt Altaris quadraturam, hoc eſt, meritorum Chriſti perfectionem & vniverſalitatem: pro QVADRATIS τεχνίζια. obijciendo.

Vidimus enim, & ex ore Prophetæ noſtri patulis auribus hauſimus, Arielem noſtrum, in quatuor quadraturis ſuis per totum quadratum eſſe. Et iſtud quid ſit, meritum videlicet Chriſti Salvatoris, omnibus ſuis numeris perfectum & omnibus ex æquo hominibus partum eſſe, immotis & irrefutabilibus ſcripturis didicimus. Si enim ex tota vniverſitate, pro vnico homine, Chriſti redemptionis meritum præſtitum non eſſet, *Ariel* noſter *quadratus* non eſſet. Vnica namque ex quocunque latere deficiens vnitas, vt è Mathematicorum ſcholis notum eſt, *quadrati* definitionem corrumpit. *Applica* nunc τεχνίζια Calvinianorum, quorum non hæc tantùm eſt ſententia, Chriſtum pro mundi peccatis ſatisfeciſſe, paucis quibuſdam hominibus *exceptis*, qua ipſa tamen ratione, Arielis figura, à *quadrato* iam deflecteret & degeneraret. *Quadratum enim eſt, cuius & latera æqualia ſunt, & Anguli recti.* Iſthæc autem vel aliquot paucorum hominum exceptio, & inæqualitatem laterum, & angulorum obliquitatem introduceret. Licet igitur aliquos tantum, & *pauciſſimos* eos homines exciperent Calviniani, pro quibus Chriſtus non mortuus eſſet, iam corrupta eſſet *Arielis* quadratura. Sed multò longius Calviniani progrediuntur. Non enim *minorem*, ſed multò *maiorem* hominum partem excipiunt, pro quibus Chriſtum mortuum & crucifixum eſſe inficiantur. Docentes enim Chriſtum *tantùm* pro Electis mortuum eſſe, qui minima hominum & perexigua pars ſunt, manifeſtò ſequitur, quod & apertis verbis ſæpiſſimè proloquuntur, pro maxima hominum parte, quæ omnes incredulos & infideles, omnes impœnitentes & damnatos complectitur, Chriſtum nullo modo mortuum eſſe. *Hinc ſequitur*, Calvinianos, ex quadratura noſtri Arielis, huius vel alterius lateris, vix *exiguam* portionem reliquam facere, cuius peccata Ariel expiarit. *Reliqua* omnia latera, vaga, & indiſpoſita, ab omnibus Arielis beneficijs, excluſa & peregrina ſunt.

Calvinianum dogma eſt blaſphemum in meritum Chriſti.

Sed ô miſeram *quadrati* noſtri Arielis corruptionem, ô deſperata, blaſphema & abominanda Calviniana τεχνίζια: in quibus ſacroſanctum & perfectiſſimum Chriſti meritum, miſerandis convitijs mactatur, & omnibus ſimul hominibus, certiſſima & extrema *deſperatio* publicè proponitur. Quid enim in ſaluberrimum Chriſti meritum, magis iniurium & blaſphemum eſſe poteſt,

quàm

Digitized by Google

quàm illud, quod Chriſtum *tantùm* pro peccatis Electorum, pro peccatis autem incredulorum NVLLO MODO mortuum eſſe, impiè nugantur. Cùm enim ille ſit *ſalus Iehovæ, vſq; ad fines terræ*, Eſai. 49.6. Cùm ſit *Agnus DEI tollens* peccatum mundi, Iohan. 1.29. Cùm ſit *propitiatio pro peccatis totius mundi*, 1. Iohan. 2.2. quæ ignominia iſthæc, & blaſphema iniuria eſt, in pretioſiſſimum ſanguinem & meritum Chriſti: parta iſthæc beneficia, quæ ille *toti mundo* reparavit, ad tantam tamque exiguam anguſtiam revocare. Et hæc abominanda illa blaſphemia eſt, menſularum (τραπέζια vocat Euclides) Calviniani dogmatis.

Quibus autem verbis, quiſquam ſatis expreſſerit, profundiſſimam illam *deſperationis* Abyſſum, quæ in iſtis Calvinianis menſulis toti humano Generi proponitur. Si enim Chriſtus mundi Salvator, pro omnium omninò hominum peccatis ſatisfeciſſet, VNICO duntaxat homine, in tota & omni totius humani generis vniverſitate EXCEPTO, *nemo* turbatus, & in conſcientia ſua tentatus homo, firmiter ſeſe ſolari poſſet, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe. Cuivis enim tentato metuendum, SEIPSVM, illum ipſum eſſe, pro quo Chriſtus mortuus non eſſet. Nec quiſquam etiam homo, firmis ſolatijs, tentatam eiuſmodi conſcientiam *erigere*, vel indubitatò *conſolari* poſſet. *Ex puris enim particularibus* (vt in dialecticorum ſcholis didicimus) *nihil concluditur.* Vniverſalitas autem propoſitionis, vt & vniverſalitas meriti Chriſti, vel *vnici exempli inſtantia* infringitur: Quod rurſum ex *Logicis* præceptis notum eſt. Vnde conſequitur, totam Calvinianorum turbam, in hoc Argumenti genere, quod in meditatione miſericordiæ & voluntatis divinæ, in celebratione meriti Salvatoris, & laudibus ſtudij atque diligentiæ ſacri Spiritus verſatur, quæ capita ſunt & fundamentum noſtræ Religionis, ne vnicum quidem ſyllogiſmum in prima maximè figura contexere poſſe. *Adeò* nimirùm *imperfecta, manca*, & in *meras* particularitates conciſa eſt Calvinianorum doctrina, qua parte omnium *optima, dulciſſima* & *iucundiſſima* poteſt apparere. Nos viciſſim, ſcripturæ ſacræ fundamentis innitentes, pleno ore & Spiritu, argumentamur & gloriamur in hunc modum:

Calviniana doctrina eſt deſperatiſſima.

Si Chriſtus pro vnico duntaxat homine non ſatisfeciſſet, nemo omnium de ſalute ſua certus eſſe poſſet.

Calviniana Theologia perfectiſſimo concludendi modo caret.

Pro omnibus peccatoribus mortuus eſt Chriſtus.
Omnes homines ſunt peccatores.
E R G O:
Pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus.

Amplius perturbata conſcientia, in *Darij* concludendo, cum Apoſtolo Paulo, ita argumentatur:

Pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus.
Ego omnium miſerrimus peccator ſum homo.
E R G O:
Pro ME mortuus eſt Chriſtus.

Concluſio eſt Paulina, Gal. 2.20. *Filius Dei dilexit* ME, *& ſemetipſum tradidit pro* ME. Qua concludendi certitudine, tota Calvinianorũ doctrina vacua eſt & inanis. Prodeant in totius Chriſtianiſmi Theatrum, prodeant in conſpectum Eccleſiæ, in conſpectum Angelorum & beatorum omnium, in conſpectum SS. Trinitatis, & tentatæ conſcientiæ, ex omni ſua Calviniana ſupellectile, vnicum eiuſmodi *Syllogiſmum* proferant, quo ſine nulla firma ſolatia prompſerint, quæcunq; depromſerint. Hæc eſt victoria noſtra, hic eſt ſaluberrimus triumphus noſter contra deſperatos illos *quadrati noſtri Arielis* corruptores.

Sed quid, *inquis*, ipſi Theologiæ habent? Quid ſolatij tentatis conſcientijs, ipſi proponunt? Audi *Iohannem Piſcatorem*, qui in Diſputatione ſua de Prædeſtinatione, Theſi LXXXV. hanc quæſtionem hiſce verbis expedivit:

Solatia Calviniana doctrina.

Digitized by Google

Etſi non doceatur, Deum ſingulorum hominum ſalutem velle, ſed tantum Electorum & credentium: *Item iuſtitiam, morte Chriſti partam* HIS SOLIS (Electis nimirum) *animo communicandi offerre: tamen poterit anxijs animis inſtillari conſolatio, nempe anxijs animis* ELECTORVM. *Nam reproborum anxijs animis, nulla conſolatio inſtillari poteſt: quia illi non poſſunt* credere Evangelio: *Conſolatio autem per fidem percipitur.* Et poſt aliqua, *Nec quiſquam rectè ſic colligat: Gratia non ſingulis offertur, animo communicandi. Ergo nec mihi ſic offertur. Imo* (inquit Piſcator) *ſic potius colligendum: Gratia* NONNVLLIS *offertur* ANIMO *communicandi. Ergo* FIERI POTEST, *vt &* EGO *ſim in illo numero.* Hæc Piſcator.

Calviniana ſolatia cum certiſſima deſperatione iuncta ſunt. Quale tibi hoc videtur τραπέζιον, qualis Calviniana menſula? Nunquid inſtructiſſima certiſſimâ deſperatione? *Perinde* enim eſt, ac ſi illi, qui iam vel incendij flammis, vel faſto gurgite abſorbetur, acclames: Bono animo es, FIERI POTEST, vt veniat tibi auxiliator. *Simile.* Idem planè ſolatium eſt, quod Piſcator tentatæ conſcientiæ proponit. Deus vult aliquos ſalvari: Chriſtus Ariel, pro *aliquorum* peccatis ſatisfecit: Spiritus ſanctus fidei & ſalutis verbum, *aliquibus* animo communicandi offert. Ergò FIERI poteſt, vt & tu ſis in illo numero, FIERI POTEST vt Deus TE quoque ſalvari velit. FIERI poteſt, vt Chriſtus, pro TE quoq; ſit mortuus, FIERI poteſt, vt Spiritus ſanctus, TIBI quoq; animo communicandi proponat verbum ſalutis. Apage ſis Piſcator cum ſceptica illa tua & fabuloſa Theologia? Pereat, & malè pereat, & æternùm pereat, deſperatum illud tuum, FIERI poteſt. *Ezech. 33. 11.* *Impoſſibile* namq; eſt *mentiri Deum noſtrum, qui iuramenti Religione confirmat, nolle ſe mortem peccatoris, ſed vt convertatur & vivat.* Non pro *aliquibus* duntaxat Chriſtus mortuus eſt, ſed *2. Corinth. 5. 14* *mortuus eſt pro omnibus*, 2. Cor. 5. 14. *Propitiatio factus pro peccatis totius mundi*, 1. Iohan. 2. v. 2. *1. Iohan. 2. 2.* Et Spiritus ſanctus, annunciat *gratiam* animo communicandi OMNIBVS. *Actor. 17. 30.* Ideò namq; annunciat, VT OMNES *vbiq; pœnitentiam agant: Fidem offerens* OMNIBVS. Act. 17. 30.

Calviniani aliud ore dicunt, aliud corde ſentiunt: ſimulatores & diſſimulatores. *Sed* diligentius etiam hoc loco attendamus in illos Trapezuntios, ſive *menſularios* Calvinianos: quos nam illi in Eccleſia *circulatores & agyrtas*, quos *ſimulatores & diſſimulatores* agant? Cùm enim miſeris & perturbatis conſcientijs, pleno ore deprædicant, *velle* Deum *omnes* homines ſalvos fieri: *Chriſtum* eſſe Salvatorem totius mundi: Atq; *Evangelium* prædicari, vt omnes convertantur & ſalventur: *Fraudes Calvinianorum in prædicatione verbi.* *Nequaquam* illi omnes in vniverſum homines intelligunt, quibus iſthæc in concionibus ſuis, melle dulcioribus verbis proponunt, ſed ſuos duntaxat, *fatali & immutabili decreto* confictos Electos. Hoſce *ſolos* velle Deum ſalvos fieri, pro hiſce SOLIS Chriſtum mortuum eſſe: Hiſce SOLIS, communicandi animo proponi verbum ſalutis. Id quod ex ſuperioribus manifeſtò conſtat. Et mille alijs locis, ex Calvinianorum ſcriptis, hoc ſole clarius (*ſi vſus* & opus ſit) demõſtrari poſſet. Quis dolus igitur iſte, & quę inveteratorię illæ fraudes ſunt: dulciſſimis verbis, omnibus ſalutem proponere, atq; interim alto corde, tacitum, & fatale particularitatis *occultare* decretum. Deus non vult omnes, ſed aliquos tantùm ſalvos fieri: Ergo FIERI poteſt, vt & tu ſis in illorum numero. Chriſtus non pro omnibus, ſed pro aliquibus tantùm mortuus eſt: Ergò FIERI poteſt, vt & TV ſis in illo numero. Verbum ſalutis non *omnibus*, ſed aliquibus tantùm animo communicandi proponitur. Ergò FIERI poteſt, vt & TV ſis in illorum numero. *Quid quæſo*, Deo & hominibus illudere eſt, ſi hoc non eſt? Quis mortalium *cordatus, apertus & verax*, Sinonias iſtas artes, non toto animo oderit, abominetur, & ad orcum deteſtetur? Qua autem horrenda ſeveritate, Dominus, ſolus iuſtus & verax Deus, blaſphemas iſtas ſanctiſſimo nomini ſuo *illitas iniurias*, olim ſit vindicaturus, extremus ille & ſeverus vltionum dies (*niſi pœnitentiâ actâ iræ iudicis occurrant auctores*) graviſſimis, ijsque æternis exemplis eſt declaraturus.

Digitized by Google

Fraudes Calvinianorum in Sacramentorum diſpenſatione.

Porrò, quas in *verbi prædicatione* monſtravimus, eaſdem, vel maiores etiam in diſpenſatione & vſu *Sacramentorum*, apud Calvinianos Doctores, menſulatas (τετραπεζωμένας) fraudes deprehendimus. Quid enim aliud ſunt *Sacramenta*, quàm ſigilla, & σφραγῖδες divinæ, quibus Dominus gratiam & miſericordiam ſuam, omnibus Sacramentis vtentibus, ſua ex parte obſignat, firmamq́; & ratam habet. In *Baptiſmo* equidem ſacroſancta Trinitas teſtificatur, ſe hunc naturâ filium iræ & damnationis, iam verè ex Spiritu & aqua regeneratum Infantem, ex gratia in filium atque hæredem omnium cœleſtium bonorum acceptare. In ſacrâ verò Cœnâ, Chriſtus Salvator, omnibus Cœnâ veſcentibus, verum corpus & ſanguinem ſuum exhibet, teſtificans, hoc ipſum corpus & hunc ipſum ſanguinem, pro peccatis *veſcentis*, in mortem traditum atque effuſum eſſe, vi verborum Teſtamenti: Hoc eſt Corpus meum, quod *pro vobis* traditur: Hic eſt ſanguis meus, qui *pro vobis effunditur* in remiſſionem peccatorum, Matth. 26. 26. & ſeqq. Luc. 22. 19. & ſeqq.

1. In Baptiſmo.

Perpende igitur apud animum tuum, quiſquis Deum veracem colis, metuis, atq; ſyncero corde revereris, quàm horrenda illa ſit divini nominis prophanatio, & Sacramentorum deſperatus abuſus: Quando Calviniani Doctores in cuiuſcunq; infantis Baptiſmo, Deum teſtificantem & religioſè iurantem audiunt, & coràm Eccleſia publicè iurantem introducunt, ſe hunc Infantem in Filium atq; cœleſtium bonorũ hęredem adſcribere. Hic enim finis, hęc vis & natura eſt Baptiſmatis, non minor, quàm circũciſionis, quâ cõteſtatus eſt Dominus, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Atque ipſi interim docere non erubeſcunt, non eſſe voluntatẽ Dei, vt omnes illi Infantes ſint vel filij Dei, vel vitę æternæ hæredes, cùm maximam illorum partem, *ſimplici & abſoluto*, immutabiliq; decreto ad æternos cruciatus ab æterno reprobârit. Quis noſtrum eſt, qui tantam ſimulandi & diſſimulandi vafritiem, in virum vel civiliter bonum cadere poſſe exiſtimet, quantum illi in quotidiano baptiſmatis exercitio, Deo *ſoli veraci*, non ſine maximis blaſphemijs, quotidiè affricare ſolent.

2. Cœna Dominica.

Eadem ratio *Cœnæ Dominicæ* eſt. Chriſtus enim omnibus in ſacrą Cœna hoſpitibus, & corpus & ſanguinem ſuum exhibendo, omnibus in individuo conteſtatur, ſe corpus & ſanguinem ſuum pro illorum peccatis in mortem tradidiſſe. Iſti verò perfrictâ fronte effutiunt, Chriſtum pro maxima hominum parte, NVLLO MODO mortuum eſſe. Vtpote in ſuperioribus ex illorum ſcriptis abunde probatum eſt, & nihilominus Cœnam omnibus exhibendo, Chriſtum in teſtificationibus ſuis ſimulatorem & diſſimulatorem turpiſſimum faciunt, dum ſingulis veſcentibus teſtificatur ille, ſe pro ipſis corpus & ſanguinem ſuum tradiſſe: Cùm ex Calvinianorum opinione vix pro quarta, vel alia exigua parte tradiderit. Quis autem *Chriſticolarum* in orbe reperiatur, qui tantas, tamq́; nefandas iniurias in Chriſtum Salvatorem ſuum congeri, ſine gemitu audire poſſit.

Edulia Calviniana.

Iam conferantur in vnum, quæ in Calvinianis menſulis, *venenata & mortifera edulia* proponuntur. In *verbi prædicatione*, Deum patrem hypocritam, ſimulatorem & nugatorem faciunt, qui de vniverſali ſua miſericordia & dilectione, ſuaviter concionetur: in corde autem & fatali facto atq; abſoluto decreto, pietatem & ſuavitatem illam vix ad minimam hominum partem ſpectare velit. *Chriſti paſſionem & meritum*, quod vniverſale eſt, in ſalutem & bonum omnium omninò hominum præſtitum, ad exiguam & tenuitatem & paucitatem Electorum contrahunt. *Spiritus ſancti* miniſterium, quod vniverſale præconium eſt, in toto orbe perſonans, nefanda hypocriſi & infinitis vanitatibus ac nugis conſpurcant. Ille namq; vniverſalem Dei gratiam, & vniverſale Chriſti meritum vbiq; prædicat, omnesq́; vbiq; homines ad pœnitentiam vocat: Iſti pleno ore contradicunt, nec gratiam Dei vniverſalem, nec meritum Chriſti vniverſale, nec voluntatem divinam eſſe, vt omnes homines pœni-

1. De voluntate Patris.

2. De merito Chriſti.

3. De miniſterio verbi.

NB. Nullus Calvinianus concionator vllum auditorum ſuorum indubiâ certitudine ad pœnitentiam invitare poteſt.

nitentiam agant. Ex hiſce *conſequitur*, nullum Calvinianum Doctorem, & ne quidem vnum ex omnibus, neminem auditorum ſuorum, in *frequentiſſimâ* etiam concione, firmâ fiduciâ, & *indubitatâ certitudine*, ad pœnitentiam & fidem invitare poſſe. *Pœnitentiam age, & crede Evangelio*: Quod principium fuit concionum, tàm *præcurſoris*, quàm *Salvatoris* Chriſti ipſius. Nec quiſquam illorum concionari poteſt, ſicut Angelus concionatus eſt Cornelio: Petrus loquetur *tibi* verba, in quibus ſalvus eris, & *tu* & vniverſa Domus *tua*, Actor. 11. verſ. 14. Neque vt Paulus & Silas concionati ſunt cuſtodi carceris: Crede in Dominum Ieſum, & ſalvus eris, *tu*, & Domus *tua*, Actor. 16. 31. Quomodo enim Calvinianus *particulariſta*, cuiquam dicere poteſt: Crede & ſalvaberis. Cùm ex fundamentis dogmatum ſuorum neſciat, vtrum ex fataliter *Electorum*, aut fataliter *reproborum* ſit *ille numero, cui* loquitur. Et *hinc* quomodo ad fidem Chriſti invitabit, quùm *neſciat*, vtrum Chriſtus pro *ipſo* mortuus ſit necne. Nam ſi ex reproborum eſt numero, Chriſtus pro illo (*vt Calviniani quidem ſomniant*) NVLLO MODO eſt mortuus. Quid credat igitur in eum, qui pro ipſo mortuus non eſt? Et quas nugas agit Exhortator vaniſſimus, credere iubens miſerum, quùm *nihil* habeat in Chriſto, quod credat? *Imò verò*, quem crudeliſſimum carnificem agit eiuſmodi Calvinianus exhortator, invitator & informator ad pœnitentiam & fidem. Quò *altius* enim eiuſmodi fataliter reprobum hominem in cognitione fidei & pœnitentiæ ſtudijs evexerit, *tantò gravioris* damnationis eius author & promotor extiterit. Sic enim *Theodorus Beza* in Aphoriſmis ſuis, quibus totius Chriſtianiſmi ſummam explicare conatus eſt. Aphoriſ. 3. *In Adultis* (inquit) *duas rationes prorſus diverſas* (Dominus) *obſervat. Quoſdam enim ne hâc quidem gratiâ dignatur, vt vel de Chriſto, in quo vno ſalus eſt, quicquam prorſus audiant, ſed eos vijs ſuis ingredi ſinit, & ad certum exitium contendere, &c.* Aphoriſ. 4. *Quorundam verò GRAVIOR etiam eſt CASVS, eorum videlicet, quos externâ quidem prædicatione dignatur, ſed qui vocati, nec volunt, nec etiam poſſunt reſpondere, quibus etiam non datum eſt, veritatis Spiritum amplecti, & credere. Ita quamvis NECESSARIA, tamen ſpontanea eſt ipſorum pervicacia.* Hæc ille. *Ex quibus* manifeſtò apparet, Calvinianos Concionatores ex fatali ſuo confiсto decreto, omnibus auditoribus ſuis, fataliter reprobis, concionibus ſuis GRAVIORIS CASVS & damnationis, authores eſſe. Quoties igitur Calviniani auditores, ad conciones audiendas confluunt (cùm maxima illorum pars, ex ore concionatorum ſuorum, fataliter reprobi, quorum Deus nec miſereri velit, neque Chriſtus pro ipſis ſit mortuus vllo modo) *maxima* etiam pars nihil ſalutis inde ſperare poteſt, ſed quantò plures conciones audiunt, tantò *plus* fatalis iræ & damnationis ſibi accumulant. Cùm, vt Doctores ipſorum loquuntur, myſteria ſalutis, non ſine communicandi (*Piſcatorem auditis*) ſed in GRAVIORES caſus (*Bezæ verba*) proponantur. Nam: *tolluntur in altum,*

Vt caſu graviore ruant.

Actor. 16. 31.

Neq; ad Fidem.

Calviniani concionatores in maximam partem auditorum ſuorum crudeliſſimi ſunt carnifices.

Volum. 1. Tract. Theol. p. 190. &c.

Calvinianas conciones frequentare, auditoribus Calvinianis reprobis, res eſt omnium periculoſiſſima.

Obiectio diluitur.

2. Cor. 2. 16.

Neque hîc eſt, vt quis Paulinum illud obijciat: *Alijs quidem odor mortis ſumus in mortem, alijs quidem odor vitæ ad vitam.* 2. Cor. 2. 16. Ille namque diverſus prædicati Evangelij finis, & quòd alijs in odorem mortis cedit, *non à Deo*, ſed ab *hominibus* & *Diabolo* eſt, qui bonum Dei propoſitum impediunt. Dei namque *paterna* voluntas eſt, vt Evangelij prædicatio, omnibus in *odorem vitæ* cedat. Diaboli autem *invidia*, & hominum *ingratitudine* fit, vt quod ad vitæ odorem datum eſt, ipſis in odorem mortis convertatur. Id quod Paulus, ſtatim conſequente quarto capite, graviſſimis verbis interpretatur: *Quod ſi* (inquiens) *opertum eſt noſtrum Evangelium, in his, qui pereunt eſt opertum, in quibus* DEVS huius ſeculi *excæcavit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriæ Chriſti.* Operti igitur Euangelij, Apoſtolo apertiſſimè ita pronunciante, cauſa eſt, non Deus Pater noſter cœleſtis, ſed DEVS huius

2. Corinth. 4. 3. Operti Evangelii cauſa eſt, nō Deus, ſed Diabolus.

Digitized by Google

huius ſeculi, hoc eſt, Diabolus, qui homines varijs ſcelerum & cupiditatum tenebris excæcat, ne ſalutiferi verbi contueantur fulgorem. Longè aliter *Calviniani*: Docent enim ipſum Deum cœli, non Deum huius ſeculi, maiori hominum parti, animos obſcurare, ne videant Evangelij fulgorem. *Hinc Calvinus* Inſtit. lib. 3. cap. 22. ſect. 10. ſic habet: Propheta (Eſaias cap. 53. 1.) inquit ille; *tacitatis FONTEM eſſe tradit, quòd Deus non dignetur hominibus brachium ſuum patefacere.* Et cap. 24. ſect. 13. *Ecce* (inquit Calvinus) *vocem ad eos dirigit, ſed vt magis* obſurdeſcant, *lucem accendit, ſed vt reddantur* cæciores, *Doctrinam profert, ſed qua magis* obſtupeſcant: *Remedium adhibet*, ſed ne ſanentur.

Calviniani apertè Evangelii cauſam Deo adſcribunt.

Calvinus.

Beza, Reſponſ. 2. ad Acta Colloq. Mompelgart. pag. 149. *Etiam ad* iram *deſtinatis, non* (tamen) *ad ſalutem, ſed ad iudicium, non vt eorum corda divinitùs emolliantur, ſed vt per ſuum ipſorum cor* indurentur, *Euangelij vox promulgatur.*

Beza.

Herman. Rennecherus in aurea ſua Catena pag. 266. &c. *Ex his* (inquit) *apertè colligi poteſt, verbum Dei, hominibus, non in VNVM, ſed in DIVERSOS FINES proponi, & admirando DEI iudicio ſic in vtramque partem temperari & diſpenſari, vt non minus* reprobis, *odor mortis ad mortem, quàm* Electis *odor vitæ ad vitam ſit. Sic vno & eodem Dei verbo, tàm reprobi ad damnationem ENECANTVR; quàm Electi ad ſalutem* recreantur. *Hoc Dei iudicium omnibus modis HORRENDVM & valdè ſublime eſt.* Sic ille.

Rennecherus.

N B. Calviniani Doctores HORRENDA ſua βδελύγματα agnoſcunt.

Wilhem. Zepperus in Inſtitut. de tribus capitibus Relig. pag. 148. *Deus Filios illos perditionis, &c. non ita, ſicut & Electos ſuos tractat: Quin potius detrahit illis* gratiam, *qua alioquin, ſicut* & Electi illuminari, converti, & ad omne bonum præparari potuiſſent. *Hæc ibi.*

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quod Paulus clariſſimis verbis Diabolo adſcribit, dicens: *DEVM huius ſeculi* excæcare mentes infidelium, id Calvinianos Doctores vno ore, & lingua vna, ſanctiſſimo Domino *DEO noſtro*, blaſphemo auſu attribuere. Hunc enim *Fontem* omnis excæcationis eſſe tradunt: Hunc aiunt, in diverſos fines verbum ſuum *proponere*: Hunc maximæ hominum parti *detrahere* gratiam, qua alioquin illuminari, converti, & ad omne bonum præparari POTVISSENT. Adeoque, quod Diaboli invidia & odio, hominumque malitiâ atque ſcelere fit, nimirùm, quod verbum Dei, in vitæ odorem omnibus propoſitum, multis in odorem mortis cedit; id Calviniani, *voluntati, Decreto, operi & exequutioni divinæ* quotidianæ adſcribunt: Quod auditu verè HORRENDVM, & extremè blaſphemum eſt.

Quibus omnibus conſideratis, adhuc firmum manet, Calvinianos Doctores, omni miniſterio ſuo, tàm concionando, quàm adminiſtrando Sacramenta, ex ipſa dogmatum Calvinianorum medulla, ſumptis meditationibus & argumentis auditorum ſuorum, ex ipſa DEI voluntate, quam maximè horrendam confingunt, ſæviſſimos & crudeliſſimos eſſe *Tortores*. Ita quidem, vt quoties Calvinianus concionator vel ſuggeſtum conſcendit, vel Infantes baptizat, vel adminiſtrat Cœnam Dominicam, ex ipſis fundamentis Calvinianæ doctrinæ nihil aliud velit, ac ſi diceret: *Blanda quidem vobis omnibus loquor, omnibus vobis gratiam & felicitatem promittens: ſed hoc ſcitote, me ex æterno & immutabili decreto DEI ideò adeſſe: vt non ad ſalutem, ſed ad iudicium, non vt corda veſtra divinitùs emolliantur, ſed vt indurentur, maximæ veſtrum parti Evangelium proponam. Ecce ad plurimos veſtrûm vocem dirigo, ſed vt ex æterno & immutabili decreto, magis obſurdeſcatis: Lucem accendo, ſed vt reddamini cæciores: doctrinam profero, ſed qua magis obſtupeſcatis: Remedium adhibeo, ſed ne ſanemini. Maximæ enim parti veſtrum, Deus gratiam ſuam fatali decreto detrahit, qua alioquin, ſicut & Electi illuminari, converti, & ad omne opus bonum præparari potuiſſetis.* Hæc in rei ſanctiſſima veritate, *vis, vita, & anima* eſt Calvinianæ particularitatis; quâ

Natura & pictura Calvinianorum concionum.

Digitized by Google

Arielis noſtri quadraturam, hoc eſt, *univerſalem* Dei Patris gratiam & miſericordiam, *univerſale* Chriſti meritum, *univerſalem* Spiritus ſancti vocationem, blaſphemis figmentis corrumpunt.

Calviniani Chriſtum cùm omni merito ſuo ſolvunt.

Quam tu autem putas devotionem eſſe poſſe Auditorij Calviniani, quando hæc fundamenta doctrinæ cognita habent, & meditantur, quando concionatorem contuentur, quem plurimis illorum non in ſalutem, ſed in iudicium & graviorem condemnationem, & ſanè ex divino decreto (quod *ipſi blaſphemè confingunt*) verbum Evangelicum proponere cognoverunt. Hactenus deducta abſurda, atque blaſphema, ex eo tantùm conſequuntur, quòd Calviniani quadratam noſtri Arielis figuram corrumpunt. Quibus omnibus multò maiora eſſemus demonſtraturi, ſi docere inſtitueremus, quod ijdem illi, negatâ *communicatione Idiomatum*, TOTVM Arielem funditùs deſtruerent. Ita vt ne pro vno quidem peccato vnius hominis ſatisfacere poſſit. *Sed ea de re alibi copioſiùs.* Iam de Calvinianis auſibus, quibus quadraturam noſtri Arielis adoriuntur, hac occaſione ſatis.

Huberianiſmus.

Huberus Fidei ordinationem ex æterno Electionis actu proſcribit.

Vnicus *Samuel Huberus* D. ſupereſt, qui licet vnâ nobiſcum, Arielis noſtri quadraturam, ſatis diligenter admirari velle videri velit, atque de vniverſali Dei gratia & miſericordia, nec minùs de vniverſali Chriſti merito ſatis plauſibiliter concionari ſoleat: quatuor tamen cornuum, quæ ab Ariele noſtro aſſurgunt, nimis negligenter obliviſcitur. Hoc eſt, *actum æternum electionis, ſine intuitu* fidei deſcribit. Sic enim ille, in brevi ſua confutatione, pag. 30. *Aliud eſt de* Actu Dei. *aliud de eiuſdem* effectu *loqui. Actus electionis, præter* miſericordiam Dei & ſacroſanctum meritum *Chriſti, NIHIL requirit.* Et rurſum in Reſponſo ad cenſuram *Theologorum Tubingenſium: ſcriptura hanc habet phraſin, quòd ante iacta fundamenta ſeculi*, ante omnem reſpectum FIDEI, *& operum noſtrorum, per Chriſtum, ex quo cauſa fidei & operum noſtrorum* oritur, *electi ſumus à DEO.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, quòd Huberus Arielem quidem quadratum, hoc eſt, Dei Patris miſericordiam, & (quod illi innititur) Chriſti Salvatoris meritum *vniverſale* agnoſcat: ſed cornua Arielis, hoc eſt, *ordinationem fidei*, qua miſericordia Patris, & Chriſti meritum *apprehendenda* ſunt, non videt, ſiquidem duabus illis *SOLIS rebus, ſine VLLO reſpectu fidei, actum Electionis, abſolvi ſomniat.* Neq; ignoramus hoc loco, Huberum in exequutionem Electionis Fidem adducere, hoc eſt, docere eum, qui Electione *frui velit*, credere oportere: Ipſum autem electionis actum, ante omnem reſpectum fidei, ante ſecula abſolutum fuiſſe, quod ex ſuperiùs citatis verbis, *ſole clarius* in orbe apparet. Sed hoc eſt Arieli noſtro cornua infringere, & illi modò, qui ad Arielem acceſſurus eſt, vt Arieli eadem imponat, in manus tradere. Ex qua perverſa opinione, quæcunq; Huberianum dogma abſurda habet, infelici propagine nata ſunt. *Noſter autem* Ariel, in *quatuor Angulis ſuis*, iam ante quatuor cornua habet, vt quicunq; acceſſurus eſt, iſthæc apprehendere, & illis ſeſe fulcire poſſit. Hæc cornua ſunt *Fidei ordinatio*, quam Deus in æterno Electionis decreto nequaquam neglexit. Sed ſicut Deus Pater *vniverſali* miſericordia, omnes homines complexus eſt: Sicut etiam Filius Patris, pro *omnibus omnium hominum peccatis* Satisfactor eſt conſtitutus: Ita quoq; apprehenſionis medium, *Fides* videlicet, qua omnes homines, Chriſtum Mediatorem Arielem noſtrum apprehendere debeant, in eodem illo æterno Electionis beneplacito atque decreto *ordinata eſt*, VT videlicet omnes Homines in Chriſtum credant, & per fidem ſalventur. Hæc ſunt illa cornua in ipſo Ariele noſtro *effigiata*, nec demùm ab *acceſſuris afferenda.* In *æterno* nimirùm *ſalutis decreto*, fides apprehenſionis & applicationis medium ordinatum, nec ad decreti *exequutionem* demùm & fruitionem, reiectum eſt. Niſi enim hoc ipſum medium ab æterno, ad applicationis vſum *ordinatum eſſet*, fruſtranea & inutilis eſſet omnis Fides.

Cornua Altaris ſunt æterna fidei ordinatio.

Refutatio Huberianæ opinionis.

Fidei τάξις ab æterno eſt ordinata.

Alioquin Fides nullum hominem ſalvaret.

Quia

Quia autem ab æterno Deo placuit, Chriſti meritum, per *fidem applicandum* eſſe: Ideò per fidem omnes credentes ſalvantur.

Ex quibus, *omnibus ſanis*, Huberi error manifeſtus eſt, qui actum electionis, *ſolis* duabus rebus, miſericordi nempe *voluntate* patris, & *merito* Chriſti abſolvi dictat, cùm ad iſthæc duo, *tertium* hoc, nempe fidei ordinatio etiam requiratur.

Falſum etiam eſt, *nos ante omnem reſpectum fidei electos eſſe.* Cùm enim electio, non *duabus* ſed *tribus* iſtis rebus abſolvatur: miſericordi nempe *voluntate* patris, *merito* Chriſti, & *ordinatione fidei*, quâ meritum Chriſti apprehendendum eſt, quàm abſurdum eſt dicere, electionem ante omnem reſpectum fidei factam eſſe.

Electionis decretum, non duabus, ſed tribus rebus abſolvitur.

Ex hiſce reliqua, quæ in Huberiana controverſia, prolixè à multis agitata ſunt, *pleraque omnia* expedita eſſe poſſunt: *vtrum* videlicet propter vniverſalem Dei miſericordiam & meritum Chriſti Salvatoris, omnes homines Electi, ſanctificati, iuſtificati, & filij Dei appellari poſſint? Quæ res contentionis, confuſionis & erroris plurimum vbique peperit. *Sed vt* breviter nos expediamus, ſciendum: Licet gratia & miſericordia Dei ſit vniverſalis, beneficia quoque & merita Chriſti, & ipſa vniverſalia ſint, meritum videlicet ſatisfactionis & liberationis à maledicto legis, meritum benedictionis cœleſtis, meritum remiſſionis peccatorum, meritum iuſtificationis, meritum ſanctificationis, meritum υἱοθεσίας, meritum hereditatis cœleſtis, & quæcunque alia Chriſti beneficia ſunt. (Cùm enim vniverſalis ille ſit Salvator, omnia quoque ipſius merita & beneficia, *reſpectu meriti*, publica & vniverſalia ſint neceſſe eſt) Licet autem hæc ita habeant, inquam, & merita iſthæc omnia vniverſalia ſint, toti mũdo parta, non tamen inde ſequitur, omnes homines, *actu ipſo*, *applicatione & reali poſſeſſione*, iſthæc beneficia participare, & inde *ſanctificatos, iuſtificatos, benedictos* atq; *filios Dei* appellari, quæ applicatio & perfruitio meritorum fit per *ſolam fidem.* *Naturâ* namque *& actu* corruptionis vniverſalis omnes ſumus filij iræ Dei, omnes ſumus ſub maledicto, oẽs ſumus hoſtes atq; inimici Dei. Rom. 5. v. 10. Mortui in delictis Eph. 2. 1. Per *fidem* autem *accipimus*, *applicamus*, *& participamus* merita Salvatoris (ipſius reſpectu & merito) toti mundo parta. Atq; *ſic demùm* Spiritu ſancto vera & ſynceerà ſua φρασεολογία preeunte, *filij Dei* appellamur. Nam poteſtatem dedit filios Dei fieri, his, qui *credunt* in nomen eius. Ioh. 1. 12. *Sic* iuſtificati appellamur. *Nam iuſtificati* fide, *pacem habemus cum Deo.* Rom. 5. 1. *Sic* Electi vocamur Matth. 20. 16. & 22. 14. Apoc. 17. 14. *Benedicti* patris. Matth. 25. 34. *Dilecti* Dei & ſancti. Rom. 1. 7 Et qui ſunt id genus alij tituli, qui *ſolis illis* congruunt, qui cornua Arielis apprehendunt, hoc eſt, qui *vera fide* amplectuntur Chriſtum, & parta Salvatoris merita vera fide ſibi applicant.

DECISIO plerarumq; quæſtionum circa controverſias Huberianas.

Epheſ. 2. 3.
Gal. 3. 10. & 4. 3.
Rom. 5. 10.
Epheſ. 2. 1.

Hinc provida & in omnes caſus circumſpecta ſcriptura, hunc morem obſervat, vt licet vniverſalem Dei gratiam & miſericordiam, vniverſalia quoque Chriſti merita atque beneficia, vniverſalibus Elogijs celebret, quoties tamen de ipſis hominibus verba facit, quibus omnibus quidem iſthæc beneficia parta ſunt, omnes quoque omnia iſthæc vera fide apprehendere, & ſibi quique applicare *debebant*, non omnes vocat *dilectos*, *iuſtificatos*, *ſanctificatos, &c.* ſed *eos* tantùm, qui divinam gratiam, & parta Salvatoris merita *Fide* ſibi applicarunt. Proſtat igitur Ariel noſter, & publicè proſtat *omnibus*, ſed *illi tantùm* & ab ipſo, & ab ipſius partis beneficiis, *titulos*, *nomenque decusque* conſequuntur, qui accedentes *fide* cornua tenent Arielis. *Quâ vnica* obſervatâ Regulâ, magna pars Huberianæ controverſiæ (quam non immeritò κερατομάστιγμα, hoc eſt, *flagellamentum cornuum Arielis* noſtri dixeris) *explicata & ſopita* ſit. Vtpote quæ (Regula) non ſolùm vniverſalem DEI miſericordiam, vniverſale CHRISTI meritum, & vniverſalem fidei τάξιν, clarè & perſpicuè tradit: ſed eorum etiam, qui huic vniverſali Dei

Scripturâ inter beneficia Salvatoris & eiſdem participantes providè diſtinguit.

REGVLA definiendi controverſias Huberianas.

Digitized by Google

voluntati debitâ & ſalutari obedientia obſequuntur, partaque Chriſti meritâ, vera fide ſibi applicant, titulos & nomenclaturam exponit. Quæ ipſa regula, vno & altero addito exemplo, maiorem etiam habebit *perſpicuitatem*. Res igitur ita habet:

Explicatio Regulæ per Exempla. *I.* *De dilectione Dei.*

Dilectio Dei vniverſalis eſt, quâ totum humanum genus complectitur, nemine homine excluſo. Hiſce enim verbis illam Salvator celebrat: *Sic Deus dilexit mundum.* Iohan. 3.16. Et apud Ezechielem, cap. 33.11. *viuo ego dicit Dominus, non delector morte impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* Quam dilectionem Dei in omnes homines, Sapientiæ liber, eleganti Commentariô
Sap. 11.24. exornat, qui ita habet. *Miſereris omnium, quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum in pœnitentiam. Diligis enim* omnia, *quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti.* Et verſ. 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt*, Domine animarum amator, δέσποτα φιλόψυχε. Et Pſalm. 145. 9.
Deus. δεσπότης φιλόψυχος.
Bonus eſt Dominus omnibus & miſericordia eius in omnibus operibus *eius*. Vniverſalis igitur eſt amor & dilectio Dei in omnes homines: Ideoque *vniuerſalem* miſit mundo Salvatorem: atque vt *omnes* hunc vera fide amplectantur, fidem offert omnibus. Act. 17.31. Verùm, cùm iam de *hominibus* ſermo eſt, qui nam illorum, dilectione iſthac & amore Dei perfruantur, & inde titulo acquiſito *Dilecti Dei* appellentur, continua Spiritus ſancti Phraſis hæc eſt, quòd qui *verâ Fide* Chriſtum, dilectum Dei filium, in quo dilecti ſumus, apprehendunt, DILECTI DEI appellantur. *Exempli gratia.* Paulus 1. Theſſalon. 1.4. Theſſalonicenſes vocat fratres *dilectos* à Deo; ſed in præcedentibus commendaverat, opus illorum *fidei*, laborem charitatis; & patientiam ſpei, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eoſdem in poſteriore Epiſtola vocat, Dilectos à
2. Corinth. 2.13. Domino. *Debemus* (inquit) *gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres*, Dilecti à Domino, *quòd elegerit* (εἵλετο) *vos Deus ab initio in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & in fide veritatis, in qua vocauit vos per Euangelium noſtrum, &c.* Quibus verbis, non tantùm apertam mentionem facit fidei dilectorum à Domino: ſed in præcedente primo cap. eius Epiſtolæ, eorundem multiplicatam & roboratam
2. Corinth. 6.2. *fidem* egregiè commendat: *Gratias agere debemus fratres*, ita, vt dignum eſt, *quoniam ſupercreſcit* fides *veſtra, & charitas abundat, &c.* Adhuc clarius patet, Dilectos eſſe eos, qui fidem habent; & per fidem participes ſunt beneficiorum Chriſti, ex 1. Timoth. 6.2. *Qui ſerui fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt* & dilecti, *qui beneficij participes ſunt.* Omnium autem clariſſimè hoc patet, ex Antitheſi paulina, quam ex Oſe. 2. v. 24. citat, ad Rom. 9.25. *Vocabo* non plebem *meam*, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Ex qua Antitheſi manifeſtiſſimè patet; licet *dilectio Dei* vniverſalis ſit; in applicatione tamen & reſpectu hominum eos tantùm vocari *dilectos*, qui vocationi diligentis parent, & beneficiorum Chriſti participes ſunt: horum enim collatione, reliqui, & Propheticâ & Apoſtolicâ phraſi, dicuntur, *non dilecti, non plebs Domini*: לֹא־רֻחָמָה : לֹא־עַמִּי Oſe. 2.23. Paulus homines non converſos, *inimicos* vocat. Rom. 5.10. Filios *Iræ*. Eph. 2.1. *Sine Chriſto* dicit eſſe, *alienatos* à Republica Iſraëlis: *hoſpites* Teſtamentorum promiſſionis, *ſpem non habentes: & ſine Deo* in hoc mundo. Eph. 2.12. *Alienatos* à vita Dei, Epheſ. 4.18. Fide autem apprehendentes dilectum, in quo dilexit nos, & ipſi appellamur atque ſalutamur *dilecti* Dei. Hoc vnum eſt.

II. *De reconciliatione.*

Aliud Exemplum de reconciliatione. Quod beneficium meriti reſpectu, non minùs vniverſale eſt, quàm vniverſalis Dei gratia, miſericordia & dilectio. Deus Pater enim filium ſuum reconciliatorem dedit, non *aliquibus & paucis* quibuſdam, ſed toti mundo, Chriſtus etiam opere reconciliationis, hoc eſt, paſſionis & mortis ſuæ merito, non aliquos paucos, ſed *totum mundum* patri
2. Corinth. 5.18. ſuo reconciliavit. Hinc Paulus ad Corinthios. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi, per Ieſum Chriſtum & dedit nobis miniſterium reconciliationis.* 2. Cor. 5.18. Et mox:

Digitized by Google

Et mox: *Quoniam Deus erat in Chriſto*, Mundum *reconcilians ſibi, non imputans illis delicta.* Quibus verbis apertiſſimè conſtat, Deum per meritum Chriſti, & *reſpectu* meriti, ſeu exoluti pretij reconciliationis, *totum* mundum ſibi reconciliaſſe, nemine homine excepto, hoc eſt, reputare, & acceptare meritum filij, pro abſolutiſſima expiatione omnium delictorum totius mundi. Et hinc etiã Chriſtus expiatio dicitur, ἱλασμὸς, *non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi peccatis.* 1. Ioh. 2. 2. & 1. Tim. 2. 6. Chriſtus dedit ſemetipſum ἀντίλυτρον, hoc eſt, *pretium redemptionis* pro omnibus. Adeoque beneficium redemptionis & reconciliationis ex parte Dei, & *reſpectu meriti* Salvatoris, eſt vniverſaliſſimũ, in quo ne vnus quidem homo, neglectus, præteritus aut excluſus eſt, ſed parta & reparata eſt redemptio & reconciliatio, *pretioſiſſimi meriti reſpectu*, vniverſo mundo. *Quando* autem iam non de Deo, aut merito Salvatoris, ſed de hominibus ſermo eſt, quorum aliqui, partum & propoſitum recõciliationis beneficium, *verâ fide* ſibi applicant, maxima pars verò, per *infidelitatem*, impietatem & ſcelera, idem oblatum beneficium ſummâ ingratitudine repudiant: in illa hominum diverſitate, Spiritus ſancti linguâ *reconciliati* appellantur & ſalutantur tantùm illi, qui reconcilianti Deo obtemperant, & Chriſti merito vniverſalem partam reconciliationem, *verâ fide* amplectuntur, adeoque prehenſis cornibus Arielis ſibiipſis appropriant: vnde novo reconciliatorum titulo inſigniuntur. Clarum eſt, quod dicimus, ex ipſo illo loco Paulino. 2. Corinth. 5. Poſteaquam enim verſ. 19. dixiſſet, Deum in Chriſto, *mundum ſibi reconciliaſſe.* Confeſtim ſubiungit: Et poſuit in nobis, *verbum reconciliationis.* Et amplius: verſ. 20. pro Chriſto ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, *recõciliamini* Deo. Pulcerrima & graviſſima hæc verba ſunt, *ſummâ perſpicuitate* explicantia præſentem noſtram quæſtionẽ. Ecce enim apertè dixerat Apoſtolus, Deum *mundum ſibi reconciliare*, & non reputare delicta. Quod de miſericordi affectu Dei, & merito Chriſti expiatorio dictum eſt. Quod autem ad *nos homines* ſpectat, adhuc opus eſt *miniſterio & verbo reconciliationis:* de quo Apoſtolus, v. 18. *dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Et v. 19. *poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Opus igitur eſt, legationibus, exhortationibus & obſecrationibus, vt *reconciliemur Deo: Pro Chriſto* (inquit Apoſtolus) *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Aliud igitur eſt *reconciliatio Dei*, hoc eſt, affectus Dei miſericordiſſimus, quo per *meritum reconciliationis*, per Chriſtum, pro vniverſo mundo præſtitum, totum mundum ſibi vult reconciliatum, nemini imputaturus delicta. Aliud eſt *reconciliationis* illius, hoc eſt, meriti reconciliationis, *per fidem facta applicatio:* ex quâ applicatâ recõciliatione per fidem, Spiritus ſancti idiomate, redemptorum & reconciliatorum *titulo* inſignimur. Sic enim apud Eſa. 35. 10. & 51. 11. *Redempti à Domino revertentur, & venient in Sion cũ iubilatione, & lætitia ſempiterna ſuper caput illorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Quæ verba de regno Chriſti, & vocatione gentium vaticinium continent. Et clarius. Eſa. 62. 11. *Dicite filiæ Sion, ecce Salvator tuus venit, ecce merces eius cùm eo, &c. Et* vocabunt *eos, populum ſanctum redemptos à Domino.* Quæ omnia, non niſi de credentibus & fidelibus, tenentibus cornua Arielis, accipi poſſunt. Omnium autem clariſſimè hoc argumentum, Paulus altero quoq; loco explicat. Sic enim ſcribit ad Rom. 5. 10. *Si, cùm* inimici *eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius: multò magis* reconciliati *ſalvi erimus in vita ipſius.* Vbi magnam & emphaſin & perſpicuitatem habent Græca, quæ ita ſonant: εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες, κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ: πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ. In quibus verbis, *reconciliationis divinæ gratiam*, expreſſit Apoſtolus dicendo: Nos *reconciliatos eſſe D E O* per mortem filij, cùm adhuc inimici eſſemus. Applicationem autem *reconciliationis per fidem* factam, illis verbis notavit: multò magis *reconciliati*,

ſalvi

ſalvi erimus in vita ipſius: in græc. καταλλαγέντες. Quod enim 2.Cor.5.v.20. dicit: καταλλάγητε τῷ Θεῷ *reconciliamini* Deo, exhortans nos, vt reconciliationis meritum verâ fide acceptemus, id obſequij, in Rom.5.10. in hominibus fidelibus commendat, & quid vſus atque ſolatij habeat, graviſſimis & ſuaviſſimis verbis interpretatur: *ſi cùm inimici eſſemus* reconciliati ſumus *per mortem filij eius,* hoc eſt, meritum reconciliationis pro nobis præſtitum eſt, *multò magis reconciliati* (hoc eſt, cùm iam meritum illud reconciliationis, per fidem nobis appropriavimus) *ſalui erimus in vitâ eius.* Et hanc eſſe indubiam Apoſtoli mentem, ex immediatè ſequenti verſ. 11. clariſſimè patet, vbi ſic loquitur Apoſtolus: *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc* reconciliationem accepimus, *Græc.* δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν. Eſt igitur gratia, beneficium & meritum *reconciliationis*, quod omnes homines *ſibi fide* applicare debeant, *exoluti meriti* reſpectu, vniverſaliſſimè vniverſale, *hoc intuitu* nemine homine excluſo. Sed cùm de hominibus iam ſermo eſt, propter *fidei obedientiam* aut *inobedientiam*, ſoli illi, in Spiritus ſancti ſchola RECONCILIATI intitulantur, qui reconciliationem illam fide acceperunt.

III. *De iuſtificatione.*

Eadem planè eſt ratio, *iuſtificationis, ſanctificationis, vivificationis, adoptionis, glorificationis*, & omnium omninò beneficiorum Chriſti, quæ omnia & ſingula, eoſdem prorſus habent explicatus. Nam gratia & meritum, quod pro omnibus hominibus præſtitum eſt, omnes etiam ex voluntate & deſiderio Dei, fide ſibi applicare debent, vbique *vniverſale* eſt: Hominum verò reſpectu, quia alij quidem Evangelio per fidem obediunt, plurimi non obediunt, ideò in ſcripturis *illi tantùm* iuſtificati & ſanctificati dicuntur, qui iſtorum beneficiorum merita, *fide* apprehendunt ſibique applicant: quorum ad finem perſeverantes glorificantur. Hinc Paulus ad Rom.5.1. Iuſtificati *ex fide*, pacem habemus erga Deum. Et in eodem cap.5.v.17. *Si vnius delicto, mors regnavit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & doni iuſtitiæ ACCIPIENTES, in vita regnabunt per vnum Chriſtum.* Quæ verba ex proximè ſuperioribus, maiorem etiam lucem & perſpicuitatem habent. Illi enim ſunt & dicuntur *iuſtificati*, qui abundantiam doni iuſtitiæ fide ACCIPIVNT. Nam iuſtitia Dei eſt *per fidem* Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, *qui credunt.* Rom.3.22. Item. *Deus propoſuit Chriſtum propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, &c.* Ibid. verſ.25. Et Tertiò: *Vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui ex fide eſt IESV.* verſ.26. Et quartò: *Arbitramur igitur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* verſ.28. Et Gal.2.16. *Scientes, quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.* Et immediatè proximis verbis: *Et nos in Ieſum Chriſtum* credimus, *vt iuſtificemur* ex fide *Chriſti.* Ergò non, niſi *qui fidem* habent, *iuſtificati* ſunt. Licet meritum iuſtitiæ ſit vniverſale.

IV. *De ſanctificatione.*

Eadem planè eſt ratio *ſanctificationis*: Licet enim meritum ſit vniverſale, Spiritui tamen ſancto, *ſoli fideles ſanctificati* ſunt. Sic enim Paulus Rom.1.7. *Omnibus, qui Romæ ſunt dilectis Dei, & vocatis* ſanctis. Hunc autem titulum, non promiſcuè omnibus, ſed *ſolis credentibus* competere, ex proximo ſequente verſu manifeſtum eſt, vbi ſic habet Apoſtolus: *Primùm gratias ago Deo meo, per Ieſum Chriſtum, pro omnibus vobis, quia* Fides veſtra *annunciatur in vniverſo mundo.* Rom.1.8. Ergò fideles alloquitur Apoſtolus, & fidelibus tribuit titulum ſanctificationis, non alijs. Sic idem Apoſtolus ad Corinthios ſcribit: 1. Corinth.1.2. *Paulus Apoſtolus,* ſanctificatis *in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis.* Sed ne hoc vniverſaliter acciperetur, ſicut beneficium ſanctificationis *meriti reſpectu vniverſale eſt*, confeſtim illos deſcribit, & coniungit cum illis, qui *invocant nomen* Domini noſtri Ieſu Chriſti. 1. Corinth.1.2. Et rurſus verſ. 9. *Fidelis, inquit, eſt Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti, Domini noſtri.* Et eoſdem

Rom.1.8.

vocat

vocat *Templum Dei*, in quibus ſpiritus Dei habitet. 1. Corinth. 3. 16. Qui non, niſi fideles ſunt & credentes. Cuius apertam mentionem facit in cap. 15. v. 14. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt &* fides veſtra. Eiuſdem argumenti plura loca adduci poſſent, ſed allegata pauca ſufficiant.

Eadem omninò etiam ratio eſt doni υἱοθεσίας: quod Chriſtus merito ſuo, non minus, quàm iuſtitiam & ſanctificationem, *omnibus* omninò hominibus reparavit, voluntas quoq; & deſiderium patris eſt, vt *per fidem* omnes homines Chriſtum vnicè dilectum filium apprehendant, & per fidē fiant filij Dei. Ideò namq; filius Dei hominis filius factus eſt, vt nos efficeremur filij Dei. De quo vniverſali deſiderio & merito υἱοθεσίας Paulus loquitur. Gal. 4. 4. *Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum, factum ſub muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret*, vt adoptionem filiorum *acciperemus*, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. Meritum igitur reparatæ υἱοθεσίας, cum liberatione (ſeu merito liberationis) à maledictione legis eadem latitudine patet. Quibus enim *hoc* partum eſt, iiſdem partum eſt & *illud*. Indiſſolubili namque vinculo hæc invicem cohærent, nec tamen ſequitur, propter hanc *vniverſalitatem meriti*, omnes homines eſſe vel appellari *filios Dei*. Qui titulus *illis ſolummodò* congruit, qui Arielis cornua, hoc eſt, *vera fide* Chriſtum apprehendunt, in quo humani generis ius υἱοθεσίας per fidem acquirendæ reparatum eſt. *Nam quotquot* receperunt eum, *eis poteſtatem dedit filios Dei fieri, his* qui credunt *in nomen eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Iohan. 1. 12. *Omnes filij Dei eſtis, per FIDEM, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Galat. 3. 26. Reliqui omnes homines, qui hanc in Chriſto υἱοθεσίας gratiam *fide* non accipiunt, non Dei, ſed Diaboli filij ſunt. Sicuti Chriſtus ad perverſos Iudæorum dixit: *vos ex Patre* Diabolo *eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Iohan. 8. 44. Et Paulus ad Elymam Magum: *ô plene omni dolo, & omni fallacia*, Fili Diaboli, *inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis avertere vias Domini rectas?* Necque hoc vniverſalitatem meriti υἱοθεσίας quicquam infringit aut mutilat, ſed ſolam hominum ingratitudinem damnat: qui ius υἱοθεσίας, Chriſti merito partum, *fide* ſibi applicare nolunt. Actor. 13. 10.

V. De υἱοθεσία.

Sed quid pluribus opus? vnicum exemplum rem omnem abſolvit. *Chriſtus*, cum omnibus ſuis donis datus & oblatus eſt à Patre, vniverſo mundo. *Parùm enim eſt, vt ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & deſolationes Iſraël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.* Nec ideò tamen *totus mundus* Chriſtiano nomine inſignitur: ſed *illi tantum*, qui oblatum Meſſiam fide acceptant. Hinc Antiochiæ, diſcipuli primùm *Chriſtiani* appellati ſunt. Act. 11. 26. Cæteri, qui non ſunt diſcipuli, nec Chriſtiani ſunt appellandi. Et quæ ratio huius eſt, à Salvatore Chriſto factæ denominationis, eadem eſt omnium beneficiorum ipſius.

VI. De Chriſto mundi Meſſia. Eſa. 49. 6.

Actor. 11. 26.

Fundamentum Regula.

Magna igitur *inſcitia*, & maior etiam atque pernicioſior multò *temeritas* eſt Huberi, quòd tanto cum ſcandalo, & miſeranda Eccleſiæ perturbatione contendit, quia gratia & miſericordia Dei patris, atque meritum omnium beneficiorum Chriſti, *vniuerſalia* ſunt: Ideò *titulos etiam eſſe vniuerſales*, adeoq; omnes homines, & eſſe, & appellandos eſſe, *electos, redemptos, vocatos, iuſtificatos, ſanctificatos, viuificatos, adoptatos, &c.* Et, qui alij ſunt tituli Chriſtianorum. Nam longè alio ſtylo & phraſi, in ſchola ſua Spiritus ſanctus vtitur. Qui licet omnia iſthæc veri Chriſtianiſmi principalia capita, omniaque Chriſti Salvatoris beneficia, *meriti reſpectu*, vbiq; in ſcripturis, *vniuerſaliſſima* eſſe celebret, non alios tamen *electorum, redemptorum, iuſtificatorum*, in filios Dei *adoptatorum & ſanctificatorum* titulo dignatur, quàm eos, qui *per fidem*, Chriſtum & Arielis cornua apprehēdunt. Id, quod ex hactenus demonſtratis, cuivis non litigioſo homini, manifeſtiſſimum eſſe poteſt. Huic phraſi, & prudentiſſimæ Nomenclaturæ Spiritus ſancti, noſtram linguam & ſtylum conformantes, neque *quadraturam* noſtri Arielis corrumpimus, neque *cornua* eiuſdem refringimus, hoc eſt,

Ἀπαιδευσία D. Huberi.

Digitized by Google

Propitius noſtris SEMPER Deus annue votis.

hoc eſt, neque in deſperatam Calvinianam *particularitatem* prolabimur, quam miſericordiſſimus Deus longiſſimè à nobis & Eccleſijs noſtris paternè iubeat æternum exulare, neque in Huberianum præcipitamur chaos, quod ex æterno electionis Actu & ſalutis noſtræ conſilio, omni *reſpectu fidei excluſo*, miſeranda confuſione, ſupera & infera, cœlumque terramque miſerè commiſcet.

Plura de his in præſenti tractare ſuperſedeo. Cùm enim vtrinque illi, plures etiam alios errores foveant, ego illos tantùm breviùs attingere volui, qui Altare noſtrum Propheticum propiùs & fortiùs impugnant, & ab iſtis inſultibus ſanctiſſimum noſtrum defenſare & vindicare Arielem: Cui locus, victoria, & triumphus in æternum.

VII. DE ÆDIBVS SACERDOtum & Cantorum in tertio Atrio.

COntemplati hucuſque ſumus *Altare* noſtrum Propheticum quod in tertio medio atrio, admiranda magnitudine conſpicuum eſt. Antea verò, quàm hinc ad ipſam Ædem ſacram pergamus, non ita vel cæci vel ſocordes ſimus, quin prius etiam *Sacerdotum & Cantorum* ædes contueamur, quæ dictum Altare circumſtant. De hiſce enim ita habuimus in textu. Ezech. 40.44. *Et vidi cellas Cantorum, quæ in atrio intimo erant, alteras ſpectantes ad meridiem, alteras verſus Aquilonem. Et dixit ad me: Cellæ quæ ſpectant verſus meridiem Sacerdotum ſunt, obſervantium obſervationem Domus. Cellæ autem, quæ ſpectant verſus Aquilonem, ſunt Sacerdotum, obſervantium obſervationem Altaris, hi ſunt filij Zadock, &c.* Horum verborum qui ſenſus ſit, in textus explicatione diximus copioſiùs. Sed qui rem compendio explicatam velit, legat. 1. Paralip. 23. Ibi namq; deſcriptum extat, Davidem, in deductione Arcæ ex domo Obed Edom, numeraſſe Levitas, annos XXX. natos & maiores, & reperiſſe numerum, *triginta octo millia virorum.* Horum functiones & munera, hac ratione tributa fuerunt, vt ex dictis triginta octo millibus, *vicies quater* mille eſſent miniſtrantes, hoc eſt præfecti Atrijs, & cubiculis, & purgationibus, & coquinis. 1. Paralip. 23. verſ. 3. 27. 28. *Sexies mille* autem eſſent moderatores & judices. Ibid. verſ. 3. *Quater mille* Ianitores. Ibidem verſ. 4. 31. Et tandem, *quater mille* Muſici. Ibid. verſ. 4. 29. 30. Qui omnes in ſummā collecti, faciunt *millia triginta octo* Levitarum. Atque hi omnes adiectitij erant, & adminiſtri Sacerdotum. 1. Paralip. 23. 27. De hiſce, omnibus autem, adhuc diſtinctiùs & ſpecialiùs agitur. 1. Paralip. 25. Vbi docetur, *Filios* Aſſaph, Heman & Ieduthuv, fuiſſe Muſicos inſtrumentales, qui prophetaverint in Cytharis, Nablijs, & Cymbalis. Et Aſaphi quidem filios, præfectos fuiſſe hymnis Propheticis & eruditivis ſeu didaſcalicis, quos David vaticinando præſcripſit. 1. Paralip. 25. 2. *Filios* Iedùthun verò, præfectos fuiſſe, carminibus ἐγκωμιαστικοῖς, hoc eſt, Pſalmis, in celebrationem & laudes Dominicas, compoſitis. Ibid. verſ. 3. *Hemanitas* tandem præfectos fuiſſe Pſalmis, qui in deſcriptionem & moderationem regni compoſiti eſſent. Ibid. v: 4. 5. Et huius generis Muſicos Inſtrumentales fuiſſe Ducentos octoginta octo. Ibid. v. 7. *Hiſce ita in animum* revocatis, in meditationibus noſtris ſpiritualibus, contemplari poſſumus, quæ ſtudia noſtra eſſe debeant circa altare noſtrum, celebrare nimirum & cantare laudes divinas, & ſacrificare. Hæc enim officia ſunt Cantorum & Sacerdotum, quorum ædes iuxta Altare conſpiciuntur. Nos omnes autem eſſe *Sacerdotes*, Petrus in Epiſtola ſua, ad *electos advenas* ſcriptā, edocuit. 1. Petr. 2. 9. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui è*

Numerus Levitarum tempore Davidis.

De officiis Levitarum.

Muſici inſtrumentales.

Officium Chriſtianorum laudare Dominum.

Omnes fideles ſunt Sacerdotes. 1. Petr. 2. 9.

tenebris

Digitized by Google

tenebris vos vocavit, in admirabile lumen ſuum. Sacerdotis autem eſt *ſacrificare, & orare* pro populo. De Sacrificio porrò noſtri Altaris, iam in ſuperioribus dictum eſt, vnicum illud eſſe, & ſolius Chriſti, quo nimirum per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventâ: Sed alia ſunt noſtra ſacrificia, quæ Sacerdotes Nov. Teſtam. hoc eſt, omnes Chriſtiani, in Templo Domini, quotidiè offerre tenemur. Illa ſunt primùm *Sacrificia prædicationis* & annunciationis beneficiorum noſtri Altaris, adeoque totus cultus noſter: Fides atque fiducia noſtra, in Chriſtum Salvatorem, de quo ſacrificiorum genere, Paulus ad Philippenſes. cap. 2. 17. Etſi immolor, ſuper ſacrificio & cultu fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Hiſce *cognitis*, ſequũtur *ſacrificia* εὐχαριστικά, quibus nimirùm Deo Patri, pro miſericordia, Chriſto Servatori, pro ſacrificio redemptionis, & omnibus beneficijs, gratias agimus, illa ſunt ſacrificia laudis, multipliciter & copioſè in ſcripturis decantata. Vt Pſalm. 50. 14. *Sacrifica Deo laudem, & redde altiſſimo vota tua.* Pſalm. 107, 22. Sacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera eius. Et Pſalm. 69. v. 31. 32. *Laudabo nomen Dei cum Cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo ſupra iuvencum, cornua producentem & vngulas.* Cuius generis ſacrificia, Oſeas Propheta vocat *vitulos labiorum: Convertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Id quod Epiſtola ad Hebr. 13. v. 15. hiſce verbis interpretatur. *Per Chriſtum offeramus hoſtiam* laudis *ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Et Pſalm. 119. v. 108. *voluntarias* (oblationes) *oris mei, accepta quæſo Domine, & iudicia tua doce me.* Hiſce *coniunctum* eſt illud Sacrificiorum genus, quando agnoſcentes & celebrantes beneficia Dei, vitam ſuam omnem, ad nominis divini gloriam, & proximi vtilitatem componunt. De quo ſacrificiorum genere Paulus ad Rom. 12. 1. *Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationalem cultum veſtrum. Quæ ſit autem horum ſacrificiorum adminiſtratio, ſequente ſtatim verſu Apoſtolus interpretatur. Nolite conformari huic ſeculo, ſed transformemini renovatione mentis veſtræ, vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, placens & perfecta.* Quam eandem ſententiam, Epiſtola ad Heb. his verbis expreſſit: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis, delectatur Deus*, εὐαρεστεῖται ὁ θεός. Hebr. 13. 17. Eodem pertinet Pſalmus 51. 18. *Non delectaris ſacrificio. alias dediſſem, &c. Sacrificia Dei, Spiritus confractus, cor contritum & fractum non deſpicies.* Et Pſalm. 4. 6. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Et 1. Petr. 2. 5. *Accedentes ad lapidem vivum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, in ſacerdotium ſanctum, offerẽtes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, per Ieſum Chriſtum.* Ecce tibi abundantem copiam ſacrificiorum, quę Sacerdotibus N. T. hoc eſt, *omnibus Chriſtianis*, quotidiè offerenda ſunt. Eſt cultus divinus, ſtudium, annunciatio, cognitio, & fides verbi divini: Sunt ſacrificia laudis, & vituli labiorum. Sunt deniq; beneficentiæ, patientię, pietatis & ſanctitatis hoſtiæ, quibus totus Chriſtianus orbis, ſine intermiſſione occupatus eſt. Qua ipſa de re Malachias quoque vaticinatus eſt: *Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco adolebitur, & offeretur nomini meo, oblatio munda, dicit Dominus exercituum.* Hæc munda oblatio, eſt cultus fidei, cultus rationalis, de quo ex ſcripturis iã ſatis dictũ eſt.

Hebr. 9. 12.

Sacrificia fidelium.

I. Sacrificia fidei.

II. Sacrificia laudis.

Oſe. 14. 3.

III. Sacrificia ſanctæ pietatis.

Malach. 1. 11.

Singulariter autem illud notandum, quod monſtrator Prophetę noſtro, Sacerdotes monſtrans, dicit: *Hi ſunt filij Zadoc.* Ezech. 40. 46. Quod repetitur in cap. 44. 15. Vbi nos nihil repetimus, de promiſſâ continuatione Sacerdotij, lineæ Aaronis, Phinees factâ. Num. 25. 13. Sed tùm ad *nominis* etymologiam, tùm ad *ſucceſſorum integritatem*, quæ cap. 44. 15. commendatur, reſpicientes: in contemplatione noſtra ſpirituali dicimus, illos eſſe *filios Zadoc*, qui ſunt צַדִּיקִים hoc eſt, *iuſti, ſancti, integri, & perfecti.* Tales igitur, nimirũ filios Zadoc, & צַדִּיקִים hoc eſt, iuſtos & ſanctos, omnes eſſe oportet, qui Sacerdotes, hoc eſt, cives eſ-

Omnes Chriſtianos oportet eſſe filios Zadoc.

ſe volunt, in regno Chriſti. *Sancti enim eſtote, inquit Dominus* [illegible] *ſum.* Et hoc eſt ſignaculum Domini, [illegible], vt omnis Chriſti cultor [illegible]

2. Timoth. 2. 19.
integer vitæ, ſceleris purus, ſic pronunciante Apoſtolo: [illegible] *mentum Dei, habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus, qui ſunt* [illegible]

Iniquitate pollutus non eſt Sacerdos in regno Chriſti.
iniquitate, *qui nominat nomen Chriſti.* Hoc enim ſignaculum [illegible] mum & firmiſſimum fundamentum Domini, vt [illegible] fugerit, non ſit Sacerdos in Templo novo. Apoſtolus [illegible]

2. Timoth. 2. 21.
vaſa ſanctificata in honorem: *Si quis ſe emundaverit ab iſtis,* [illegible] *ctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* [illegible] Dominus cap. 44. v. 9. &c. apud Ezechielem [illegible] *gena, præputiatus corde, & præputiatus carne non veniet ad* [illegible] *erraverunt à me, ſequuti Deos ſtercoreos, reportabunt iniquitatem ſuam.* [illegible]

Tit. 2. 11.
gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem [illegible] *cularia deſideria, modeſte, & iuſte, & piè* [illegible] *ſeculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei.* [illegible]

Tit. 3. 8.
ſermo: Et de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus [illegible] *hæc ſunt bona & vtilia hominibus.* Tales oportet eſſe Sacerdotes N. Teſt. [illegible] omnes Chriſtianos, de quibus Apocal. 1. 6. *Chriſtus dilexit nos, &* [illegible] *catis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos* reges & Sacerdotes *Deo & Patri ſuo.* [illegible] *ria & Imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.* Hactenus de Sacerdotibus.

DE MVSICA.

Sed ad *Muſicam* quoque attendendum. Videmus iuxta Altare, e [illegible] ędium Sacerdotum *muſicorum* quoque conclavia.

1. Muſices antiquitas.

Vbi primùm in genere de *muſica* aliquid meditandum: Inde de [illegible] dem *vſu.* Artem igitur *muſicam* ortus antiquitate nobiliſſimam eſſe, ex Geneſi

Geneſ. 4. 21. Muſices primus Author.

conſtat, vbi *Iubal*, filius Lamechi Bigami, inventor & Author celebratur [illegible] nentium *Cytharâ & Organo.* Quibus vocibus omnis generis *inſtrumenta* comprehenduntur, quæ vel digitis aliisue modis pulſata, vel ſpiritibus [illegible] inflata ſonant, Græcis, [illegible] appellata. Illius generis [illegible] cytharę, cymbala, tympana, pādurę, teſtudines, & quæ id genus alia. [illegible] vero ſunt, fiſtulæ, tubæ, organa, &c. Horum inventor & author [illegible] Quam *frequenti* verò *in vſu*, omnibus ſeculis muſica fuerit, vel ex Iacobi [illegible]

Muſices vſus tempore Iacobi.

ria manifeſtum eſſe poteſt: Hic enim, cùm exactis in Meſopotamia ſer[illegible] omnis, vnâ cùm vxoribus & liberis ſuis in patriam tenderet, perſequutus [illegible]

Geneſ. 31. 27.

eum Socer Laban, qui obiurgans dixit ad eum. *Cur ignorante me fugere* [illegible] *ſti, neque indicaſti mihi,* vt proſequerer te cum gaudio & canticis, & [illegible] & cytharis. Quibus verbis clarum eſt, iam tum temporis (circa annum [illegible] di 2205. ante natum Salvatorem annos 1874.) tam vocalem, quam [illegible] mentalem (vt vocant) muſicam, in vſu, atque gaudiorum [illegible] beri ſolitam fuiſſe. Idem ex *hiſtoria exitus* ex Ægypto fit manifeſtum. Po[illegible]

Tempore exitus Iſraelitarum ex Ægypto.

quam enim, ſuffocato Pharaonis exercitu, ſalvi evaſiſſent Iſraelitæ, non [illegible] tum Moſes cum omni populo Iſraëlitico, *carmen eucharisticum* Deo decanta[illegible] runt. Sed Mirjam etiam Soror Moſis, & omnes mulieres, cum tympanis [illegible] choris egreſſæ ſunt, celebrantes & collaudantes Dominum [illegible] Exod. 15. verſ. 1. 20. Sed quid de Moſis temporibus prolixius, cum *Iobus*, quem

Tempore Iobis.

ante Moſen vixiſſe, extra dubium eſt, iam ſuo tempore, & muſices & [illegible]

Iob. 21. v. 11. 12.

num mentionem faciat? Sic enim ille de impiis: *Educunt tanquam o*[illegible] *los ſuos, & nati eorum* ſaltitant. *Tenent* tympanum & cytharam, *&* [illegible] *ſonitum* organi. Et cap. 30. 31. *Adluctum redacta eſt* cythara *mea, &* Or[illegible]

Quo tempore Iobus vixerit.

meum ad vocem flentium. Facta autem mentione de antiquitate Iobis, [illegible] breviter attingo, quibus argumentis ea concluditur. Col[illegible] nempe illa, non tantùm ex *perſonarum & gentium* nominibus, quarum in antiquioribus hiſtorijs mentio fit. Sed etiam ex *Sacrificijs* Iobis, q[illegible] *quotidie* pro peccatis liberorum obtuliſſe legitur. Iob. 1. 5. Cum enim [illegible] legem,

legem, non niſi ad Arcam vel Templum Domini ſacrificia offerre liceret, Iobus certè, vel non contra legem peccaſſet, vel tantam pietatis laudem à Domino legis prævaricator non reportaſſet. Cum *primis* autem antiquitas Iobi *ex ætate* eiuſdem longæva concluditur. Novimus enim quid Moſes de vitæ humanæ periodo definiat: Pſalm. 90. 10. *Dies annorum noſtrorum* ſeptuaginta *ſunt: Si valentiſſimi* octoginta, *& excellentiſſimum eorum labor & dolor.* Hæc periodus fuit ætatis humanæ tempore Moſis. Iobus autem poſt cladem illam ſuam domeſticam, vixiſſe adhuc ſcribitur, annos *centum & quadraginta.* Quos annos attigerit ante cladem, non definitur quidem, ſed iam tum in cõiugio vivens, adultos filios habuit ſeptem, & filias tres. Qui liberi & ipſi, bene multos etiam annos Iobis, feliciter agentis, arguunt. Hinc *Philo* Iudæus, dictam Iobis hiſtoriam, ad tempora Patriarchæ Iacobi refert, & quidam etiam, alij etiam illam vxorem Iobis, Dinam, Iacobi filiam fuiſſe, autumant. Vt vt ſit, Iobis hiſtoriã Muſices tempora antegreſſam eſſe, nullum videtur habere dubium, & hinc Muſices *antiquitas*, cuius Iobus in hiſtoria ſua meminit, dilucidè conſtat. Et ita conſtat, vt in publico & frequenti vſu fuerit Muſica, omnibus ſit apertum.

De vſu porro Muſices, etiam aliquid meditandum. Illum inde ab antiquitate ſeculorum triplicem ferè fuiſſe deprehendimus. *Politicum, militarem, & ſacrum.* Politicum dico, quod tàm pij, quàm impij, rebus ſecundis & proſperis, in lætitijs & feſtivitatibus ſuis, frequenter, vt etiamnum fieri ſolet, muſicam adhibuerunt, vel ſeipſos, cantionibus aut organis exhilararunt. Conſtat id ex verbis Labanis Meſopotamici: *Cur ignorante me fugere voluiſti, neque indicaſti mihi, vt proſequerer te cum gaudio,* & Canticis, & Tympanis & Cytharis. Conſtat ex verbis Iobis. *Educunt impij tanquam oves, parvulos ſuos, & nati eorum* ſaltitant, *tenent* tympanum & cytharam *& gaudent ad ſonitum organi.* Iobis 21. v. 11. 12. Conſtat idem ex verbis Eccleſiaſtis cap. 3. 4. *Tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus ſaltandi.* Et clariùs etiam ex Syracidis cap. 40. 20. *Vinum* & muſica, *lætificant Cor.* Et rurſus cap. 32. v. 7. 8. *Sigillum carbunculi impoſitum ornamento aureo, eſt* concentus *Muſicorum in vini convivio. Sigillum ſmaragdi in aureo inſtrumento, eſt* muſicorum melos *ad vinum ſuave.* Et Homero teſte: *Cantus & ſaltatio, conuiuij ſunt appendices.*

II. De vſu muſices.

1. Vſus politicus.

Geneſ. 31. 27.

Huic politico ſeu domeſtico muſices vſui adiungere placet, *cantus lugubres,* ſeu *triſtium elegias & planctus,* ſive voce humana illi, ſive alijs inſtrumentis decantentur. Cuiuſmodi lugubria carmina non tantum habemus in ſacris, vtpote ſunt lamentationes Ieremiæ, planctus Davidis in occubitum Saulis. 2. Samuel. 1. v. 16. 17. Et Amos. 5. 16. *Vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere.* Ad publicos enim luctus, publici planctores conſtituebantur. Matth. 9. 23. Sed in vſu quotidiano etiam plurimas habemus Threnodias & lugubres cantus.

Militarem vſum ipſa quoq; ſcriptura nobis monſtrat. Buccina namque & tubis, miles & ad arma vocatur & cum receptui canitur, revocatur. Tympanis & tubis & milites & equi, in pugnam accenduntur. Qua de re Iobus cap. 39. v. 25. & ſeqq. *Equus ridet pavorem, neque reuertitur metu gladij. Stridente pharetrâ ſplendente lanceâ & haſtâ. In fremitu & commotione abſorbet terram,* hoc eſt, celerrimo curſu prætervolat, *neque credit, quod vox buccinæ,* (ſcil. receptum canter) hoc eſt, accenſus in pugnam equus, ad buccinæ ſonitum non ſubitò revertitur. *Ad buccinæ ſonitum, dicit euge, cum è longinquo odoratur bellum, ſtrepitum principum & clamorem.* Eadem de re exempla legimus: verbi gratia. 2. Sam. 2. v. 26. Poſteaquam *Abner* pro Domo Saulis, *Ioab* cum fratribus, pro Davidis domo, funeſtis certaminibus totam diem depugnaſſent, & Abner tandem in hæc verba Ioabum victorem inclamaſſet: *Num in æternum devorabit gladius? An ignoras quod amaritudo in fine? vſq; quo non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos: Ad iſthæc Ioab: viuit Dominus: Niſi loquutus fuiſſes* (irritando videlicet & provocando

2. Vſus muſices militaris.

Iob. 39. 26.

2. Sam. 2. 26.

ad duellum vtriuſque partis milites, ex quo reliqua pugna initium ſumpſit. Qua de re in verſ.14. tractatur *) tam à mane, quiſq; receſſiſſet perſequens fratrem ſuum. Inſonuit ergo Ioab* buccinâ,& ſtetit omnis exercitus, *nec perſequuti ſunt vltra Iſrael. Simile exemplum* legimus,de prælio Abſalomis. Poſteaquam enim ille

2.Samuel.18. v.9. & 14.

à quercu ſuſpenſus,& cor,tribus Ioabi telis,tranſfixum, [illegible] mille viri,trucidati eſſent,cecinit vel clanxit Ioab *buccina & retraxit ſe* [illegible] *populus,ne amplius perſequeretur* Iſraëlem. *Tertium exemplum* in eodem lib. cap. 20. v.16.extat. Cũ enim *Scheba*, ſeditionis & defectionis Iſraeliticæ author, Abelum Beth-Malcheæ profugiſſet, eamq; civitatem Ioabus obſidione cinxiſſet, mulier autem ſapiens Abelæa,cũ Ioabo tractaſſet, vt proiecto capite Schebæ, obſidione vrbem ſolveret: conditione igitur completâ, & capite proiecto per muros,confeſtim Ioab *Buccinâ clanxit*, & ſolutâ obſidione quiſq; in ſua tentoria reverſi ſunt. Huius generis plura & in hiſtorijs,tàm ſacris quàm prophanis, & quotidiano in vſu,exempla muſices & muſicorum inſtrumentorum reperiuntur. Quòd tubis, buccinis, & tympanis alijsq; inſtrumentis & ineundum & finiendum bellum, initio & receptui canitur, tàm milites quoq; & equi,ad certandum & pugnandum *accenduntur inflammanturq;*. In eodem argumento explicando verſatur Paulus. 1 Cor.14.7. *Quæ ſine anima ſunt, vocem dantia, ſive tibia, ſive cythara: niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur,aut quomodo cythariʒatur? Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?* hoc eſt,niſi diſtincte & certo modo ſonet buccina,non intelligit miles, vtrum iniri iubeatur prœlium,aut receptui canatur. Hactenus de vſu muſices militari.

2.Samuel.20.v.16 & 22.

1.Corinth.14.7.

3.Vſus muſices ſacer.

Primarius autem & maximè principalis muſices vſus *Eccleſiaſticus eſt*. Neque enim ad iucunditatem tantùm & delectationẽ in rebus politicis, ſed ad ornatum etiam, gravitatem, & *affectuum puritatem*, ſynceritatem atque ardorem in *rebus ſpiritualibus* excitandum exprimendumq; muſica adhiberi debet,& adhibita eſt *antiquitùs*. Hinc non ſolùm in *deductione Arcæ* Domini, ex

Solennis.

ædibus Abinadab, David Iſraëliticus Rex & tota Domus Iſraëlis lætantes geſtiebant coram Domino, perſonantibus omnis generis inſtrumentis muſicis, *Cytharis* nẽpe, & *Nablis,& Tympanis,& Tubis & Cymbalis*.2.Sam.6.5. *Sed* multo ante tempore,& Moſes & omnis populus,cùm primis etiam Mirjam & omnes fœminæ pro admiranda liberatione, & deductione per mare rubrum, Deo grates hymnis concelebrant, adhibitis *tympanis & fiſtulis*. Ne vero ſingularium

Exod.15.v.1.20. Ordinarius.

duntaxat caſuũ exemplis res confecta videatur,ordinariæ conſtitutiones attẽdantur, quibus regius vates David,cultum divinum exornatum & amplificatum,tùm etiam ad pietatis & affectuum ſynceriſſimas atque ardentiſſimas rationes conformatum eſſe voluit. Quam ob cauſam, ad laudes divinas perpetuò & ſine intermiſſione quotidie decantandas,ordinavit *quatuor millia muſicorum* de Levitarum numero. 1.Paral.23.4. Quos inter inſtrumentalis muſicæ

Muſica Davidis.

Doctores fuerunt *ducenti octoginta octo*. 1.Paral.25. 7. Quorum omnium officium erat,vt *ſtarent vnoquoque mane & veſpere ad celebrandum & laudandum Dominum Iehovam*.1.Paral.23.29. Hæc quanta *maieſtas* fuerit, quantam etiam pijs

Maieſtas Davidica muſices.

animis religionem, attentionem & devotionem excitarit, facilius eſt, paucis attingere, & ad meditandum, digitum leviter intendere, quàm vel digna oratione rei gravitatem exprimere, aut exemplis comparabilibus imitari. Cogita autẽ tu, quæ ineffabilis iſthæc maieſtas, & noſtris ſeculis inaudita vis muſices fuerit, quando tantus Cantorum numerus, non tantum voce, ſed adhibitis etiam *Nablis,tympanis,tubis,cymbalis* & id genus alijs inſtrumentis muſicis, totũ aërem,vſq; ad cœlos harmonico concentu compleverũt. Licet enim vno codemq; tẽpore,non oẽs cantores muſicæ interfuerint, ſed per vices officijs ſuis ſint defuncti: dubium tamen non eſt, in *feſtis ſolennioribus*, vel omnes, vel maximam eorundem partem, in muſica exornanda occupatos fuiſſe. Quæ res præter maieſtatem & gloriam, quá ſingulariter,& ad ſtuporem vſq; excelluit, ad

Religio,

Religionis *devotionem* plurimum etiam ponderis atq; valoris habuit. Si enim *bruta animalia*, harmonico concentu delectantur, & Deo ipſe conteſtante, equus buccinæ ſonitu in prælium accenditur: ipſis certè beſtijs illorum animos, magis obbrutuiſſe oportet, qui ſuaviſſimis muſices concentibus non commoventur. Experientiâ conſtat, humaniora pectora (quæ non Marpeſia induravit cautes) harmonicis concentibus, non minùs quàm eloquentię viribus, quas ſummas & maximas eſſe omnibus notum eſt, in hos aut illos *affectus* permoveri. Sicut etiam nobiles *picturæ*, & ad vivum expreſſæ imagines, per oculos in corda deſcendunt, & quæ ad lætitiam & gaudium efficta ſunt, vt convivia, feſtivitates, nuptiæ, & id genus aliæ, ipſos animos & corda faciunt ſubſilire, quæ contra ad triſtitiam & luctum ſunt efformatæ, vt ſunt vulnera, cædes, martyria, exquiſita atque horrenda ſupplicia, ſpectra quoque & dæmonum vmbræ, ipſo aſpectu corda perturbant, metumque & horrorem incutiunt: Ita nobilis quoque & artificioſa muſica, vel ad lętitiam & gaudia animos auditorum excitat, vel ad ſympathiam & luctus ſocietatem flebiliter invitat, vel denique propter concentus, ad ipſius textus naturam & viſcera, accommodatam conformitatem, tanquam in rem præſentem, non tantum auditores, ſed etiam vt ſpectatores adducit. Adeoque vt pictura per oculos cor informat, ita muſica per aures idem afficit, & quò vult, commovet & permovet. Et vtraque harum artium, illa *coloribus* expreſſa, hæc *harmonica* iucunditate, vivificata eloquentia eſt. Quæ res in pietate & religione, quantum ad audiendum, attendendum & meditandum res ſacras efficaciæ & virtutis habeat, verbis explicari non poteſt. *Linguæ* enim quibus cordis affectiones, ex *nobiliore Muſica* exortas exprimat, *voces deſunt*, quilibet piorum, hanc muſices nobilitatem, in corde ſuo edocetur.

Muſica contemptores ipſas feram beſtialitate vincunt. Iob. 39. 28.

Muſices comparatio 1. Cum eloquentia.

2. Cum arte pictoria.

Eloquentia vivificata.

Sacra muſica pietatis affectus plurimum movet.

Quam ipſam ob cauſam muſica, etiam *Prophetiæ* titulo, in ſacris exornata eſt. Sic enim 1. Paralip. 25. 1. *David & Principes exercitus, diſtinxerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun, qui* prophetabant *Citharis, Nablis & Cymbalis.* Et ibid. verſ. 3. *Filij Idithun, Godolias, Sori, Iſaias, Haſabias & Mathathias, ſex ſub manu patris ſui Idithun qui in* Cithara prophetabant, *celebrando & laudando Dominum.* Muſica igitur *Prophetia* eſt, hoc eſt, ſuo in genere cultus ſacer & Deo placens, ad ornamentum, attentionem & devotionem, laudem, etiam & encomion Dei, rerumque divinarum, inſtitutus. Quem Principalem & maximè primarium muſices finem eſſe diximus. Nam Cantorum ædes, non *iuxta hoſpitia* publica, nec iuxta *conviviorum, aut chorearum palatia*, ſed in *Atrio ſancto*, ad Altare holocauſti ædificatas videmus, vt appareat, rerum divinarum celebrationem & laudes, primarium ſibi muſices vſum vindicare.

Muſica Prophetia ſpecies.

Muſices ſacra definitio.

Neque eſt, vt in eas quiſquam cogitationes deſcendat, hunc muſicæ vſum, in pueritia & ruditate Eccleſiæ Hebrææ locum habuiſſe, vbi concionum minùs, cantionum autem & ſacrificiorum plus in vſu fuerit. Hodie verò in Eccleſię adulteriore, cōciones perſonare: cantiones autē & muſicos concentus obticuiſſe debere. Cuiuſmodi figmenta Calviniani ſomniant, dicentes, muſica Inſtrumenta ruditati & pueritiæ Eccleſiæ convenientia, divinis *olim* celebrandis laudibus adhibita fuiſſe. Vnde exiguus Muſices in Calvinianis Eccleſijs, ad Organa maximè & reliqua inſtrumenta muſica quod pertinet, vſus ſupereſt. Sed ſomnia hæc plurima ſcripturarum loca explodunt: hoc loco duos poſtremos Pſalmos citaſſe ſufficiat: *Cantate Domino Canticum novum, laus eius in Eccleſia ſanctorum. Lætetur Iſraël in eo, qui fecit eum, & filij Sion exultent in Rege ſuo. Laudent nomen eius in choro, in Tympano & in Cithara, pſallant ei, &c. Et Pſalm. vltimo: Laudate Dominum in ſono tubæ: Laudate eum in Nablo & Cithara: Laudate eum in Tympano & choro: laudate eum in chordis & organo: Laudate eum in Cymbalis iubilationis.* Omnis ſpiritus *laudet Dominum.* Ne quis autem

Refutantur Calvinianorum ſomnia, de muſices vſu in Novo Teſtam. ſublato.

Iſaac Feguernikinus, in Enchir. voce Muſica.

Pſalm. 149.

Pſalm. 150. 3.

tem dicat, ciuſmodi Pſalmos, de *Veteris Teſtamenti* cultu intelligendos eſſe: ſciendum, eoſdem ipſos Pſalmos vaticinia & deſcriptiones eſſe Novi Teſtamenti, & prædicationis Evangelicæ. Hoc enim eſt Canticum *illud novum*, quod Tympanis, Citharis, Nablis & Cymbalis, Hymnis & Pſalmis decantādum eſt.

Epheſ.5. 18.

Qua de re etiam D. Paulus. Epheſ.5.18. *Implemini Spiritu, loquentes vobiſmetipſis*, Pſalmis & Hymnis, & Canticis *ſpiritualibus*, cantantes & pſallentes *in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper, pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri*.

Coloſſ.3.16.

Et ad Coloſſ.3.16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia: docentes & commonentes voſmetipſos in* Pſalmis & hymnis, & Canticis *ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Domino*. Et quod Apoſtolicis verbis præceptum eſt, in primitiva quoque Eccleſia *vſu* fuit receptum.

Muſices vſus in primitiva Eccleſia.
1. Corinth.14.26.

Ad Corinthios namque ſcribens Apoſtolus, *pſalmodias* in congregationibus ſanctorum vſitatas fuiſſe hiſce verbis meminit: *Quid ergò eſt, fratres, cùm convenitis, vnuſquiſque veſtrum* Pſalmum *habet, doctrinam habet, Apocalypſin ſeu revelationem habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*. Inde igitur, vſq; à primis Apoſtolorum temporibus, *Hymni & Pſalmi*, hoc eſt, *cantiones & muſica inſtrumenta*, in conventibus fidelium vſitata fuerunt. Hoc enim græcæ vocis etymon evincit, ſignificat enim ψάλλειν *fidibus ludere, fidibus aut cithara canere*:

Pſalmus quid ſit?

Et ψαλμὸς, fidium cantus eſt, vel carmen fidibus decantatum. Quando igitur Apoſtolus, *Hymnos, & Pſalmos* nobis commendat, ſacram ſimul muſicam, tàm *inſtrumentalem* quàm *vocalem* commendat.

Quid ſit Apoſtolo, in cordibus cantare.

Quod autem dicit cantandum & pſallendum Domino in cordibus noſtris, id verum Muſices vſum exprimit. Non videlicet *aures* duntaxat ferire eam debere, ſed *mentes & animos* noſtros, harmonico concentu, in Domini laudes excitandos eſſe. Exterior igitur *artificialis muſica*, interioris, ſpiritualis & cœleſtis, incitamentum & fomentum eſſe in Eccleſia debet. Quod etiam de Pſalmis ſeu fidium cantibus in *ſpecie* dicitur, in *genere* illud de omnibus inſtrumentis muſicis, cuiuſmodi in citatis Pſalmorum textibus, plura nominata ſunt, eſt intelligendum. Nam quod *Nabla, Tympana, Cymbala* & id genus alia veteribus fuerũt, id *tuba, buccina, organa, teſtudines, pandura*, & quæ alia ſunt inſtrumenta muſica noſtro ſunt ſeculo. Sicut igitur, David Iſraëliticus Rex, magna pietate *quater mille muſicos*, quorum bona pars *inſtrumentales* fuerunt, in cultus divini ornamentum & religionis devotionem inſtituit: ita, qui in N. T. rebus divinis muſicum ornatum decuſq; adhibent, pia cum Davidicis laudibus æmulatione decertant.

Hiſce ita expoſitis, non ſine admiratione conſiderandum venit, quid cauſæ ſit, cur dogmatis Calviniani Spiritus, tàm adverſo & inimico ſit in Muſicam animo. Quòd enim illorum opinione ad *ruditatem & pueritiam* Eccleſiæ pertinuerit, quòd olim cultui ſacro muſica inſtrumenta adhibita fuerunt, iam in ſuperioribus expoſitum eſt.

Heydelbergiſche außführlicher Beriche / Anno 1607. pag.457.

Et paucos ante annos *Heidelbergenſes* in hæc verba ſcripſerunt: *Plures ſanè adhuc reformatæ Eccleſiæ reperiuntur* (hoc autem titulo Calvinianas inſignire ſolent) *in quibus organorum adhuc vſus ſupereſt. Generaliter autem organis non vtimur, quia plus inde* impedimenti, quàm commodi *cultui ſacro provenire compertum habemus*. Hæc illi.

Zvvinglii iudicium de Muſica.
Tom.2.fol.181.b.

Zvvinglius autem, quem muſices vſum crediderit, ex eiuſdem Reſponſione ad Epiſtolam Iohannis Fabri patet, vbi numero marginali X. hiſce verbis cum Fabro expoſtulat: *Præterea aulicam chelym, & alia muſica inſtrumenta mihi obijcis Faber. Atqui aulicam chelym non agnoſcere me fateor, nec ſcio quale nam illud inſtrumentum ſit, tu fortaſſe eius me multò es peritior. At chely, fidicula, tibijs & alijs huius generis inſtrumentis canere olim didici, nec me eius artis adhuc pænitet:* nam liberos eiulantes hac compeſcere licet, &c. Et poſt aliqua: *Atqui tua illa Eccleſia, non muſicam modò, ſed & Campanarum ſonum, inter cultus divinos numerat*. Quibus verbis Zvvinglius ridendo Fabrum, muſices etiam vſum in Eccleſia ridet, infantibus placandis illum deſtinans. Nos autem, qui muſicam in ſacris peragendis adhibemus,

Digitized by Google

Epheſ.5.18.

Melancholicus Calvinianorum Spiritus.

bemus, non ex ea ſimpliciter cultum facimus, ſed cultui *ornamentum*: nobis autem & cordibus noſtris *ignem* & *devotionem* addimus, Apoſtoli monitu: *Loquimini invicem* Pſalmis, & Hymnis, & Canticis *Spiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Subtriſtem igitur, valdè melancholicum & totum deſperatum eſſe oportet Spiritum Calvinianorum, qui muſicis inſtrumentis plus impeditur, & deijcitur, quàm adiuvatur, & excitatur, in peragendis cultibus ſacris.

De abuſu muſices.

Sententia in eos, qui muſica abutuntur.

Sed ex meditatione hac ſpirituali de vero muſices vſu etiam illud conſtat, quàm nefariè eâdem illi abutantur, qui quicquid artis aut elegantiæ in muſico artificio habent, non tantùm in Argumenta ludicra & prophana, ſed, quod multis gemitibus deplorandum eſt, in laſciva & impudica conferunt. Id nimirùm non eſt Ægypti ſpolia, Domini Tabernaculo conſecrare: ſed vaſa Domini ſancta, Babylonicâ impietate & faſtu ſceleratè contaminare & conſpurcare. Cuius generis hominibus non illud tantùm iudicium imminet, quod in *ſervum nequam & pigrum* pronunciatum eſt, qui Talentum à Domino commiſſum, in terram abſconderat. Sic enim contaminati illi muſici nemini nocerent. Sed longè gravius illis paratum eſt, vtpote qui non ſolùm concredito Talento non vtuntur, ſed nefariè eodem abutuntur. Et tanto maior eſt, abuſus, quòd non in ipſos duntaxat ſpurcos authores, ſed in omnes illos, quos fœdis & impudicis ſuis compoſitionibus corrumpunt, redundat. Minus enim peccarent, ſi Talentum abſconderent, quàm dum proferunt & negotiantur, omni arte ſua, artem ipſam ſanctiſſimam prophanant, pias aures offendunt, & leviorum hominum animos, in multiplices vanitates abripiunt, libidinumq; flammas accendunt. Si enim bonos mores colloquia prava corrumpunt, 1. Corinth.15.33. Idem certè efficacius præſtant laſciuæ cantiones. Quod igitur in vaniloquos nugatores dictum eſt: *Dico vobis, quoniam* omne verbum *otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij,* Matth.12.36. Idem in vanos illos muſicos dictum putato, qui de omni nota ſua, fuſa etiam vel ſemifuſa, quas in cantilenas nugatorias, laſcivas & impudicas concinnarunt, in extremo illo Iudicij die rationem ſunt reddituri, ac niſi in tempore pœnitentiam egerint, cantiones illorum in æternos eiulatus cōmutabuntur. Hæc de vſu muſices: qui quantò eſt nobilior, tantò maiore ſtudio ab eiuſdem abuſu, omnibus abſtinendum.

Et hæc ex ſacris. Non exiguus autem *muſices vſus*, apud reliquas etiam gentes ſemper fuit. In tantum namque honoris culmen apud Romanos muſica evaſit, vt illam & ſacris & alijs publicis Ceremonijs adhiberent. Et apud Græcos, iidem *muſici, vates & ſapientes* erant, hoc in more poſito, vt poſt Cœnam Lyra circumferretur, quam cùm recuſaſſet *Themiſtocles*, indoctior habitus, *Cimon* verò & *Epaminundas*, quòd fidibus ſcirent, prælati fuerunt. Sed de his alij alibi. Nos ad alia progrediamur.

VIII. DE IPSA ÆDE SACRA.

I. A Deo omnium rerum principium.

Muſices dulcedine, ad cantorum ædes nimis diu commorati fuimus: ita namq; fieri ſolet, vt quæ grata nobis atq; iucunda ſunt, temporis horas nobis fallant. Nullum etiam temporis momentum, moleſtum nobis atq; iniucundum eſſe debet, quod rerum ſacrarum ſtudijs, precibus & laudibus divinis eſt tribuendum. Sed hinc iam ex tertio atrio ad ipſam *AEdem ſacram* pergimus, quæ in montis vertice vario ornatu illuſtris emicat. Structuram autem, cùm in Architectonicis verſaremur, abſolvimus, iam modò contemplationes & *meditationes* ſpirituales, quæ inde oriuntur, Domini Spiritu nos adiuvante, religiosè ſuſcipiamus. Quoniā.n. Sacerdotib. V.T. quoties ad res ſacras peragendum Tabernaculū aut Templū ingreſſi ſunt, non niſi lotis ingredi licuit, ita diſponēte Domino: *Facies labrū aneū cū baſi ſua ad lauādū, pones q; illud inter tabernaculū teſtimonii & altare, & miſſâ aquâ, lavabunt in eo Aaron & filij eius manus ſuas atq; pedes* *Exod.30.18.*

quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum Teſtimonij, aut acceſſuri ad altare, quando, inquam Sacerdotibus non niſi lotis ad ſacra accedere integrum fuit: nos etiam ad noſtrum Templum non citius, quàm precibus fuſis, quibus in conſpectu Dei purificamur, accedamus. Hoc eſt, omnium *ſtudiorum noſtrorum initium ſint preces*, omnium concionum noſtrarum, vel *meditandarum*, vel *proponendarum*, vel

Formula precum. *audiendarum* ſint preces & vota. Aperi tu Deus labia mea, & annunciet os meum laudem tuam, *aperi* tu Deus corda noſtra, vt attendant ad mandata tua, *aperi* Domine & erudi oculos noſtros, vt cum iudicio & multa noſtri informatione ſanctiſſimum Templum tuum poſſimus contemplari.

II. Duæ columnæ ante Templum. Precibus fuſis, ad *Ædem ſacram*, quæ Atrio tertio proximè imminet, oculos attollimus, & primùm omnium ad limina Templi *duas columnas* videmus. Sic enim textus habuit: Ezech. 40. 49. *Columnæ erant ad limina, vna hinc, & altera inde.* Hæc Ezechiel noſter breviſſimè attingit: ſed in templo Salomonis, eiuſmodi duæ columnæ, quas Salomon ante portas Templi, dextram alteram, alteram ſiniſtram erexerit, copioſiſſimè deſcribuntur, vt videre eſt, 1. Reg. 7. 15. & ſeqq. 2. Paralip. 4. v. 12. & ſeqq. Ierem. 52. v. 21. & ſeqq. vbi columnarum iſtarum *altitudo*, deſcribitur octodecim cubitorum. *Circumferentia* duodecim cubitorum & conſequenter *craſſitudo* quoq; ſeu diameter quatuor cubitorum, hoc eſt, ſex pedum. Eſt enim circumferentia, vt ex mathematicis ſcholis notũ

Nomina columnarum. eſt, ad diametrum *tripla ſeſqui ſeptima, quã proximè*, & cubitus ſeſquipes. Deſcribuntur etiam columnarũ iſtarũ *ornamenta* & capitellorum, quæ miro artificio & pulcritudine contexta fuerunt. In ſpecie *nomina* exprimuntur, quibus Salomon columnas iſtas inſigniverit. *Dextram* enim nominavit יָכִין Iachin, *Siniſtram* verò בֹּעַז Boaz. Significat autem יָכִין aptabit, ſeu ſtabiliet. Et בֹּעַז in eo robur. Compoſitum enim creditur ex בּוֹ in eo, & עֹז Robur. Quid putabimus igitur duas iſtas columnas nobis deſignare, ad limina Templi noſtri Prophetici poſitas? Quid aliud verò, quàm Dominum eſſe Eccleſiæ ſuæ ſtabilimentum, fundatorem & protectorem. Ipſe enim ædificat & fundat Eccleſiam. In ipſo eſt robur & fortitudo, ad conſervandum, propagandum, & defendendum Eccleſiam contra omnes inimicos & hoſtes. Ipſe ſtabiliet, in ipſo namque robur, Iachin, Boaz. Experimentum dedit Dominus defendendo & deducendo populum ſuum Iſraëliticum per invia deſerti, cum per diem in *columna nubis*, per noctem in *columna ignis*, Dux illos præcedebat. *Nunquam* enim *defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo*, Exod. 13. v. 21. 22.

Pii columnæ in Eccleſia. Sed & ipſi *pij* promiſſiones habent, ſi in fide & patientiâ mundi ærumnas vicerint, Dominum ipſos *columnas* in Templo ſuo effecturum eſſe. Sic enim Apocalypſ. 3. 11. legimus: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnã in Templo Dei mei, & forâs non egredietur amplius.* Quibus pauciſſimis verbis, magna & æterna ſalus credentibus promittitur. Salutis

Columnarum ornamenta. namq; perpetuitas, *columnarũ* titulo inſinuatur. Gloria verò, dignitas & maieſtas, columnarum denotatur *ornamentis*. Vt enim columnarum capitella malogranatis aliijsq; operibus ad dignitatem & magnificentiam, fabrefactis, artificioſè exornata fuerunt: ſic ineffabilis futura eſt *gloria & maieſtas* columnarum,

1. Iohan. 3. 2. hoc eſt, beatorum in Templo & Paradiſo Domini. *Nondum* enim *apparuit, quid erimus, ſcimus autem, quum apparuerit, ſimiles ei erimus. Quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

2. Timoth. 4. 8. *Repoſita* enim *eſt nobis* in Eccleſia Dei futuris columnis *corona iuſtitiæ, quam retribuet Dominus, omnibus diligentibus eum.* Eſto igitur *columna*, in confeſſione veritatis & vitæ ſanctimonia, & dabitur tibi *corona* vitæ, Apocalypſ. 2. Hæc de

Apocal. 2. 10. columnis.

III. De GRADIBVS Ædis ſacræ. Proximè poſt columnas *Gradus* videmus, quibus ad Ædem ſacram conſcenditur, Ezech. 40. 49. *Et gradibus adſcendebatur ad Templum.* Vidimus huc vſq; ad ſingula atria per Gradus conſcendendum fuiſſe. Quibus, quid denotatum fuerit, in ſuperioribus expoſitum eſt. Sed & iam Gradus, ad *introitum*

ipſius

Digitized by Google

ipſius Templi videmus. Quibus admonemur, in virtutis & pietatis ſtudio, adeò nihil vnquam remittendum eſſe, vt indies potius magis magisq; ad maiora ſit adſpirandum incrementa. Ad inferiora namq; atria, *ſeptem* & *octo* gradibus adſcendebatur, iam verò ad ſummum quando ventum eſt, *nullus certus* amplius graduum *numerus* eſt. Infirmioribus nimirùm & imbecillioribus paternè parcens Dominus, robuſtioribus verò onera imponens graviora. *Quemadmodum* Parentes erga infantes tenellulos indulgentiores ſunt, adultis verò labores imperant maiores: *Præceptores* incipientibus prima Elementa, profectioribus integras orationes, declamationes, ſubtiles Diſputationes, & quæcunq; alia exercitia, graviora proponunt. *Belli Duces* gregarios milites, levioribus prælijs adhibent, exercitatos autem & veteranos locis & caſibus maximè reſervant periculoſis. Ita pedetentim & ſucceſſivè ſuos Dominus exercet, *quoniam cognovit figmentum noſtrum: Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus*, Pſalm. 103. Cùm autem iam probè informati fuerint, ad gradus altiores, & numero indefinitos revocat. Sicut igitur, cui graviſſimas & difficilimas *quæſtiones* Præceptor proponit, indicium eſt, illum doctiſſimum & exercitatiſſimum eſſe diſcipulorum: Ita, quem præ reliquis, vel tentationibus, vel alijs periculis exercet Dominus, eum in cognitione, fide, ſpe & patientia, alijsque virtutibus, multis alijs præcellere demonſtratur. *Fidelis* enim *Dominus eſt, qui non patitur nos tentari, ſupra id quod poſſumus, ſed præſtat cum tentatione exitum.* Quisq; igitur Chriſtianus, quo doctior in rebus divinis & magis exercitatus fuerit, eò ad plures & altiores gradus parabit adſcenſum.

Deus cum piis & fidelibus per gradus incedit.

Simile.

Pſalm. 103. 14.

1. Cor. 10. 13.

Exercitatiſſimi quiq; in ſuperioribus gradibus examinantur.

IV.

Chriſtus Templum ſacrum.

Iohan. 2. 19.

Superatis *gradibus*, ad Templum ſeu Ædem ſacram ipſam accedimus. Verum autem *Templum* Chriſtus eſt: ipſo ſic pronunciante & loquente ad Iudæos: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Loquebatur autem de Templo Corporis ſui:* vt in mox ſequentibus verbis, Evangeliſta ipſe interpretatur. Sic Apoſtolus, Epiſtolæ ad Hebr. Author, *Chriſtum* apertis verbis *Tabernaculum* vocat, ſed Tabernaculum, non manufactum, non antiquæ ſtructuræ, Hebr. 9. 11. Sicut enim in veteri illo Templo, Domini gloria habitabat: Ita Templum noſtrum Propheticum gloriâ Domini totum coruſcat. *Ecce* enim *gloria Dei Iſraëlis veniebat viâ orientali:* Et, *plena erat gloriâ Iehovæ Domus.* Hoc eſt, gloria Filij Dei, ex alto veniens, habitat in Templo carnis ſuæ. Nam *verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Iohan. 1. 14. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Coloſſ. 2. 9. In Templo *reſponſa* dabat Dominus: Hoc Templum, voluntatem Patris *exactiſſimè nobis enarrat.* Nam *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*, Iohan. 1. 18. *Cùm enim multifariam, multisq; modis olim loquutus eſſet patribus in Prophetis, noviſſimis diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, Hebr. 1. 1.* Porrò Templum Domini eſt etiam *Eccleſia*, quam gloriâ & maieſtate ſua idem replet, eandem gratiâ ſuâ nunquam deſerens. Templum Domini, & Templum S. S. eſt *omnis pius. An neſcitis, quod corpus veſtrum ſit Templum Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? Quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri. Glorificate igitur Deum, in corpore veſtro, & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei*, 1. Cor. 6. 19. Hæc generaliter de tota Domo, ſicuti primo aſpectu oculis occurrit.

Iohan. 1. 14.

Coloſſ. 2. 9.

Hebr. 1. 1.

1. Corinth. 6. 19.

Specialis contemplatio.

Chriſtus oſtium Templi.

In Chriſto fideles omnes tutiſſimi.

Iohan. 10. 28.

Specialiter iam, ſeu particulariter eandem contemplantibus, primùm omnium veſtibulum ſeu porticus ante oculos verſatur, Hebræis אולם vel אלם à fortitudine dicta. Nam ingreſſum Templi, fortiſſima turris, ſuis fornicibus roborata, firmat. *Chriſtus* nimirùm Iehova Zebaoth, Iehova omnipotens, eſt oſtium ad ovile, Iohan. 10. verſ. 9. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introiverit, ſalvabitur. Nemo* enim *venit ad Patrem niſi per me, Iohan.* 14. 6. Et per hanc portam introiēs, manensq;, ab omni periculo ſalvus & incolumis habitat. *Non* enim *rapiet oves meas, quiſquā de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Turris fortiſſima nomē Domini* (inquit Salomon in proverbijs) *Iuſtus currit ad eā, & exaltabitur*, Pro. 18. 10. Turris fortiſſima Chriſtus

propera-

properemus ad eum, & exaltabimur. Hic expugnationis, hic repulſæ, nullus *metus* eſt, nullum *periculum*. Advocat enim omnes Matth.11.verſ.28. Et quod omnes velit admittere largiter pollicetur. *Venientem ad me, non eijciam foras*, Iohan.6.37.

Deus & homo vnus Chriſtus.

Domum ipſam diſtinctam videmus in ſanctum & ſanctiſſimum. Sanctum, *quadraginta* cubitos longum, *viginti* latum eſt. Sanctiſſimum, per *viginti* cubitos, *cubicum*, Ezech.41.v.4.6. Qua de re in Architectura Templi copioſius dictum eſt. Duabus igitur partibus Templum conſtat, ſancta & ſanctiſſima: duabus etiam naturis conſtat Chriſtus, ſancta ſive ſanctificata carne ex Maria ſua per virgine aſſumpta, & ſanctiſſimo λόγῳ. Quæ duæ naturæ vnum Chriſtum conſtituunt: Et duæ illæ partes vnum Templum. *Vnus enim Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus*, 1.Timoth.2.5.

Sanctum ſanctorum veteris Templi, Author Epiſtol. ad Hebræos de cœlo interpretatur. *Chriſtus*, inquiens, *accedens ſummus Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, hoc eſt, non huius ſtructuræ, neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*, Hebr.9.11. Quo [illegible] nostris etiam meditationibus liceret: Quia tamen Archite[illegible] Propheticus, & Nov. Teſtam. & futuræ vitæ contemplationem, pluribus depingit, vt ex ſequentibus patebit, nobis in præſentia ſatis eſt, habere picturam Salvatoris.

V. Triplex ambitus.

Totius Trinitatis opus eſt Redemptio.

Subſtructiones ſeu ambitus circa domum *triplici ordine* ſunt excitati, ſic, vt conclavia tres cõtignationes habeant, & ſuperiora inferioribus ſint ampliora, Ezech.41.v.7.8.9. Totius nimirùm ſacroſanctæ Trinitatis opus eſt *Redemptio* & ſalus noſtra. *Pater* enim deſtinavit nobis Filium Salvatorem, Epheſ. 4.1.Petr.1.20. *Filius* Patris voluntatem exequens, opus redemptionis perficit. *Spiritus ſanctus* teſtatur de Chriſto, & mundo Patris dilectionem, filijque merita proponens, omnes homines ad pœnitentiam & fidem vocat, Act.17.30. Iohan.15.26. Quod autem contignationum latitudo in ſuperioribus incrementa ſumit, ita vt cum altitudine contignationum, conclavium quoq; latitudo creſcat: hoc illud eſt, quod in ſanctis Dei & fidelibus hominibus, quanto altius, ſacroſanctæ Trinitatis voluntatem & conſilium, in Chriſto tamen, quem in verbo nobis propoſitum habemus ſcrutantur, tantò maiorem indies, & ampliorem, notitiam & cognitionem aſſequuntur.



Epheſ.4.13.

Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis, plenitudinis Chriſti, &c. vt creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, Epheſ.4.

V I. Feneſtræ.

Lumen S. Scripturarum.

Circumcirca domum *feneſtræ* fuerunt proſpectivæ clauſæ, de quarum factura in textus explicatione dictum eſt, ita nimirum illas comparatas eſſe, vt lux quàm commodiſſimè incidere poſſit. Id quod gemina ratione fieri poteſt. *Vel* enim eiuſmodi feneſtræ, ex interiori parte ampliores & latiores ſunt, & per muri craſſitiem in anguſtum exeunt: *vel vtrinq;* ab intus videlicet & ab extra ex lato, in muri media craſſitie, in anguſtum coeunt, qua vtraque ratione, lu-

incidens *ſine omni impedimento* facilime intrare poteſt, vt in Templorum ſtructura videre eſt. Hæ feneſtræ proſpectivæ, nihil aliud ſunt, quam *lux & perſpicuitas* verbi divini, cuius radiis, & de ſacroſancta *Trinitate*, & de *Chriſto*, qui gratia Templum eſt, rectiſſimè & clariſſime erudimur. *Lex namque Domini perfecta eſt, convertens animas: Teſtimonium Domini fidele eſt ſapientiam præſtans parvulis. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, Pſalm. 19. v. 8. 9. Et alibi inquit David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, Pſalm. 119. v. 105. *Quia mandatum lucerna eſt* (inquit Salomon) & LEX LVX, Prov. 6. 23. Et Petrus: *Habemus* inquit, *firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ, lucenti in loco caliginoſo, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris*, 2. Petr. 1. 19. Feneſtras igitur haſce peſſime obſcurant Pontificij Doctores, qui ſcripturam ſacram, vt *mutilam & mancam*, ita quoque *obſcuram & obſcœnam* eſſe calumniantur, eamque ob cauſam, non tantum inſufficientem & imperfectam ad rerum divinarum cognitionem, verum etiam laicis, qui intelligere eam nequeant inutilem & noxiam, & inde lectionem earundem, iiſdem prohibendam eſſe ſcriptitant.

Pontificij obſcurant ſcripturas ſacras.

Quid autem, quod feneſtras illas *clauſas* eſſe legimus? Primum clauduntur feneſtræ, ad *tempeſtatum iniurias* arcendum. Chriſtus enim datus mundo Salvator, Eccleſiam ſuam merito ſuo redemptam, & ſcripturam ſacram, per quam Eccleſiæ omnia Chriſti beneficia revelantur & offeruntur, contra omnes Adverſarios & hoſtes, fideliſſimè tutatur, protegit atq; defendit. Deinde quia feneſtræ illæ ſcripturam denotant, clauſura ſua oſtendunt, neminem hominum, vel ad ſcripturarum notitiam, vel ad Dei ipſius cognitionem ex ſua natura pervenire poſſit, ſed opus eſſe *revelatore & interprete Spiritu ſancto*. Nam, *caro & ſanguis, non revelavit tibi*, inquit Salvator Petro, *ſed Pater meus qui in cælis eſt. Non enim propria interpretatione fit Prophetia ſcripturæ* (ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται) *Nec voluntate humana, allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſancti Dei homines*, 2. Petri 1. v. 20. 21. Proſcriptis igitur, & longè exulare iuſſis, omnibus proprij cerebri adinventionibus & Phantaſijs, *Scripturas ſcrutemur: Illæ enim ſunt, quæ de Chriſto teſtantur*, Iohan. 5. 39. Et ad ſacrarum literarum ſtudia, atque lectiones quotidianas acceſſuri, illuminationem animorum, atque intellectus noſtri continenter & inſtanter petamus cum Davide precantes: *Revela Domine oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, Pſal. 119. verſ. 18. *Bonum intellectum & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi*, verſ. 66. Item, *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua*, verſ. 73. Item, *Da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua*, verſ. 125. *Et faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me iuſtificationes tuas*, verſ. 135. Hiſce vel id genus alijs precibus, ad ſcripturarum lectionem & ſtudium *quotidie* accedamus. Sic enim feneſtræ illæ clauſæ, nobis patebunt. Qui vero preces, & Domini ſerio invocatum auxilium neglexerit, illi *feneſtræ Templi*, hoc eſt, verus & genuinus ſcripturarum ſenſus, abſconditus & clauſus permanſurus eſt, tanquam cæco, in tenebrarum obſcuritatibus miſerè oberranti. Preces igitur, ad impetrandum divini verbi intellectum, & ſacram mentis illuminationem, & Theologiæ ſtudioſi, & quicunque ſcripturarum religioſi Lectores, *proram & puppim* habento: hoc eſt, precibus fundendis *initium* faciunto, gratias agendis, imponanto ſtudio *finem*.

Chriſtus ſcripturam ſacroſanctam tuetur.

Scriptura rationi noſtra clauſa eſt.

Matth. 16. 17.

AXIOMA Theologici ſtudij. Verã ſcripturarum cognitionem à Deo petamus.

VII. Ornamenta Templi.

Templo luce colluſtrato, *varium* eiuſdem *ornatum* atque elegantiam videmus. Nam totum illud *Palmis & Cherubinis* imaginibus vndique exornatum erat. Itaquidem vt inter ſingulos binos Cherubim, ſingulæ Palmæ, & in ſingulis Cherubim, binæ facies, altera humana, altera leonina conſpicerentur, quarum illa palmam ex illa parte, hæc palmam ex hac parte conſpiceret, Ezechiel. cap. 41. verſ. 18. &c. Quia de re in Templi fabrica. Hic ornatus proprium Chriſti Domini maieſtatem & gloriam exprimit. Hic enim eſt omnium Angelorum Creator & Dominus. Nam *ſine λόγῳ Filio Dei nihil factum eſt*,

Chriſtus Creator Angelorum.

quod

Iohan.1.3.
Hebr.1.6.
Pſalm.97.7.

quod factum eſt, Iohan.1.v.3. Et *cùm hunc pater, carne indutum introduceret in orbem terræ, mandavit, vt eum omnes Angeli adorarent*. Hebr.1.6. ex Pſalm.97.7. Quod multis etiam vicibus, in diebus carnis ipſius, opere ipſo præſtiterunt. Dum *conceptionem* eiuſdem ſignificant, Luc.1.26. *Natum* Salvatorem carminibus & hymnis excipiunt, Luc.2.13. *Servitiis* honorant, Matth.4.11. *Solatiis erigunt*, Luc. 22.43. *E mortuis excitatum* prædicant, Matth.28.2. &c. Marc.16.5. Luc.24.4. &c. *In cælos* ſublatum celebrant, Actor.1.9. Et iam ad Patris *dextram in cæleſtibus conſidentem* millies mille Angelici Spiritus, & paratis obſequiorum officijs, & æternis laudum Hymnis, ſine intermiſſione ipſum venerantur. Quin verò ipſus ille, eſt Angelus fœderis, Angelus magni conſilij, per quem Deus mundum ſibi reconciliavit, Malach.3.1. *Palma*, contra pondus aſſurgere ſolita, victoriæ eſt ſignũ: Chriſtus namq;, Dominus Zebaoth, & ſuorũ & noſtrorum omnium hoſtium fortiſſimus & inſuperabilis eſt *victor*. Hic enim eſt *fortior ille, fortem armatum*, Diabolum & omnes ſatellites eius, *vincens & ſuperans*, Luc.11. 21. *Hic eſt expolians principatus & poteſtates, traducens & triumphans illos in ſemetipſo*, Coloſſ.2.15. *Hic eſt Leo, de tribu Iuda, qui vicit* (Mortem, Diabolum, Infernum) Apocal.5.5.

Angeli Chriſti miniſtri.
Luc.1.26.
Luc.2.13.
Matth.4.11.
Luc.22.43.
Matth.28.2.
Actor.1.9.
Chriſtus Angelus fœderis.
Chriſtus omnium ſuorum & noſtrorum victor.

Chriſtus piorum Salvator, impiorum vindex.

Quòd verò *Cherubinæ* facies, partim *humanæ*, partim *Leonicæ* ſunt: Chriſtum illæ, & ſuaviſſimum fidelium Salvatorem, & ſeveriſſimum infidelium Iudicem & vltorem eſſe demonſtrant. *Non* enim *miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt* ſalvetur mundus *per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti filii Dei*, Iohan.3.17. Omni, qui in ipſum credit, ſuaviſſimus ille *frater*, Angelus & Salvator eſt: Et omni, qui non credit, truculentiſſimus eſt *Leo*, rugiens, rapiens, dilacerans, dilanians. *Poſitus* equidem *eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël*, Luc.2.34. *Eſt lapis angularis, electus, pretioſus, qui crediderit in eum, non confundetur. Eſt* etiam *lapis offenſionis, & Petra ſcandali, his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quod & poſiti ſunt*, hoc eſt, licet ipſis quoq; proponatur verbum, & hunc in finem proponatur, vt & ipſi verbo credant & ſalventur: Evangelio tamen non obediunt. 1.Petr.2.v.6. & ſeqq. Deteſtanda namq; & abominanda Calviniſtarum depravatio eſt, qua hunc Petri locum miſerè corrumpunt (vt obiter id attingam) dicentes, Petrum hiſce verbis aſſerere, pereuntes *æterno & immutabili Decreto Dei*, in hoc poſitos eſſe, vt in verbum, quod audiunt, offendant, & non credant. Cùm potius hæc ſit Petri ſententia: Multos quidem in ſcandali Petram offendere, & annunciato Evangelij verbo non credere: cùm tamen, vt & ipſi credant, non minus voluntas Dei fuerit, quàm quòd credunt reliqui: Impingunt, inquit Petrus, in verbo, non credentes, *in quod & poſiti erant*, προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, ἀπειθοῦντες, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. hoc eſt, voluntas & beneplacitum Dei fuit, vt verbo Euangelij crederent, & ſalvarentur, qui tamen per *infidelitatem*, eodem (*propriâ ſuâ culpâ*) offenduntur & pereunt. Sed hæc in παρόδῳ, & obiter.

Vindicatio loci Petrini.
1.Petr.2.6.

Evangelium aliis odor vitæ ad vitam, aliis mortis odor ad mortem.

Quod porrò de Chriſto monſtratum eſt, quòd & ſuis ſalutis Author, & infidelitatis mundi ſeveriſſimus vindex & vltor exiſtat: idem de Evangelio quotidiana certum docet experientia: non tamen vel Evangelio, vel Deo exiſtente cauſa, ſed hominum ingratitudine & impietate. *Quod ſi* enim *opertum eſt Evangelium noſtrum, in his, qui pereunt: eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcavit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Evangelii, gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei*, 2.Corinth.4.v.3. *Et, qui à cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti, mundi coinquinationibus rurſum implicati ſuperantur, his poſteriora facta ſunt deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoſcere viam Iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum converti, ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato*, 2.Petri 2.v.20.21. *Voluntariè* enim *peccantibus, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam exſpectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios*, Hebr.10.v.26.27.

Idem

Digitized by Google

Idem deniq; verum etiam eſt de Evangelij *miniſtris*, quorum opera alijs in *ſalutem*, alijs (*pereuntium tamen culpâ*) in *exitiū cedit*: quorū illud humana, hoc verò Leonina Cherubim facies depingit. Quia (inquit Paulus) *bonus odor* ſumus *Deo*, in ijs, qui ſalvi fiunt, & in ijs, qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam, 2. Corinth. 2. v. 15. 16.

Monſtratur etiam *Altare ligneum*, quod coràm Domino locatum dicitur. Ezechiel. 41. 24. De hoc Altari, & reliquis, quæ ante ſanctum ſanctorum collocata fuerant, diverſis in locis ſcripturarum legimus. Dilucidus autem locus eſt Exod. 40. 22. & ſeqq. Poſteaquam enim ibi docuiſſet Moſes, quomodo arcam in ſanctum ſanctorum intuliſſet, confeſtim etiam recenſet, quæ ante velum in ſancto locarit, menſam videlicet in latere *aquilonari*, quæ panibus (qui *propoſitionis* dicebantur) inſtrui ſolebat, Exod. 40. v. 22. 23. In latere *meridionali* poſuit Lychnuchum ſeu Candelabrum aureum cum lucernis ſuis, Ibid. v. 24. & 25. In *medio* ante ipſum velum locavit Altare aureum ſive Thymiaterium, in quo ſuffitus aromatici adolebantur. Ibid. v. 26. & 27. *Fabrica* horum omnium extat. *Menſæ* quidem panum propoſitionis, Exod. 25. à v. 23. vſq; 31. *Lychnuchi* ſeu Candelabri, Ibid. v. 31. & ſeqq. *Altare* autem Thymiamatis deſcribitur, Exod. 30. v. 1. & ſeqq. Hæc conſpiciebantur in Tabernaculo. Monſtrator autem Prophetæ noſtri cap. 41. 24. tantùm monſtrat, Altare, quod ſane ligneum vocat, quia ex lignis Schittim conſtructum erat, Exod. 30. 1. Idem tamen Altare aureum appellatur, Exod. 40. v. 26. Quia totum auro puro obductum erat. Exod. 30. 3. Mentionem quoque facit menſæ: dixitq; ad me: *Illa eſt menſa quæ eſt coram Domino*, Ezech. 41. 24. Vbi non deſunt interpretes, qui hæc, de menſa lateris Aquilonaris, hoc eſt, de menſa panū Propoſitionis intelligi debere exiſtiment. Quaſi monſtrator, ad Altare Thymiamatis conſiſtens, in angulo aquilonari, monſtrarit Menſam. Quam ſanè interpretationem nec abſurdam, nec ſimpliciter reijciendam exiſtimo. Quia tamen verborum contextus, continuus & arctus eſt, videtur Monſtrator eandem rem, & Altare ligneum & menſam appellare: maximè cùm nullam quoque Candelabri mentionem faciat, quam procul dubio non prætermiſſurus erat, ſi menſam alterius lateris notare voluiſſet. Sic author Epiſtolæ ad Hebr. Res illas enumerans, quæ ante velum in priore Tabernaculo fuerint (fuerunt autem Candelabrum, Altare Thymiamatis, & menſa propoſitionis) Altare, menſam vocat. Menſam autem propoſitionis, vocat propoſitionem panum, Hebr. 9. 2. Alias menſam bis nominaſſet, neglecto Altari Thymiamatis. Quicquid ſit; Altare, quod coram Domino eſt, & monſtratum eſt, & nominatum: Altare nimirum ſuffitus, ſeu Thymiaterium, de quo hoc primùm notandum: quod *menſura* ipſius, menſuram antiqui illius longe ſuperat. Thymiaterium namq; Tabernaculi, vnius cubiti longitudinē & vnius cubiti latitudinē habuit in quadrato, altitudinē aūt duorū cubitorū, Exod. 30. v. 2. Noſtri vero Ezechielis Altare, *tres cubitos* in altitudine, & duos in longitudine habet, Ezech. 41: 24. Qui de menſa velit intelligere, illius etiā magnitudinē ſuperat. Nam *menſa* panū propoſitionū habuit duorum cubitorum longitudinem, latitudinem vnius cubiti, altitudinem ſeſquicubitorum, Exod. 25. 23. quam altitudinem, noſtrum Altare, in duplo excedit. Sive igitur Thymiaterium, ſive menſam panum propoſitionis contueamur, omnia hic maiora ſunt & auguſtiora. *Coràm Domino* autem eſſe dicitur altare hoc, quia proximè ante velum locatum eſt, quod eſt ante Arcam Domini. Chriſtus nimirum auguſtius Themiaterium eſt, in quo & per quem iucundiores, & Deo gratioſiores preces fundimus, quàm ſuffitus illi aromatici vnquam fuerunt. Iucundæ autem ſunt contemplationes, ſi ſingula ſtudioſius contemplemur: Altare ſuffitus, ligneum & aureum eſt, ex lignis Schittim fabrefactum, auro autem puriſſimo vndiq; obductum: Chriſtus videlicet & humana & divina conſtat natura. In Altari ſuffitus, Aaron & reliqui Sacerdotes (Luc. 1. 9. Heb. 9.

VII. Altare ligneum.

Suppellectilia ſancti.

1. Menſa panum propoſitionis.

2. Candelabrum aureum.

3. Altare aureum.

Chriſtus verum noſtrum Thymiaterium.

Chriſtus duabus naturis conſtat.

Preces cum fumô aromatico comparata.

verſ.6.) vnoquoquo mane,& vnoquoquo veſpere, adolebant incenſa,in odorem ſuavitatis Domino: Nos in Chriſti Salvatoris nomine,omni tempore preces fundamus, quæ iam dudum, cum fumo Aromatico comparatæ ſunt, Cant.3.6. *Quæ eſt iſta, quæ adſcendit è deſerto. ſicut columna fumi, ex aromatibus Myrrhæ,& thuris.& vniverſi pulveris pigmentarij?* Et Apocal.5.8 *Viginti quatuor ſenes, habebant ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.*

Precandum in nomine Chriſti.

Per Chriſtum autem,& in nomine Chriſti fundendas eſſe preces, ex ipſo Salvatoris ore didicimus: *Si quid petieritis* in nomine meo, *hoc faciam*, Ioh.14.14. Et rurſus: *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis* in nomine meo, *dabit vobis, vſque modo non petiſtis quicquam* in nomine meo, *petite & accipietis, vt gaudium v[illegible] ſit plenum*, Iohan.16.26.

Precibus nihil alieni fumi admiſcendum.

Cautum etiam fuit, ne vnquam imponerent [illegible] externum aut peregrinum. Ita nobis Chriſtianis minimè licet, Ch[illegible] miaterio noſtro, *vllius alius* ſancti opera vel merita in precibus fund[illegible] *miſcere*. Quod Pontificijs Romanenſibus diligenter eſt attendendum [illegible] riſq; ſuis precibus, ſanctorum & interceſſiones & merita ſolent a[illegible]

Humanitas Chriſti adoranda.

Scitum autem eſt, quod apud Ezechielem noſtrum, *altare ſuffitus*, [illegible] pellatur *altare ligneum*, licet in alijs ſcripturæ locis, vt in ſuperioribus [illegible] ſtratum eſt, *altare aureum* nominetur. Indigitatur enim iſthac voce [illegible] Chriſti natura, quam cum λόγῳ filio Dei perſonaliter vnitam, v[illegible] adoratione veneramur.

Danæi blaſphemia.

Quod contra *Lamberti Danæi*, βδέλυγμα [illegible] dendum, qui *ex ore Dei maledictos eſſe fulminat, quicunq; carnem Chriſti [illegible] adoraverint*. Danæus in Examine Libri Chemnitij de duabus naturis in Chriſto, pag.415.

Exempla adoratæ humanitatis Chriſti.

Nos viciſſim plurima ſanctorum exempla habemus, qui ad ipſam Chriſti humanitatem adorationes & preces ſuas direxerunt. *Magi* namq; ex Oriente, puerum Bethlehemiticum adorant, Matth.2.11.

Matth.2.11.

Sic Matth.9.27. *Duo cæci* clamant ac dicunt: miſerere noſtri FILI DAVID.

Matth.9.27.

Et *Mulier* Chananæa profilia Dominum deprecans, ijſdem verbis clamat, Domine Fili David miſerere mei, Matth.15.22.

Matth.15.22.

Sic *cæcus* in via Hierichuntica mendicans, clamat; Ieſu FILI DAVID miſerere mei, Luc.18.38.

Luc.18.38.

Thomas etiam *converſus*, eum, quem digitis ſuis tetigerat, invocat dicens: Dominus meus & Deus meus, Iohan.20.28.

Iohan.20.28.

Stephanus, cœlos apertos,& FILIVM hominis ſtantem à dextris Dei vidit, quem invocans dicit: Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum, Act.7.56.

Act.7.56.

Hoſce omnes (& plures alios, imò verò omnes veros adoratores) ſecundum blaſphemiam Danæi pronunciatum, maledictos eſſe oporteret, ſi in Eccleſia cœloq; Danæi dogma locum inveniret.

Maledicta doctrina, quæ Chriſti hominis gloriam & maieſtatem diminuit.

Sed beati & benedicti ſint omnes, qui invocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, Filij Davidis, Filij Mariæ ſemper Virginis. Maledicta autem & ad inferos damnata vox omnis, quæ Chriſti Servator[illegible] *ſecundum carnem etiam conſequutam*, diminuit aut diminuere ſtudet, gloriam & Maieſtatem.

Chriſtus verus panis propoſitionis.

In *menſa ſanctuarij* (de qua paulò ante diximus) proponebãtur panes Domino: Sed *Chriſtus verus panis eſt. qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo*, Ioh.6.[illegible] *Chriſtus eſt panis vitæ, qui venit ad eum, non eſuriet, & qui credit in eum non ſitiet [illegible]quam:* Ibid.v.35. *Chriſtus eſt panis vivus, qui de cælo deſcendit. Si quis manducaverit [illegible] hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem Chriſtus dat, caro ipſius eſt, quam dat [illegible] mundi vita*, Ibid.v.51.

Chriſtus vera lux.

Vidimus etiam *Candelabrum aureum*, quod lucernis ſuis ex angulo meridionali totum ſanctuarium colluſtrat: *Chriſtus* nimirum *eſt vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioh.1.9. Ipſo ſic pronunciante: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, Ioh.8.12. Et rurſus Ioh.12.v.35. *Adhuc modicum tempus lumen vobiſcum eſt, ambulate [illegible] lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Et mox v.36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.* Ac tandem, v.46. *Ego lux in mũdum veni, vt omnis qui credit in eum, in tenebris non maneat.*

Deinq;

Deniq; Altare ligneum, ſive Thymiaterium, ac menſa Domini, *coram Domino* eſſe dicitur: quia ante ipſam arcam Teſtimonij, quæ eſt in ſancto ſanctorum, ſolo velo interiecto, locatum eſt. Preces nimirùm noſtras, quas *aromaticis odoribus*, Deo noſtro pretioſiores & iucundiores eſſe diximus, fundimus coram Domino, fundimus in conſpectu Dei. Quæ res, *duorum* nos admonere debet. *Alterum* eſt vt in precibus fundendis, ſummam pietatem & devotionem adhibeamus. Non enim *Deo abſenti* loquimur: ſed in preces compoſiti, loquimur *Domino Dominorum præſenti*, contuenti, audienti, perſcrutanti & percipienti, non tantùm verba & voces precationum noſtrarum, ſed cogitationes, meditationes, gemitus & ſingultus noſtros. Quis igitur piorum eſſe poteſt, qui in precibus habendis, non ſummam & maximè religioſam pietatem & devotionem exerceat. *Alterum* eſt fiducia, & certitudo exauditionis noſtræ. Quia enim Deus *præſens* eſt, *præſentes* etiam *preces audit*, ſemperq; cum paterno beneplacito *exaudit & approbat*. Neque enim peregrinatur aut alijs operibus expediundis ita occupatus eſt, vt ad preces noſtras attendere non poſſit: ſicuti Baalitis illudebat Elias. 1. Reg. 18. 27. Sed cùm preces noſtræ, *Salvatoris noſtri interceſſionibus ſuffultæ*, & commendatæ ſint, nunquam exauditionis repulſam patiuntur. Sic enim ille Iohan. 11. v. 41. 42. *Pater gratias ago tibi, quoniam* audiſti me. *Ego autem ſcio, quia* ſemper *me audis*. Quod autèm pro nobis etiam roget, patet: Iohan. 16. 26. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi.* Et rurſus: *Non pro eis* (Apoſtolis) *rogo tantùm, ſed &* pro eis, qui credituri ſunt *per verbum ipſorum in me.* Devotas igitur, & plenas fiduciâ ac ſpe decet eſſe preces noſtras: quia *coram Domino* funduntur, & Dominus præſens, propter Chriſtum interceſſorem illas exaudit. Quod autem votorum noſtrorum, non ſemper ex deſiderio participes reddimur, paternæ benignitati & providentiæ illud adſcribendum eſt. Exauditio enim *ad ſalutem* noſtram ſemper certa eſt, propter imbecillitates autem & ignorantias noſtras, iuvandi modus ſæpius corrigitur. *Hactenus de Aede ſacra.*

Precantes cum Deo præſente loquimur.

1. Ergò devotè precandum.

2. De exauditione non dubitandum.

Iohan. 17. 20.

IX. DE ÆDIBVS SACERDOTVM Templo collateralibus.

Proximè meditandum erat, de *Aula poſtica*, quæ Ædificio ſacro, verſus occidentem conſequenter adiacet, cuius Fabricam deſcriptam habuimus, Ezechiel. cap. 41. à v. 14. ad 18. vſq;. Sed quia hæc *vitæ æternæ* picturam nobis proponit, quæ & omnium præſtantiſſima, & fidei noſtræ *vltimus finis* eſt; ideò reliqua meditationum capita, huic præmittemus, erit, divinâ gratiâ, vt ſuo loco de hâc quoq; meditationes ſuſcipiamus.

Iam *ædificia Templi collateralia* contemplabimur: vbi tamen non illos intelligimus ambitus, qui ipſi Templo contiguâ fabricâ circumdati ſunt, de quibus iam in ſuperioribus ſatis ſuperq; dictum eſt. Sed agimus hîc de Ædibus Sacerdotum, quæ Templum ex vtroque latere, *aquilonari & meridionali*, in aulis ſuis ſeparatis, ijſdemq; etiam *centum cubitalibus*, decenter obſervant. Has deſcriptas vidimus Ezechiel. cap. 42. v. 1. vſq; ad 15. Ex quibus illud etiam intelligitur, diverſas eſſe has Sacerdotum ædes ab illis, quas iam ſupra in tertio atrio, circum Altare holocauſti ſumus contemplati.

Ad præſentes Sacerdotum ædes quod attinet, hinc & hinc illæ Templum obſervant: eleganter quidem & ordine, eâdem ſanè longitudine cum *Templi atrio*, centum videlicet cubitorum, ſed dimidiâ tantùm latitudine, neque in eandem cum Templo altitudinem excitatæ; cùm illud ſublimius & auguſtius emineat, hæ verò humilitate ſuâ iſtud venerentur, interiectâ inſuper areâ (vſque ad Templi) ambitum viginti cubitorum: eo nimirùm fine, vt Templum ipſum in aperta, liberaq; & nullatenus impedita luce verſari, & quoquo verſus & ſpectare, & ſpectari ipſum poſſet.

Digitized by Google

Omnes Chriſtiani REGES ſunt & SACERDOTES.

Iam meditationes noſtras ſpirituales ingredientes, primùm videmus eos, qui iuxta Templum, quod Chriſtum eſſe diximus, habitare volunt, ordinis eſſe Sacerdotalis oportere. Nemini enim, niſi Sacerdotibus haſce ædes incolere licitum eſt. *Vos enim eſtis* (vt Petrus Electis diſperſionis advenis ſcribit) *genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.* 1. Petr. 2. 9. Et Apocal. 1. v. 5. 6. *Chriſtus dilexit nos, & lavit nos a peccatis, in ſanguine ſuo, & fecit nos* REGES & SACERDOTES *Deo & Patri ſuo.* Et rurſus Apocal. 5. 9. *Dignus es accipere librum* (vt ſeniores Agno accinunt) *& aperire ſignacula eius, quia occiſus es, &c. Et feciſti nos Deo noſtro* REGES & SACERDOTES, *& regnabimus ſuper terram.* Omnes igitur Chriſtiani Reges & Sacerdotes ſumus, ſancti & ſanctificati per Chriſtum Ieſum.

Chriſto Salvatori nemo HOMO æquiparandus.

Eminet autem *Templum* ſupra *Sacerdotum Aedes*: nemo enim fidelium, cum Servatore Chriſto, æqua proportione vnquam comparabitur. *Multo enim ille pulcrior effectus eſt, quàm filij hominum,* Pſal. 45. 3. *Adeoq́; ipſis etiam Angelis tanto melior effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit,* Hebr. 1. verſ. 4. *Nam qui de ſurſum venit* (vt Baptiſta loquitur) *ſuper omnes eſt.* Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt, &c. Iohan. 3. 31. Et mox: *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur: Non enim ad menſuram, dat DEUS Spiritum pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius,* Ibid. v. 34. Quam ob cauſam *Iohan. Baptiſta* (quo tamen ſecundum ipſius veritatis teſtimonium, non vllus inter mulierum natos, maior ſurrexit. Matth. 11. 11.) apertè fatetur, ſe *non dignum eſſe, vt portet calceamenta Salvatoris,* Matth. 3. 11. *Aut calceamentorum corrigiam ſolvat,* Luc. 3. 16. Hic namque vnus & ſolus eſt Filius Dei vnigenitus, cui vni & ſoli dictum eſt, *ſede à dextris meis.* Hebr. cap. 1. verſ. 13. Huic vni & ſoli *nomen datum eſt, ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum,* Philip. 2. 9. Epheſ. 1. 21. Quod igitur, idem ille, per *omnia fratribus aſſimilatus* eſſe ſcribitur, non illud de honoris & gloriæ æqualitate, accipiendum eſt, quaſi verò, *non maiorem cum aut digniorem*, quàm omnes vel Angeli, vel homines Chriſtus accepiſſet, ſicuti Calvinianus Spiritus, locum illum arrodere non dubitat: ſed quod & homo factus ſit Filius Dei, & per omnia nobis ſimiliter *tentatus.* Sicuti ſubſequens verſus confeſtim, dilucidè ſatis & luculenter interpretatur. *In eo enim, in quo paſſus eſt, cum tentaretur & ipſe, poteſt & his, qui tentãtur, auxiliari.* In eo igitur aſſimilatus eſt fratribus per omnia *excepto peccato*, quòd ille verus homo, omnes quoq; humanas miſerias atq; calamitates, adeoq́ue peccatorum etiam imputatorum, ſicut & mortis atq; condemnationis terrores eſt expertus. Vt mali non ignarus miſeris ſuccurrere poſſet. *Interim* gloriæ Maieſtate, & dignitate perſonæ, in qua vnà verus Deus & verus homo eſt, omnibus hominibus & Angelis, *infinitis modis* antecellens.

Explicatio loci. Hebr. 2. 17.

Pij omnes Chriſti ſublimitatem adorant.

Domus Sacerdotum ita fabrefactæ ſunt, vt in ſuperiori parte ſint contractiores, quàm vt commodæ ſint ad habitationem, Ezech. 42. v. 5. Culmina ſua Templo ſubmittentes. Omnes nimirùm veri Chriſtiani, Templi, hoc eſt, Chriſti Servatoris excellentiam & maieſtatem agnoſcunt, humiliter eundem venerantur atque adorant, ſuaq; illi capita demittunt. *Omnem enim celſitudinem*, inquit Paulus, *demolimur, quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto.* πᾶν ὕψωμα καθαιροῦντες καὶ πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ αἰχμαλωτίζοντες, 2. Corinth. 10. 5. Maleferiata igitur hominum turba eſt, qui non attendere ſolent, Chriſtum docentem, & obſequi mandantẽ, ſed ipſi quaſi magiſtri, dictare potius præſumunt, doctrinas & præceptiones humanas διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων, Matth. 16. 9.

Omnia noſtra divinæ gloriæ inſerviant.

Eædem Domus *ex vtroq; latere Templum obſervant*, ad eiuſdem & ornatum & neceſſitates comparatæ. Omnia videlicet ad Chriſti Servatoris laudem, gloriam & decorem inſervire debent. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius,* Pſal. 103. 1. Atq; hoc vnicum omnium Sacerdotũ

officium

officium atq; munus eſt, vt Domini laudes concelebrent, & divinam extollant maieſtatem. Quâ de re ſupra etiam copioſiùs.

Tandem, Domus haſce Sacerdotales, *ſanctificatas eſſe* videmus, ita quidem vt in illis Sacerdotes res ſanctas & adſervare, & comedere iubeantur, in iiſdem ſanctis vti veſtibus, ſancto cultu. Omnia nimirùm ſancta ſanctis, & qui per fidem in Chriſtum, ad veram ſanctitatem ſemel pervenerunt, ab inquinamentis mundi, diligenter ſe atq; ſedulò cuſtodiant. *Author* quidem ſanctitatis noſtræ Chriſtus eſt. *Is enim factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, 1. Corinth. 1. 29. Et mox, 1. Corinth. 6. 11. *Et hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis, & ſanctificati eſtis, & iuſtificati eſtis.* Sic Epheſ. 5. 26. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo:* Et Hebr. 9. 14. *Si ſanguis Hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, adſerviendum Deo viventi.* Author, inquam, ſanctitatis noſtræ Chriſtus eſt, ſed poſteaquam per fidem in Chriſtum ſanctificati, hoc eſt, per imputationem ſanctitatis, dono gratioſè ornati, adeoque Reges & Sacerdotes ſancti creati ſumus. Iam à nobis hoc etiam amplius requiritur, vt novæ obedientiæ ſtudijs, ſanctiſſimæ divinæ voluntati obſequendo, ſine intermiſſione incumbamus. Hoc nimirùm illud eſt, de quo Zacharias, Baptiſtæ genitor, Luc. 1. 74. *Liberatos* nos *eſſe, de manu inimicorum noſtrorum, vt ſerviamus Deo in* ſanctitate & iuſtitia *coram ipſo, omnibus diebus noſtris.* Et Paulus, Rom. 6. 19. *Exhibete membra veſtra ſervire iuſtitiæ* in ſanctificationem. Et cap. 12. 1. *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viventem*, ſanctam, *Deo placentem, rationabilem* cultum *veſtrum. Elegit enim nos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus* ſancti & irreprehenſibiles, Epheſ. 4. *Hæc* enim *eſt voluntas Dei*, ſanctificatio noſtra, 1. Theſſal. 4. 4. *Atq; ideò quoq; ſalutifera Dei gratia omnibus hominibus apparuit, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria modeſtè, & iuſtè, & piè* (σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς) *vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ, magni Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti*. Tit. 2. 11. *Hic* nimirùm *eſt populus Zelotes bonorum operum.* Ibid. v. 14. *Hoc eſt genus electum, regale Sacerdotium, gens SANCTA, & populus acquiſitionis*, 1. Petr. 2. 9. Sic vivens, ſic agens hic populus, in omnibus operibus ſuis ſanctus eſt, ſancta agit, & ſancto ſanctorum complacet.

Omnia ſancta ſanctis.

Chriſtus noſtra ſanctitatis Author.

Sanctificati ſanctitati ſtudento.

X. DE POPINIS Templi.

Mirari libeat, cur Dominus in Templo ſancto, tot *culinas* extruat. Nam poſt ædes Sacerdotum, ex vtroque latere, *occidentem verſus*, culinæ ſpectantur, in quibus Sacerdotes ſacrificia coquunt, Ezechiel. 46. verſ. 19. 20. In *extremò* quoque atrio, in *quatuor Angulis*, plures popinæ ſunt, in *quibus elixant miniſtri Domus, ſacrificium populi*, Ibidem verſ. 21. & ſeqq. Legimus Salvatorem, non ſemel purgaſſe Templum Hieroſolymitanum. Videns enim vendentes oves & boves, & columbas, & numularios ſedentes; flagello ex funiculis facto, omnes de Templo eijcit, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit, dicens: *Nolite facere Domum Patris mei, Domum negotiationis.* Iohan. 2. verſ. 14. & ſeqq. Et iterùm, poſteaquam Aſinâ Vrbem ingreſſus eſſet, eijcit vendentes & ementes, dicens: *Scriptum eſt: Domus mea, Domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Matth. 21. verſ. 12. & ſeqq. Quid igitur in Templo noſtro tot ſpectantur culinæ & popinæ? Annon etiam dicendum, ſcriptum eſt: Domus mea, Domus precationum vocabitur: Vos autem feciſtis eam popinam? Reſpondeo. Non gulæ, commeſſationes, ingurgitationes,

Cur in Templo Domini, tot ſint culinæ?

tationes,aut helluationes docent nos popinæ iſtæ, ſed rerum ſacrarum *ſacratâ* ſunt *documenta.* Hoc enim volunt,in Eccleſia Domini,tàm militante,quam triumphante,rerum omnium neceſſariarum, *paratas pijs, & abundantes eſſe copias*,adeo vt bono nullo egeant. Cuius generis edulia ſunt,*gratia divina,remiſſio peccatorum,ſanctificatiō,iuſtificatio,fides:* ſunt *verbum Domini*,ex quo iſtud ciborum genus,tanquam ex inſtructiſſimo penu, eſurientibus animabus,melliâ iucunditate proferuntur: Sunt *Sacramenta* Dominica, quib.animarū noſtrarū vires mirificè reparantur, reſtaurãtur, cōfirmãtur. Sunt *ſanctiſſima & pretioſiſſima* caro & ſanguis Domini,quibus in vitam alimur beatã & ſempiternam. Sunt ipſa *gaudia & exultationes*,quibus in æterno omniū beatorū concilio, æternùm beati & felices,æternis & nunquam perituris fruituri ſumus. Quam omnem; huius & alterius,melioris vitæ αὐτάρκειαν, *monſtrator noſter Propheticus*, popinis iſtis;coquendi & elixandi commoditatibus demonſtravit. Quod ipſum alijs quoque ſcripturis non eſt infrequens. Nam *Dominus eſt Paſtor meus*,inquit Regius pſaltes,*& nihil mihi deerit,cubare me facit in paſcuis herboſis*,Pſalm.23.1. *Paraſti in conſpectu meo* mẽſam,*adverſus eos,qui tribulant* me, *impinguaſti in oleo caput meum,&* calix *meus irriguus eſt*. Ibid.verſ.5. *Scitâ quoq; & pereleganti parabolâ, de nuptijs regijs, Chriſtus Salvator* copias *haſce expreſſit, dicite*, inquiens,*invitatis: Ecce prandium meum paravi,tauri mei & altilia occiſa ſunt*, & OMNIA *parata, venite ad nuptias*,Matth.22.4. Nec minus venuſta eſt parabola de *Cœna magna*,Luc.14. verſ.16. Et Matth.8.11. *Dico vobis,quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham,Iſaac & Iacob,in regno cælorum*: Atque repetitur,Luc.13. verſ.29. *Venient ab Oriente & Occidente,& Aquilone & Auſtro*,& accumbent in *Regno Dei*. Quibus omnibus verbis, nulla gulæ intemperies, nulla helluandi libido, ſed omnium cœleſtium bonorum abundans, & intemeratis gaudijs exornata felicitas deſcribitur. Gaudeamus igitur & exultemus & demus gloriam Domino Deo noſtro omnipotenti, *quia venerunt nuptiæ Agni*, Apocal.19. verſ.7. *Scribe*, inquit Angelus, *beati, qui ad Cœnam Agni vocati ſunt. Hæc verba Dei ſunt vera.* Ibidem verſ.9. *Benedixit enim nobis Deus*,in omni benedictione *ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*,Epheſ.1.3.

Edulia ſacra in Eccleſia.

Quanquam autem in exteriore atrio ſatis focorum eſt, vbi pro vniverſo populo cibi parari ſufficienter poſſint, videmus tamen *peculiares eſſe culinas* Sacerdotibus,in quibus ſanctas coquant,Ezech.46.v.19.20. Vbi & Theologiæ Studioſi,& miniſtri verbi meditari debent: Non quidem ipſis vel peculiarem *Salvatorem* eſſe,vel peculiare paratum *cælum*: Peculiaria tamen, & magis penetrantia debere ipſis eſſe,rerum *ſacrarum ſtudia*,quàm vllis alijs fidelium: Hæ nimirum ſunt *popinæ illæ interiores*,Sacerdotum vſibus inſervientes,hæ ſunt popinæ remotæ à vulgi atrio. Hîc verò mentem animumq; attendamus,quicunq; ſacroſanctæ Theologiæ ſtudio,miniſterioq; verbi conſecrati ſumus. *Remota* nimirùm eſſe ſtudia noſtra oportet,*à ſtudio ſtrepituq; vulgi*. Quod licet & ipſum Eccleſiæ bonis perfruatur, verbum divinum videlicet audiat, legat, attendat, Sacramentis vtatur, & omnibus Chriſti merito partis beneficijs gaudeat,longè maiorem tamen,præſtantiorem & perfectiorem *notitiam*, harum omnium decet eſſe in verbi miniſtro,multò intentius ſtudium,longè maiorem diligentiam. Quomodo enim de hiſce omnibus ſacratiſſimis rebus feliciter inſtituat alios,qui inſtituendis auditoribus rerum notitiâ, doctrinâ & eruditione ipſe ſit inferior. Culinam igitur *Sacerdotis*, optimè inſtructam eſſe oportet. Vt de Theſauro ſuo,*tàm vetera,quam nova proferre poſſit*, Matth.13.verſ.52. Qua de re eleganter & prolixè Syracides cap.38.39. Sapientia *ſcribæ* in opportunitate otij comparatur,Syr.38.25. *Hic ſapientiam antiquorum omnium exquirit,& in Prophetijs occupatur. Narrationem virorum nominatorum conſervat,&c.* Syrach.39 1.&c. Sed attende quoq; hominis in Theologiæ ſtudio diligentis,*gaudium & voluptatem*, quam ex meditationibus legis divinæ percipit. Quoties enim in ſtudio rerum ſacrarum verſatur, toties in *culina* verſatur, vbi varietate & iucunditate

Peculiares culinæ Sacerdotum.

Studia Theologica à vulgi ſtrepitu remota.

Digitized by Google

iucunditate maximâ, nobiliſſimi & iucundiſſimi cibi præparantur: *ſtudijs ſacris invigilare*, eſt homini verè ſtudioſo *convivari, lætari, genio optimo & diviniſſimo, piiſſimè & ſanctiſſimè indulgere*. O ſacra *convivia*, quibus animus, inter puriſſimos angelicos ſpiritus, ſaluberrimis vitæ æternæ cibis reficitur. O diviniſſima *colloquia*, quæ inter animos ſynceriſſimos, de rebus vtiliſſimis & ſapientiſſimis, omnem humanum captum excedentibus, miſcentur. O beata *gaudia*, quibus convivantium pectora, in ſacrarum ſcripturarum ſtudijs ſubſultant. Idem eſt homini ſtudioſo, cum in meditationibus ſacris verſatur, quod in monte ſancto, Petrus Domino dixit: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Heliæ vnum.* Quæ enim oculis Petrus, cum ſocijs contemplatus eſt, eadem Sacerdos ſanctus, in culinis iſtis interioribus, mente contemplatur, ſacratas ſcripturas, diurna verſans nocturnaque manu. Vbi non exiguum gaudiorum additamentum eſt, cùm omnibus convivis, ore ad os, ſine interprete loqui poſſe. Sicut enim in externis, multoties evenire ſolet, vt cum diverſarum Regionum & linguarum homines, in vna menſa conveniunt, vel muti quaſi conſident, ſi nullus alterius, linguam aut ſermonem intelligat, vel colloquuntur quidem, multa invicem ſuper multis rogitantes, ſi commodos interpretes habeant. Quæ tamen colloquia nunquam ita grata & iucunda ſunt, quàm cum quivis alter, cum quovis altero, eâdem linguâ & idiomate, quoſvis ſermones conferre poteſt. In menſa Templi noſtri Prophetici, & quidem in menſa ex interiori Culina apparata, converſari & cum convivis, præter interpretis operam conferre, qui velit, illum *Hebræâ & Græcâ* linguâ inſtructum eſſe oportet. Chorus enim *Prophetarum* Hebraico, *Apoſtolorum* autem ordo, Græco idiomate nobiſcum colloquitur. Quicunque igitur in hac menſa, hoſpes non neglectus haberi voluerit, niſi duabus iſtis linguis inſtructus non accedat. Dici autem non poteſt, quæ nam illa dignitas, quæ maieſtas ſit, quando conviva in hac menſa, non tantum cum Prophetis & Apoſtolis, ſed cùm Archimagiro, Deo optimo maximo, iiſdem verbis, iiſdem ſyllabis, & apicibus, conferre & colloqui poteſt, quibus iiſdem ille, cum genere humano, iam inde ab initio rerum, colloquutus eſt. Hîc nitida, hîc viva, hîc divina omnia. In medio Prophetarum & Apoſtolorum choro verſari videaris, cùm illos ore proprio, ſine vlla interpretis varietate & ambiguitate tibi loqui exaudis. Quæ omnis tibi gratia, venuſtas & iucunditas perit, quando niſi per interpretem nihil audis.

Nobilitas Theologicorum ſtudiorũ.

Melliti ſſimum Theologiæ eduliũ, Hebraicæ & Græcæ Linguæ cognitio.

Hæc igitur vna res, omnes Theologiæ Studioſos *incitare, excitare, accendere & inflammare* totos debebat, vt diurna nocturna manu, Hebræos ſimul & græcos verſare codices nunquam intermittant. Hi ſoli enim ex interiore culina præpoſitos cibos, rectè guſtabunt, hi ſoli ſcripturarum delicijs perfectiſſimè perfruentur, hi ſoli Prophetico & Apoſtolico melle, puro illo, nulliſque translationis ſordibus vitiato, ſaturabuntur. Alias infinitas vtilitates, quibus fontium ſcaturigines nobilitatæ ſunt, in præſentia lubens prætereo.

Quos autem illos Sacerdotes prædicabimus, qui neglectis ſacratis hiſce convivijs, quæ in rerum ſacrarum diligentia atque indefeſſo ſtudio poſita ſunt, in compotationibus & commeſſationibus ruſticorum ſeneſcunt, & rectiùs compotores ſuos immoderata poculenta & eſculenta turpiter eructãtes, quã vel *Prophetas* vel *Apoſtolos* noverunt. Lubentius etiã in rerum terrenarum occupationibus, quam rerum divinarum ſtudijs, & ſcrutaminibus ſcripturarum verſantur. *Prophani* certè ſunt tales Sacerdotes, & ſicuti interiores illas aulas & culinas Propheticas iam negligunt, ſic & coronis, quæ hîc ſingulares diſtribuentur, olim privabuntur. Quod enim de diligentibus & ſedulis verbi præconibus Daniel habet: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiã erudiunt multos, quaſi ſtella in perpetuas æternitates.* Illud ipſum negligẽtibus illis & ſordidis epulonib. graviſſ. interminatur pœnas. Ex ſplẽdore nimirũ æternæ lucis, in exteriores tenebras præcipitabuntur, non lucentes firmamẽti

Pergræcantes verbi miniſtri ſunt macula Eccleſiæ.

Daniel. 12. 3

 ſtellæ,

Digitized by Google

ſtellæ, ſed fumigantes infernalis ignis titiones futuri. Hiſce verbis Chriſto pronunciante in illos ſententiam, *inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Matth.25.30. Taceo iam *offendicula*, & multiplicata ſcandala, quibus eiuſmodi popinones, Sacroſanctum verbi divini miniſterium conſpûrcant. Quâ enim crapulandi levitate commeſſatoribus ſuis ipſi miſcentur & toti vileſcunt, eadem verbi quoq; miniſterium, cui cum decenti gravitate & dignitate præeſſe debebant, & ipſum leviſſimis hominibus proſtituitur. Quo namque quæſo, eoque ſubito miraculo, Dominicâ die tibi præconi gravitas naſcatur, qui totam Hebdomadam cum auditoribus tuis nugando & pergræcando conſumpſiſti? conſecraſti os tuum Evangelio, nugis igitur illud aperire illicitum puta, nugis aſſueſcere ſacrilegum. Labia Sacerdotis (inquit Propheta) cuſtodiunt ſcientiam, & ex ore eius requirunt legem, non *nugas* aut *fabulas*.

Matth.25.30.

Malach.2.7.

Ebrietas in verbi Miniſtro ſacrilegium.

Levit.10.verſ.8.9. Dicit Dominus ad Aaronem. *Vinum & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis, tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, & hoc præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras.* Datũ eſt hoc præceptum, poſt mortem Nadab & Abiu, quùm alieno illato igne, contra præceptum Domini, *igne Domini* conſumpti eſſent. Vnde haud obſcurè colligitur, *ebrietatem* & erroris & mortis eorum cauſam extitiſſe. Nam vino alienati, alienum portaverunt ignem, & mox divino igne extinguuntur. Ebrietas nimirùm, in alio quovis homine *crimen* eſt, in Sacerdote *ſacrilegium.*

Eccleſia miniſter non ſit ſcortator motum.

Ad *eundem finem* (vt omnibus videlicet innoteſceret, quàm piam, ſanctam, intemeratam & illibatam ab omni inquinamento vitam ducere debeant rebus ſacris conſecrati) prohibiti fuerunt Sacerdotes Vet. Teſtam. ducere *ſcortum* aut *violatam*. Scortum fœmina communis eſt, ideò vulgarem & communem omnium vitam deſignat. Hanc autem (vitam ſcilicet communem) Sacerdotes vivere prohibentur, quia vt officio, ita ſingularis vitæ ratione, à communi hominum turba *ſeparati* eſſe debent, ne illud exprobrari poſſit, vt populus, ita Sacerdos.

Virtutum Trinitas in Eccleſia miniſtro fulgeat.

Noveris igitur quiſquis fidelis & laudati miniſtri officio defungi cogitas, huius Trinitatis Sacramentum (*vt Bernhardus loquitur*) in nullo fruſtratum à te, ſi paſcas *verbo*, paſcas *exemplo*, paſcas *orationum ſuffragio*. Manent autem, tria hæc, verbum, exemplum, oratio. Maior autem eſt Oratio. Bernhard. in Epiſtolis.

Hieronymi locus: de ſanctitate miniſtrorum.

Magna ergò dignitas eſt Sacerdotum & miniſtrorum verbi divini, ſed magnà etiam & grandis eſt ruina, ſi peccant. *Latemur ad* adſcenſum, *ſed timeamus ad* lapſum. *Non eſt tanti gaudy excelſa tenuiſſe, quanti mœroris, de ſublimioribus corruiſſe. Nec enim ſolùm, de noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquam de eorum ſalute ſumus ſolliciti.* Hieronym. in Ezechiel.

Sacerdotis Levitici ornatus, virtutes Eccleſia miniſtri depingit.

Quanquam igitur in Vet. Teſtam. non vivimus, neque Moſaicarum Ceremoniarum vmbræ quicquam ad nos ſpectant, ea tamen, quæ de ſummi Sacerdotis ornatu, & eleganti & pretioſo legimus, & iucundè & vtiliter, de vitæ ſanctimonia nos erudire poſſunt. *Quis enim exiſtimet*, omnia illa, quæ tantâ diligentiâ & ſtudio, de ſummi Sacerdotis ornatu præcepta ſunt, ad ſolam ſpectantium curioſitatem, nec potius ad magna intelligentium Myſteria inſtituta fuiſſe. Quid aliud enim, per tot indumentorum ſpecies, quæ ad corporis decorem pertinebant, intelligamus, niſi *maximarum virtutum* ornamenta, quibus Sacerdotalem vitam condecoratam eſſe convenit. Puriſſimus enim & ſolus ſanctiſſimus Deus, qui tàm pretioſo habitu, Sacerdotem exornatum eſſe voluit, multò magis animam virtutibus expolitam requiſivit, cuius elegantiam & pulcritudinem exterior ille ornatus figurabat. *Lamina* nimirùm aurea, in fronte collocanda, omnem converſationem Sacerdotis, apertam, puram

Digitized by Google

puram & ſimplicem eſſe debere oſtendebat. In *rationali* duæ voces, Vrim & Thümmim, hoc eſt, *illuminationes & perfectiones* inſcriptæ, doctrinæ lucem, & vitæ perfectionem denotabant. In hiſce namque duabus rebus, docendo nimirùm, & doctrinæ præceptiones, vitæ exemplis demonſtrando, quemvis Eccleſiæ miniſtrum ſollicitè decet occupatum eſſe. Eodem pertinet, quod in extrema veſtis ora, mutatis vicibus, *mala punica & tintinabula* pendere debuerunt. Vbi rurſum tintinabula prædicationis ſonum, mala punica verò, rubore ſuo charitatis ardorem, & mirando granorum ordine, exactas vitæ rationes, modumque ordinatè, beneque vivendi, myſticè deſignabant, quæ dūo capita, verbi miniſtrum egregiè commendant.

Et hactenus quidem de culinis Propheticis.

XI. DE AVLA POSTICA.

Contemplati ſumus hucuſque omnes Templi partes, omnia atria, ſtructuras omnes, & quas vbique ſpirituales meditationes ſuſcipere debeamus, breviter vbique monſtravimus. Reſtat *Aula poſtica*, quam Propheta Ezech. 41. v. 12. & 13. breviſſimis atque ſuccinctis verbis deſcribit, quorum ſenſus huc redit: Eſſe poſt ædem ſacram elegantiſſimam & pretioſiſſimam ſtructuram, ad ſpeciem & ornatum pulcerrimam, ad vſum habitationis commodiſſimam & & paratiſſimam. *Deſcriptio aulæ poſticæ.*

Hæc *aula poſtica*, de vita æterna nos meditari iubet. De hac igitur, parciſſimè primùm Propheta & breviſſimè ſcribit, hoc ſolùm indicans, poſt ædem ſacram, in aula poſteriore elegantiſſimam & nobiliſſimam ſtructuram paratam eſſe, commodiſſimam & iucundiſſimam ad habitandum. *Quot* autem ſint ibi habitationes, quomodo comparatæ, & quibus repletæ civibus, de eo nihil expreſſit vates, nihil etiam ipſi de eiuſmodi rebus à demonſtratore revelatum eſt. *Sufficit* nimirùm nobis, quod ex ſacris conſtat, ESSE vitam æternam. Qua de re plurima teſtimonia evidentiſſimè loquuntur: Iohan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat* vitam æternam. Et Ioh. 6. 40. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat* vitam æternam. Ibidem v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet* vitam æternam. Et plura id genus alia. Quænam autem aut qualis ſit vita æterna, id verò in ſacris expreſſum non habemus. *Nam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Quæ repetita ſunt ex Eſa. 64. 4. *A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te.* Eodem referri poteſt, quod Iohannes habet. 1. Iohan. 3. 2. *chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Hoc vnum eſt, *certam videlicet eſſe vitam æternam*, licèt qualis ea ſit, & quibus quantiſq; gaudijs referta, nondum nobis exactè conſtet. Chriſtus manſiones vocat: *In domo patris mei* (inquiens) *manſiones multæ ſunt, ſi quo minus dixiſſem vobis, vado parare vobis locum.*

Aula poſtica pictura vitæ æternæ. *ESSE vitam æternam.* *Iohan. 3. 16.* *Iohan. 6. 40.* *Ibid. v. 54.* *Quænam vita æterna.* *1. Cor. 2. 9.* *Eſa. 64. 4.* *1. Iohan. 3. 2.* *Iohan. 14. 2.*

Videmus autem *aulam poſticam, proximè Templo adhærere*, ſeu ædi ſacræ, nec vllus alius acceſſus ad eam deſcribitur. Nemini videlicet ad vitam æternam acceſſus patet, qui in Eccleſia, aula præliminari, non vixerit. Quiſquis n. in hac vita, Eccleſiæ membrum *non fuerit computatus*, vitę æternæ conſequendę ſpe omni *orbatus eſt*. Eccleſia namq; eſt duplex: *Militans & Triumphans*: in illa, qui non pugnaverit, nec vllam iſte, in hac Triumphi gloriam expectaverit. Nemo enim, quàm qui certârit, & vicerit, coronabitur. *Tenete* igitur *quod habetis, donec veniam. Et qui vicerit & cuſtodierit, vſque in finem opera mea, &c. dabo illi ſtellam matutinam*, hoc eſt, gaudium & exultationē. Lętitia namq; & gaudium, luci & ſplendori in ſacris, triſtitia verò & mœror nocti & tenebris comparatur.

Nemini niſi per Eccleſiam acceſſus in vitam æternam. *Apocal. 2. 25.*

Sed

Digitized by Google

Sed & illud *meminimus*: Ante ipſam ædem ſacram eſſe *Altare holocauſti*, quod Chriſti Salvatoris picturam eſſe, ſupra cap. 6. *Meditationum* vidimus. Nemo igitur vel ad ædem ſacram, vel ad Aulam poſticam, hoc eſt, nemo ſive ad Eccleſiam, ſive ad Aulam vitæ æternæ venturus eſt, *niſi per Chriſtum*. Ipſo ſic pronunciante Salvatore, Iohan.14.verſ.6. *Nemo venit ad patrem, niſi per me.* Hic vnus enim eſt *via, veritas & vita*. Ibidem. Hic vnus eſt, *in quo Deus iudicare conſtituit orbem terrarum*. Act.17.31. *Nec eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act.4.12.

Zvvinglius etiam gentiles in vitam æternam locat.

Stultè igitur temerarij, & in meritum Salvatoris blaſphemè ingrati ſunt, non tantùm *Zvvinglius*, & Ethnicæ illius opinionis *ſectatores*, quam noſtra ætate *Franciſcus* quidam *Puccius* infeliciter renovavit, quod videlicet non tantùm fideles in Chriſtum, ſed etiam Ethnici homines, qui nullam vnquam Chriſti Salvatoris cognitionem habuerunt, vitæ æternæ participes reddantur. Sic enim ille, ex verbis Salvatoris: *Qui crediderit ſalvus erit, qui non crediderit, condemnabitur, ratiocinatur.* Tom.2. operum fol.35.a. Colligitur his verbis: Qui crediderit, & qui non crediderit, *neque iſtos teneri, qui per ætatem audire nequeunt, neque iſtos, ad quos Euangelij mentio nulla pervenit.* Hæc ille. Sed eadem adhuc clariùs repetit, in fidei Chriſtianæ Expoſitione, ad Chriſtianum Regem, in hæc verba ſcribens: Tomo 2.fol. 559.b. *Deinde ſperandum eſt tibi (o* pijſſime Rex) *viſurum eſſe, ſanctorum, prudentium, fidelium, conſtantium, fortium, virtuoſorum omnium, quicunque à condito mundo fuerunt, ſodalitatē, cœtum & contubernium. Hic duos Adam redemptū & redemptorem: Hic Abelem, Enochū, Noham, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum. Iudam, Moſen, Ioſuam, Gedeonem, Samuelem, Pinhen, Heliam, Heliſeum, Iſaiam ac Deiparam virginem, de qua ille præcinuit, Davidem, Ezechiam, Ioſiam, Baptiſtam, Petrum, Paulum: Hic Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hic Anteceſſores tuos, & quot in fide migrarunt maiores tuos videbis. Et ſummatim non fuit vir bonus, non erit mens ſancta, non fidelis anima, ab ipſo mundi Exordio, vſque ad eius conſummationem, quem non ſis iſthic cum Deo viſurus.* Hæc ille.

Ex quibus liquidò apparet, *Zvvinglium*, & qui eius ſomnia *approbant*, non tantùm fideles & in Chriſtum credentes animas, ſed omnes omnino, civiliter bonos & virtuoſos viros, in cœlum & vitam æternam locare, etiamſi de Chriſto nec quicquam audiverint, nec vnquam in illum crediderint, *vnde videre eſt* in Catalogo cœli Zvvingliani *Hercules, Theſeos, Catones, Scipiones* & alios gentiles homines, à fide, & Religione Chriſtiana prorſus *alienos*. Hoc nimirū hominum genus, *aulæ Poſticæ* ſtructuram, non ita connexam credit cum æde ſacra Prophetica, vt non niſi per illam aditus *in aulam poſticam* pateat, ſed vndecunque & quibuſcunque adventantibus, non modò conſceleratam in terris vitam non egerint, vbique cœlorum ruinas patere ſomniant, vt licet per Anticam non ingrediantur, per multas poſticas liberè introeundi multiplices habeant & paratas occaſiones.

Pontificiorum inſania, cœlum proprio meritu conſcendēdum ſomniantium.

Manifeſta eſt Zvvinglij ſtultitia inter omnes, vt qui nimis craſſo & palpabili errore, homines Ethnicos, ab omni cognitione & fide Chriſtiana vacuos, cœlo inſert, & in medio Prophetarum & Apoſtolorum beatorumque omnium concilio locat. *Sed non minor* aut levior inſania eſt *papicolarum*, qui ſanè de Eccleſia & Chriſtiano nomine, confidenter gloriantur, & ſe ſolos veram Chriſti Eccleſiam iactitant: interim tamen infinitas rimas quærunt, quibus in aulam poſticam furtim irrepant. Quotquot enim illi operum merita confingunt, quotquot vtriuſque ſexus ordines monaſticos inſtituunt, quotquot profeſſionis regulas circa peculiares tam habitus quàm veſtitus rationes comminiſcuntur, & quotidie ſua miſſatica ſacra, ſuas peregrinationes ad ſanctos, ſuas ſub meriti opinione numerant preces, ſua ieiunia, & mille alias ἐθελοθρησκείας multiplicant: totidem rimas aperire annituntur, quibus *præter*

Chriſtum

Chriſtum in vitæ æternæ aulam irrumpant. Nota autem ſunt Axiomata Salvatoris: *Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem*, niſi per me Ioh.14.6. *Iohan.14.6.*
Et Iohan.10.9. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Atque ibid. v.1. *Iohan.10.9.*
Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium *in ovile ovium, ſed adſcendit* aliunde, *ille fur eſt & latro.* Contemplamini igitur ſpiritualibus oculis, quàm catervatim *aula noſtra poſtica*, à papiſticæ ſuperſtitionis cultoribus oppugnetur. *Oppugnatio aulæ poſticæ pontificia.* Hic enim alius ſcalam miſſaticam admovet, ibi alii cucullas connectunt, & aulam ſuperare fruſtrà annituntur, alij certas preces ſuperſtitioſe demurmurando, *aulæ* parietes quatiunt, haud aliter, atque olim populus Iſraeliticus, buccinarum ſonitu muros Ierichunticos proſtraverunt. Sed inſuperabilis, atque invicta eſt hæc aula, ab omnibus humanis viribus atque inuentis intacta. Deus enim, *magnus Magiſter* Aulæ, *lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 1. Timoth. 6. 16. Iohan.1.18. Nihil *1.Tim.6.16. Iohan.1.18.* aliud igitur, quàm inſanam & infelicem Gigantomachiam moliuntur, quicunque *proprijs meritis*, aulam hanc introeundum ſomniant. Quamvis enim *Gigantomachia Pontificia.* multum vigilaverint, laboraverint, ſudaverint, non quicquã tamen promoverint, nec voti compotes erunt in æternùm. Attendite quid eiuſmodi ſomniatoribus Chriſtus iam reſponderit. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Matth.7.v.21.22.23. Ratio ſententiæ eſt: *Quia fruſtra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.* *Matth.7.21. Matth.15.19.*

Excipiunt Pontificij, neutiquam ſeſe, *præter Chriſtum* ingreſſum in aulam meditari cœleſtem, ſed *cum Chriſto.* Non enim ſe abijcere, aut negligere Chriſtum: ſed cum ipſius merito, ſua merita, ſuamque pietatem coniungere. *Obiectio Pontificiorum de bonis operibus.* Sic enim habet Concilium Trident. Seſſion. 6. cap. 16. de merito bonorum operum: *Nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minùs* plenè *illis quidem operibus*, quæ in Deo *ſunt facta, divinæ legi, pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam* (ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint) *conſequendam*, verè promeruiſſe *cenſeantur.* Et mox: *Itaque neque propria noſtra iuſtitia, tanquam ex nobis propria ſtatuitur, neque ignoratur aut repudiatur* iuſtitia Dei. *Quæ enim iuſtitia* noſtra dicitur, *quia per eam nobis inhærentem* iuſtificamur: *illa eadem* Dei eſt, *quia à Deo nobis infunditur* per Chriſti meritum. *Pontificii ſua bona opera, cum Chriſti merito coniungunt.*

Quæ ipſa in *Canone* 32. eiuſdem Seſſionis, hiſce verbis repetuntur: *Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe* dona Dei, *vt non ſint etiam bona ipſius* iuſtificati merita, *aut ipſum iuſtificatum bonis operibus*, quæ ab eo, per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum (*cuius vivum membrum eſt*) *fiunt*, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (*ſi tamen in gratia deceſſerit*) *conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum*: Anathema ſit.

In *eodem* Concilio Trident. Seſſ. 14. cap. 8. de neceſſitate ſatisfactionis, hæc habẽtur: *Neq; vero ita* noſtra *eſt ſatisfactio hæc, quã pro peccatis noſtris exolvimus*, vt non ſit per Chriſtum Ieſum. *Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur: ſed oĩs gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo* ſatisfacim⁹.

Et eiuſdem Seſſ.14. Canon.14. ita habet: *Si quis dixerit*, ſatisfactiones, quibus pœnitentes *per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes: Anathema ſit.*

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, licet Pontificium Conciliabulum nolit videri, quaſi *ſine Chriſto*, aut *præter Chriſtum* in aulam contendant: *ſuis tamen meritis* vitam æternam conſequi volunt: ſuis etiam ſatisfactionibus *Pontificii ſuis meritis in Deo factis vitam æternam promereri volunt.*

peccata

peccata ſe redimere, & vitam æternam mereri, apertè pronunciant: Id quod ſolius Chriſti meritum, beneficium ac donum eſt: neque ſine extrema blaſphemia, vlli creaturæ, *extra Chriſtum*, tribui aut adſcribi poteſt. *Hæc enim eſt vita æterna, vt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti* Ieſum Chriſtum *agnoſcant.* Iohan. 17.3. *Hæc eſt voluntas Dei, vt omnis, qui videt* filium *& credit* in eum, *habeat vitam æternam.* Ioh. 6.40. vbi nulla fit mentio vllius meriti humani, aut ſatisfactionis pro peccato. *Non enim aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri,* quam Ieſu Chriſti Salvatoris. Act. 4,12. Neque Chriſtus quemquam in hoc expiandi & ſalvandi munere, *ſocium* vel auxiliatorem admittit. *Ego enim ſum,* inquit apud Prophetam, *ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas,* propter me, *& peccatorum tuorum non recordabor.* Eſa. 43.25. Et rurſus: *Torcular calcavi* ſolus, *& de populis non eſt* vir *mecum.* Eſa. 63.3. Donum *enim eſt vita æterna* Rom. 6.23. *Non* meritum. Nam *gratia ſalvati eſtis, per fidem, & hoc non* ex vobis. *Dei donum eſt,* non ex operibus, *vt ne quis glorietur.* Eph. 2.8

Pontificii iniurii in meritum Chriſti.

Solus Chriſtus vitam æternam meritus eſt.

Eſa. 63,3.

Gratia Salvatoris non admittit meritum humanum

Neque gratia Dei *vllum additamentum*, aut *mixturam* operum ſeu meritorum humanorum admittit, quocunque colore illa pingantur aut fingantur. Si enim *gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non eſt gratia. Si autem ex operibus, iam non eſt gratia, quandoquidem opus iam non eſt opus.* Rom. 11. 6 Dictum eſt Diſtichon, quod in ipſis Pontificiorum *gloſſis Canonis* legitur.

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit
Aut nihil aut totum, te lacrymante, dabit.

Simile, quod ex fide dignis hominibus audivi, olim legebatur, in propinquo *monaſterio Rhorbaldenſium*, ſed quum ante aliquot annos illud inveſtigarem, obliteratum erat.

Per Chriſti meritum tantùm ſalvamur abunde
Ergò tuis factis ne fidas, optime frater.

Clara igitur & perſpicua eſt doctrina, gratiæ per *ſolum Chriſti meritum* patere nobis in *aulam vitæ æternæ* aditum.

Sophiſticationes Concilii Tridentini.

Mera autem & Diabolica eſt Concilij Tridentini Sophiſticatio, quando nugantur patres: Noſtram *iuſtitiam inhærentem*, qua iuſtificemur, illam *eandem Dei* eſſe, quia à Deo nobis infundatur, per Chriſti meritum. Item: *ſatisfactionem noſtram*, quam pro peccatis noſtris exolvamus, eſſe per Chriſtum Ieſum. qui nos confortet, vt illo cooperante, omnia poſſimus, in quo mereamur, in quo ſatisfaciamus, &c. Item. Seſſ. 14. cap. 9. Nos *tem[illegible] flagellis* a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Chriſtum Ieſum *ſatisfacere, &c.* *Quæ verba nihil aliud ſunt*, quam noxia & peſtilens ex infernali lacu aſcendens Mephitis & exhalatio, [illegible] *totum Chriſti meritum*, totamque doctrinam de ſalvatica noſtra *gratia*, [illegible] & obſcurare; ac tandem totam illam conſumere & annihilare [illegible] poſſit. Quid enim eſt *mereri* in Chriſto *vitam æternam*? Quid eſt *ſatisfacere pro peccatis* per Ieſum Chriſtum? Ergo ne hoc ſit Chriſti Salvatoris meritum, vt ipſius gratiâ, *noſtra opera*, vitæ æternæ, ſint meritoria? vt noſtris temporalibus flagellis ipſius gratiâ ſatisfaciamus apud patrem pro peccatis noſtris? Ergo Chriſti meritum vel *ex parte* tantùm, vel prorſus *nulla parte* expiatorium eſt pro peccatis noſtris? *Apage prophanum* conciliabulum! *Apage* totius meriti Salvatoris, & omnis ſalutis noſtræ peſtis præſentiſſima! Non enim ideò in mundum venit Salvator, vt triſtiſſimâ morte ſuâ, meritoque perfectiſſimo, *noſtris tenuiſſimis opellis*, dignitatem, gratiam & pretium conciliaret, quo hæc noſtra, σκύβαλα vel ex toto, vel ex parte eſſent *pro peccatis meritoria*: Sicuti Tridentini impudenter nugantur:

Refutatio.

gantur. Et eandem ſententiam Ludovicus Granatenſis (cæteroquin eleganter doctus & devotus vir) repetit, Tomo 4. Concionum, Dominica XIII. poſt pentecoſt. de emundatione lepræ. Luc. 17. hiſce verbis. *Non ergò ſolus nobis ad emundationem ſufficit ſacrificii ſanguis, nec ſola ſufficit hyſſopus, hoc eſt, non ſolum ſufficiunt nobis labores & opera noſtra (vt Pelagiani falsò jactitant) nec ſola, ſine vllo ſtudio noſtro, Chriſti Salvatoris merita (vt infelices ætatis noſtræ hæretici blaterant) quæ alioqui ex ſe ſufficientiſſima ſunt, quod in Baptiſmo parvulorum liquet, ſed* vtrumque *ſimul neceſſarium eſt: Hoc eſt, vt laboribus Chriſti, labores noſtros, operibus opera, lacrymis lacrymas, precibus preces, atque denique ſanguinem ſanguini, hoc eſt, dolores doloribus coniungamus. Id enim eſt, quod hyſſopus tingi præcipitur ſanguine paſſeris immolati, vt quemadmodum ille pro nobis, ita nos propter illum laboremus, ſicut ille pro nobis carnem ſuam crucifixit, ita nos propter illum noſtram crucifigamus, non quod noſtri per ſe labores quicquam apud Deum valeant, ſed quod MERITO LABORUM EIUS æternâ vitâ DIGNI habeantur, vt ſalutis & redemptionis noſtræ Author ipſe habeatur.* Hæc ibi. Hanc diſtributionem meritorum, nos peſtem eſſe dicimus ſalutis noſtræ, & meriti Chriſti evacuationem & annihilationem plenariam. Non enim in mundum ille venit, vt noſtris operibus, vitam æternam merendi pretium, & dignitatem tribueret, ſed vt eſſet *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* Non vt per ipſum remiſſionem peccatorum mereremur, ſed vt *ipſe fieret propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi.* 1. Ioh. 2. 2.

Ludovicus Granatenſis.

N.B. Pontificiorum doctrina eſt, ſola Chriſti merita ad nos iuſtificandum non ſufficere.

Ad *iſthoc* verò quod attinet, quòd gratiâ & merito Salvatoris juſtificati, ad novæ obedientiæ ſtudia omnes teneamur, id *extra omne dubium* & controverſiam poſitum eſt. *Dei enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparavit Deus,* vt in illis *ambulemus.* Epheſ. 2. 10. Et Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos,* vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, *modeſtè, & iuſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.* Et mox verſ. 14. *Chriſtus ſemetipſum dedit pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem,* Zelotem *bonorum operum.* Hiſce autem operibus juſtificatorum *aliquod vitæ aut ſalutis meritum* (quod à ſolo Chriſto eſt) adſcribere, id verò idololatricum, Salvatori ignominioſum, & in Deum blaſphemum eſt. Recompenſationem iiſdem polliceri, & ſcripturis & gratiæ promiſſionibus conſonum eſt. Nam cùm totum quidem Deo debeatur, quicquid ipſius gratiâ ſumus aut poſſumus, aut perficimus, nihil tamen eidem gratis exſolvitur, ſed quâ eſt infinitâ bonitate & benignitate in nos, quaſi viciſſim debitor factus, omnibus pietatis operibus, remunerationes largiſſimas, & pollicetur & reddit, *ſuaq; in nobis,* vt ab antiquo loqui ſoliti ſunt, *coronat dona.* Adeò, vt etiam frigidæ hauſtum *in vita æterna* liberaliter compenſare velit. Matth. 10. 42. Patet igitur Pontificios etiam, in aulam poſticam alienas rimas inveſtigare, quod opus & fruſtraneum, & cum æterna æternæ ſalutis noxa conjunctum eſt. Stat enim pronuntiatum & immota ſententia Chriſti: *Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per* oſtium *in ovile ovium, ſed adſcendit* aliunde, *ille fur eſt & latro.* Iohan. 10. verſ. 1. Hæc de illis, qui in aulam poſticam peregrinos aditus rimantur.

Chriſti merito iuſtificati ad bona opera obligamur.

Bonis operibus ſua recompenſatio promiſſa eſt.

Alia adhuc meditatio reſtat, de eo, quòd aula poſtica, nullos quoque *exitus* habet, ſed qui ſemel in eam introductus eſt, perpetuò ibi manet. Vita nimirùm & felicitas beatorum, vita & felicitas æterna eſt, ſine fine & permutatione ſtabilis & immota. Ea de re plurima & jucundiſſima ſcripturarum teſtimonia & promiſſiones extant. *Sic dilexit Deus mundum, inquit Salvator, vt filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat* vitam æternam. Iohan: 3. v. 16. Rurſus Iohan. 6. 4. *Hæc eſt voluntas patris, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, non pereat, ſed habeat* vitam æternam. Et v. 48. *Qui credit in me habet* vitam æternam. Et id genus ibi plura. Iohan. 10. 27. *Oves meæ, vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur*

Aula poſtica exitu caret.

Teſtimonia de vita æterna.

1. Novi Teſtamenti.

me, & ego vitam æternam *do eis, & non peribunt* in æternum, *& non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Iohan. 16. verſ. 20. 22. *Contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum,* nemo tollet *à vobis.* Eleganter autem & ſummo cum affectu in precibus ſuis ad patrem, Iohann. 17. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Id quod procul dubio, non niſi in vita æterna fieri poteſt. Cuius conferendæ ſententiam & ordinis proceſſum, prolixè deſcripſit, Matth. 25. v. 31. & ſeqq. Tandem in parabola Epulonis, maximè perſpicuis verbis oſtendit Salvator, in altero futuro ſeculo, neque beatitudinis, neque damnationis, vllam permutationem futuram eſſe. *Inter nos* enim inquit, *& vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde hùc tranſmeare.* Hoc eſt, nulla felicitatis cum infelicitate, aut viciſſim, in altero illo ſeculo, neque beatis metuenda, neque damnatis ſperanda eſt. Plura teſtimonia alibi quoque legimus, vnum & alterum attingamus breviter. Rom. 2. 6. *Reddet Deus vnicuique ſecundùm opera ſua. His quidem ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus, vitam æternam, &c.* 1. Pet. 1. 3. *Deus regeneravit nos in ſpem vivam, in hæreditatem* incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſſibilem, *conſervatam in cælis, &c. paratam revelari in tempore noviſſimo.* Apocal. 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum* columnam *in Templo Dei mei,* & foràs non egredietur amplius. *Et ſcribam ſuper eum, nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum novum.* Et rurſus cap.

a veteriſ Teſtamenti.

7. 16. *Hi, qui ſunt ante thronum agni, non eſurient, neque ſitient ampliùs, neque cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus. Quoniam agnus, qui in medio Throni eſt, paſcet illos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Quæ eadem repetuntur Apocal. 21. 4. Hiſce additis: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt. Et ne putemus, in novo demùm Teſtamento,* vitæ æternæ *teſtimonia prodita eſſe, notæ ſunt translationes,* Enochi & Eliæ, *ex hoc in alterum ſeculum, quorum hic in transfiguratione Salvatoris, unâ cum Moſe de exitu Salvatoris conferre animadverſus eſt.* Et David Pſalm. 16. 11. *Notas mihi facito vias vitæ, ſatietatem gaudiorum ante faciem tuam, & delectationes in dextera tua in* æternum. Denique claſſicum eſt illud Danielis cap. 12. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in* vitam æternam, *& alii in ignominiam* ſempiternam.

9. Piorum meditationes de vita æterna.

Utrumque igitur habemus, & *beatitudinem* juſtorum, qui per Chriſtum ingrediuntur in vitæ aulam, & eiuſdem beatitudinis *æternitatem*, & fixam immobilitatem. Quæ cùm infirmitatem & imbecillitatem mentis noſtræ utraque ſuperent: *Auris enim non audivit, nec oculus vidit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe*, aliorum etiam piorum, de hiſce tantis incomprehenſibilibus, & humanis linguis inexplicabilibus rebus meditationes audiamus, ut illis quoq; in noſtris felicius adjuvemur. *Auguſtinus* igitur in Manuali, cap. 7. De gaudio paradiſi & vitæ *æternæ* ita meditatur. *O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata, ubi gaudium ſine mærore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpe.ui/as ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate. Vbi omnia bona in charitate perfecta, ubi ſpecies & viſio à facie ad faciem, ubi plena ſcientia in omnibus & per omnia, ubi ſumma Dei bonitas cernitur, &c. Vbi ſancti ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur, &c. Vbi victor miles donis ineffabilib us c umulatur:*

I. Auguſtini. Tom. 9. Col. 791.

Nobile perpetuâ caput amplectente coronâ. Hactenus ille.

2. Timoth. 4. 7.

Hæc nimirùm corona illa eſt, de qua Paulus: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & oīb. qui diligunt adventū eius.* Hæc eſt corona illa triumphalis, de qua Apoc. 2. 10. *Eſto fidelis uſq; ad mortē, & dabo*

Digitized by Google

& dabo tibi coronam vitæ. Et cap.2.11. *Tene quod habes, & nemo accipiat* coronam *tuam. Hi ſunt ſeniores ſuper Thronos locati, circumamicti ſtolis albis, & in capitibus eorum* coronæ aureæ. Apocal.4.4.

Idem Auguſtin. ibidem Manual. cap.17. *O quàm glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Fundaris enim exultatione vniuerſæ terræ, non eſt in te ſenectus, nec ſenectutis miſeria, non eſt in te mancus, neque claudus, neque gibboſus, neque deformis, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quid hac vita beatius? Vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, vbi nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo inuidet, cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla honoris, aut poteſtatis pulſat ambitio, nullus ibi Diaboli metus, inſidiæ Dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis, neque animæ, ſed immortalitatis munere iucunda vita.* Et ibidem mox, poſteaquam plura vitæ æternæ privilegia recenſuiſſet, tandem etiam hęc ſubiungit: *Verùm ſuper hæc omnia eſt, conſociari choris Angelorum, & Archangelorum atque omnium cæleſtium virtutum, intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apoſtolos & omnes Sanctos, videre etiam Parentes noſtros. Glorioſa ſunt hæc, ſed multò glorioſius eſt, præſentem Dei vultum cernere, & incircumſcriptum videre lumen, &c.* Hæc ille.

Tom.9. Col.759.

Sed quæcunque tandem dicamus, quæcunque meditemur, minora dicimus, viliora longè meditamur, quàm quæ rei dignitati & gravitati convenire queant. Siquidem omnia iſthæc bona *cæleſtia* ſunt, *diuina* ſunt, quæ exſpectamus, nos autem de terra terreni, vix minimam eorum intelligentiam aſſequimur, quæ quotidie ante ora vultusque, ante oculos pedesque noſtros obverſantur.

Magna ſunt hæc, pretioſa & glorioſa ſunt, quæ breviter attigimus, ſed inde quoque maiora agnoſcuntur, quod omnia iſthæc *vitæ beatæ* munera, nullo exitu aut fine vnquam terminantur. Quiſquis enim ad fruitionem horũ bonorum ſemel pervenerit, in æternum illis perfruitur. Qua de re non minus eleganter Auguſtinus, aliquot in locis, quàm de ipſa bonorum vitæ æternæ præſtantia. Sic enim ille, in Pſalm.102.v.25. (In generatione generationum anni tui) *Eſt quædam generatio generationum, in illa erunt anni tui. Quæ eſt iſta? Eſt quædã, & ſi bene agnoſcamus, in illa erimus, & anni Dei in nobis erũt. Quomodo in nobis erunt? Quomodo ipſe Deus in nobis erit? Vnde dictum eſt, vt ſit Deus omnia in omnibus. Non enim aliud anni Dei, & aliud ipſe Deus, ſed anni Dei, æternitas Dei eſt. AEternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit, nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit. Sed non eſt ibi, niſi E S T, non eſt ibi fuit & erit, quia & quod fuit, iam non eſt, & quod erit nondum eſt, ſed quicquid ibi eſt, non niſi E S T.*

Auguſtinus de ÆTERNITATE futuræ beatitudinis.

Auguſt. Tom.8. Col.1146.

Et rurſus in Pſalm.148. *Attendamus ad iudicium dilectionis & promiſſionis Dei. Tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti. Quis mortuus eſt? vnicus. Pro quibus mortuus eſt? vtinam pro bonis, vtinam pro iuſtis. Sed quid? Etenim Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impijs mortuus eſt. Qui donavit impijs mortem ſuam, quid ſeruat iuſtis, niſi vitam ſuam? Erigat ergò ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat, non ero. Qui promiſit Deus eſt, & venit, vt promitteret, apparuit hominibus, venit ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam.*

Idem. Tom.8. Col.1732.

Rom.5.

Et poſt aliqua: *Promiſit nobis, quod ibi futuri ſimus, vnde venit, & ait. Pater, volo, vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum. Tanta præceſſit dilectio, quia ubi nos eramus fuit nobiſcum, ubi ipſe eſt, erimus cum illo. Quid tibi promiſit Deus, ò homo mortalis? Quia victurus es IN AETERNVM. Non credis? Crede, crede. Plus eſt iam, quod fecit, quàm promiſit. Quid fecit? Mortuus eſt pro te. Quid promiſit? vt viuas cum illo. Incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quàm ut in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius eſt tenemus. Si propter hominem mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? Non eſt victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eſt, qui viuit in æternum?*

Col.1733.

Quibus verbis Auguſtinus, vitæ æternæ *certitudinem* demonſtravit. Quid autem ſit æternitas, alibi, præter ſuperiora, hiſce verbis eleganter & ſcitè admodum explicavit (in Pſalmum 122. verſ. 3. Cuius participatio in idipſum) Pſalm. 102. *Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ecce, idipſum, cuius anni non deficient. Fratres nonne anni noſtri quotidiè deficiunt, nec ſtant omninò? Nam & qui venerunt, iam non ſunt, & qui futuri ſunt nondum ſunt. Iam illi defecerunt, & illi defecturi venturi ſunt. In hoc ergo ipſo vno die, fratres, ecce modò quod loquimur in momento eſt. Præteritæ horæ tranſierunt, futuræ nondum venerunt, & cum venerint, & ipſæ tranſibunt & deficient. Qui ſunt anni, qui non deficiunt, niſi qui ſtant? Si ergo ibi anni ſtant, & ipſi anni qui ſtant vnus annus eſt, & ipſe vnus annus, qui ſtat, vnus dies eſt, quia ipſe vnus dies, nec ortum habet, nec occaſum, nec inchoatur ab heſterno, nec excluditur à craſtino, ſed ſtat ſemper ille dies. Et quoduis vocas illum diem: Si vis, anni ſunt, ſi vis, dies eſt, quodcunque cogitaveris ſtat tamen.* Hæc Auguſtinus, infirmitati noſtræ, Æternitatem, qualicunque ratione deſcripturus, in qua nec prius, nec poſterius eſt, nec preteritum nec futurum, nec vlla mutatio, ſed *vnum, perpetuum, & ſtabile, atq; ſemper idem NVNC*, quod neque ipſum mutatur vnquam, nec quicquam mutatur in illo. Et, ſi tarditatem noſtram *comparationes* aliquid iuvare aut ſublevare poſſunt, eleganter Eccleſiaſticus æternitatem exprimit, guttam aquæ cum mari, & arenæ globulum cum orbe conferens, ſic mille annos cum æternitate, in hæc verba ſcribens. Eccleſ. 18. 8. ὡς σαγὼν ὕδατος ἀπὸ θαλάσσης, καὶ ὡς ψῆφος ἄμμου, οὕτως χίλια ἔτη ἐν ἡμέραις αἰῶνος. hoc eſt, *ſicut gutta aquæ à mari, & ſicut calculus arenæ, ſic mille Anni in diebus ſeculi.* Quam eandem comparationem veteres expreſſerunt, dicentes, ſi ex globo terreno, ſingulis millenis annis, avicula vnicum arenæ calculum aſportaret, ad æterna tamen ſupplicia damnatis, ſpem liberationis reſiduam fore. Sed ô miſeram & ô deſperatam ſpem, quot enim ſeculorum myriadum myriades ad tardiſſimam illam orbis translationem requirerentur? tandem tamen, licet poſt infinita propemodum ſecula, translatio iſthæc conſumeretur. Sed in æternitate, in ſtabili nimirum illo & æterno NVNC, vt nulla mutatio, ſic nullus finis aut terminus credendus. Hæc enim mutatio eſſet maxima & ſumma, quæ tamen in immutabile NVNC nulla prorſus cadit. Moſes in oratione ſua, æternitatem & immutabilitatem Dei deſcripturus, dicit: Pſalm. 90. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteryt, & cuſtodia in nocte.* Quæ ipſa verba Petrus repetijt, 2. Petr. 3. 8. *Vnum hoc non lateat vos chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut* mille anni, & mille anni *ſicut dies vnus.* Qua verborum *converſione*, Petrus dilucidè oſtendere voluit, in æternitate nihil aliud, quàm æternitatem eſſe, hoc eſt, *perpetuum & ſtabile NVNC*, nec quicquam referre, quocunq; illud nomine inſigniatur, & ſive horam, ſeu diem, ſeu annum, ſeu annos appellare libeat, eſt æternitas, ſine mutatione & termino. Quam ob cauſam idem Petrus, hæreditatem noſtram *incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſſibilem vocat, conſervatam in cælis.* 1. Pet. 1. 4.

Auguſt. Tom. 8. Col. 1435. 1436.

Similitudines de ÆTERNITATE.
1. Gutta aquæ ad mare.
2. Arenæ globulus ad totum terrarum orbem. Syrac. 18. 8.
3. Antiquitatis avicula tranſportans orbem.
Deſperata ſpes damnatorum.

Moſes. Pſal. 90. 4.

2. Petr. 3. 8.

Æternitas perpetuum & ſtabile NVNC.

VSVS contemplationis Aulæ poſticæ.

Hactenus præſtantiam bonorum, eorundemque æternitatem vidimus, quibus iuſti & ſancti, in aula poſtica æternùm beati æternùm perfruentur: iam ineffabilis illa æternorum bonorum dignitas & præſtantia monet, vt cõtemplationibus eorundem, in hac ipſa infirmitate noſtra, animos menteſque noſtras, adeoq; vitam omnem informemus. Non enim otioſos tantarum maximarum rerum ſpectatores nos eſſe oportet, ſed quæ iam contemplamur, iiſdem proximè cum omnibus beatis perfruituri, piè eruditis oculis ita contemplemur, vt ad vitæ noſtræ emendationem & ſanctitatem, ad patientiam in adflictionibus, ad charitatem mutuam inter fratres, vnius cœleſtis gloriæ futuros hæredes, ad laudem & gloriam Deo noſtro decantandam, ad contemptum & oblivionem omnium rerum humanarum, accommodata ſint.

Dicimus

Digitized by Google

I.

Vita æterna meditatio ad vitæ ſanctitatem nos exhortatur.

Dicimus, hanc cœleſtis aulæ contemplationem ad vitæ noſtræ *ſanctitatem* comparatã eſſe debere. Videmus enim illam Dei ſanctiſſimi habitaculum eſſe, videmus in illam, non niſi vera Eccleſiæ membra, hoc eſt, non niſi ſalvifica fide in Chriſtum homines iuſtificatos & ſanctificatos intromitti. Sanctorum enim hîc eſt concilium, in quibus nullum amplius peccatum, nullus defectus, nulla depravata cupido. Sed ad hanc ſanctitatem, dum in hoc ævo degimus, inchoativis principijs adſpirandum eſt omnibus, qui olim Aulæ ſanctæ conſequi ſperant perfectionem. Non enim niſi qui in hac vita *ſanctitatis Candidati* fuerint, ad ſummum illum honoris & perfectionis gradum promovebuntur. Hinc illud Zachariæ, genitoris Baptiſtæ: *viſitauit nos Deus* (mittendo Salvatorem) *vt de manu inimicorum noſtrorum liberati, illi ſeruiamus,* in ſanctitate & iuſtitia *coràm ipſo, omnibus, diebus noſtris.* Luc. 1. v. 74. 75. Ad Epheſ. 4. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt,* in iuſtitia & ſanctitate *veritatis. Hæc enim eſt voluntas Dei* ſanctificatio *veſtra, vt abſtineatis à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum, vas ſuum poſſidere in* ſanctificatione & honore, &c. 1. Theſſ. 4. 3. *Et diſcedat ab* iniquitate, *omnis, qui nominat nomen Chriſti.* 2. Tim. 2. 19. Et mox: *Si quis ergo ſe emundauerit ab iſtis, erit vas* ſanctificatum *in honorem, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Ibid. v. 21. Sic Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria,* modeſtè & iuſtè, & piè (σωφρόνως καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς) *viuamus in hoc* ſeculo, *reſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem,* Zelotem bonorum operum. Quæ omnia verba graviſſima & pulcerrima ſunt, digna omnium hominum, maximè Theologiæ Studioſorum, fideli memoria, & ſimul prægnantiſſima, in omnium piorum animis, pietatis & ſanctitatis excitandæ. Epiſtola ad Hebræos cap. 12. 14. hiſce verbis ad ſanctitatem nos exhortatur: *pacem ſectemini cum omnibus,* & ſanctimoniam, *ſine qua* nemo *videbit Deum.* Liber denique Apocalypſeωs de hac fidelium ſanctitate pulcerrimè commentatur, in hæc verba ſcribens. cap. 7. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus & populis, & linguis, ſtantes ante thronum & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus (ei) qui ſedet ſuper thronum Dei noſtri, & agno, &c. Et reſpondit vnus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine tu ſcis. Et dixit mihi, hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni, &c.* Quæ amplius explicantur Apocal. 14. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt, hi ſequuntur agnum, quocunque ierit. Hi empti ſunt, ex hominibus, primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium:* Irreprehenſibiles *enim ſunt ante thronum.*

Apocal. 7. 9.

Apocal. 14. 4.

Explicatio loci Apocal. 14.

Quibus in verbis hoc *primùm* obſervandum eſt, agi hoc loco, de Eccleſia militante. Mentionem enim facit montis Sionis, qui & hoc & multis alijs ſcripturæ locis, pro Eccleſia ſumitur. *Deinde* notandum, non damnari citatis verbis *coniugium*, quod ordinatio ſancta & divina eſt, in quo etiam multi ſancti vixerunt & ſalvati ſunt, multi quoque adhuc dum Sancti in eodem vivunt, & fideles ſalvabuntur. Sed accipitur hoc loco coinquinatio illa muliebris, *ſpiritualiter*, pro *falſa & idololatricâ Antichriſtianâ doctrina*, qua cum polluti, meretricijs amoribus polluti & coinquinati dicuntur. Quo *eodem ſenſu*, Antichriſtum, vt mulierem inpudicam & meretricem, qua cum plurimi Reges terræ ſcortentur in cap. 17. Idem Apocalypſ. liber deſcripſit. Et *Prophetæ* familiari phraſi, per ſcortationes idolatriam intelligunt. Virgines autem dicuntur, qui ſive cælibes, ſive coniugati ſint, à pollutione idololatrica puri & integri ſunt. Quo modo *Chriſtus* Eccleſiæ ſuæ *ſponſus*, Eccleſia verò, ex omnium ordinum hominibus conſtans, pura & ſancta ipſius *ſponſa*, & *virgo*

In Apocalypſi non damnatur coniugium.

Pollutio ſpiritualis eſt idololatria.

Virginitas ſpiritualis puritas eſt & integritas à falſa doctrina.

Digitized by Google

ſine rugis & maculis celebratur. Epheſ. 5. Et ad Corinthios ſcribit Paulus: *2. Corinth. 11. 2.* *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* *Tertio* illud quoque *Quomodo fili ſequantur agnum.* obſervandum eſt, quod dicit citatus textus: *virgines illi* [illegible] *ſequi, quocunque ierit.* Ex quo perperam *Hieronymus* Sanctorum [illegible] probare voluit. Concionatur enim Iohannes, de ſanctis & fidelibus, qui ſub Antichriſti *1. In fidei puritate.* Tyrannide, puram Evangelij doctrinam profitentur, & ſanguine ſuo confirmant. Sequuntur igitur agnum *quando vocem paſtoris* [illegible], & *in* [illegible] *fidei articulis,* κατὰ [illegible], quod dicitur, *inſequuntur.* Omnes autem Antichriſtianas [illegible] fugiunt, [illegible], deteſtantur. *Sequuntur* etiam *2. In Sanctitate morum.* agnum [illegible] vita & moribus ſuis. [illegible] enim voluntatis [illegible] noverint, [illegible] & [illegible] mente, o[illegible]que ſtudijs exprimere conantur. Quamobcauſam in fine verſus 4. *E[illegible] hominibus, & primitiæ Deo Agnoque dicuntur celebrantur,* hoc eſt, converſi a [illegible] in lucem & *Actor. 26. 18.* tranſlati a poteſtate Satanæ ad Deum. Act. 26. 18. Et poſt mortem in eadem quidem cum Chriſto vita æterna futuri ſunt: *Volo* enim, inquit ad patrem, *ut* *Iohan. 17. 24.* [illegible] *ille ſint, quos dediſti mihi.* Iohan. 17. Sed in thronum divinitatis & dextræ Dei, ad quam Ieſus ex Maria virgine natus, & in perſonam λόγου aſſumptus homo, exaltatus eſt, nemo ſanctorum & beatorum collocabitur. *Quomodo fideles dicantur irreprehenſibiles & inculpati.* Quod tandem in oſculo [illegible] nullus dicitur *inventus eſſe dolus*, & inculpati celebrantur ante Thronum Dei, id non ſic accipiendum eſt, quaſi ſancti in terris ad illud hoc perfectionis, vt omni peccato careant, vnquam pervenire poſſint. Quamdiu enim vivimus, & ſecundum Pſalm. 32. 6. & ſecundum orationem Dominicam, quam ipſa veritas nobis dictavit, *quotidie nobis pro remiſſione pecca-* *1. Iohan. 1. 8.* *torum orandum eſt. Et ſi dixerimus peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt* [illegible] *remittat nobis peccata noſtra, & emundet* [illegible]. 1. Iohan. 1. [illegible] 8. 9. Sed *1. Imputative.* ideo ſine dolo & inculpati eſſe dicuntur. 1. *Imputative*, [illegible] ſu[illegible]nt peccatores, *ſed* [illegible] 1. Corinth. 6. 11. 2. Deinde [illegible] *2. Inchoative.* ipſos [illegible] operibus ſtudiiſque [illegible] & [illegible] corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non ficta, [illegible] Chriſtianis [illegible] *3. Gratiose.* cendis incumbunt. 3. Tandem, *gratiose.* Quod [illegible], omnimodis deficientes conatus, *qui per Chriſtum* [illegible] *grata ſunt*, perfectionis titulo, ex gratia & amore, per Chriſtum, ex quo omnis plenitudo & perfectio eſt, reputantur & nobilitantur. Quæ obiter de verbis Apocalypſeos annotanda fuerunt. Quibus omnibus ſubiunguntur iſthæc eiuſdem libri. cap. 20. 11. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*, hoc eſt, qui bene cœpit, non molleſcat cupiditatibus, non frangatur adverſis, ſed in tramite virtutis & continenter pergat, & ſeipſum in pietatis ſtudijs indies contendat ſuperare. Hic primus contemplationis noſtræ vſus eſto. Ad Sanctorum Aulam *Inſcriptio Aulæ po ſticæ: Sine ſanctimonia nemo videbit Deum. Hebr. 12. 14.* pergens, continenter ſtudeat ſanctificationi. Sicut enim Platonica Schola hanc olim inſcriptionem habuit: ἀγεωμέτρητος [illegible] εἰσίτω: Ita nos Aulam noſtram poſticam, hoc eſt, Aulam vitæ beatæ, hanc præferre & oſtentare Regalem iubemus, χωρὶς τοῦ ἁγιασμοῦ οὐδεὶς ὄψεται τὸν [illegible]. Seu quod idem eſt: [illegible] ἁγιασμοῦ [illegible] εἰσίτω.

Vſus & praxis inſcriptionis. *Quotieſcunque* igitur *vel voluptatum illecebras* cupido tibi obiecerit, vel *animi elationem* & ſuperbiam tumſerit faſtus, vel [illegible] *cupiditatem* aut invidiam, iram, *1. Omnis generis peccata fugiamus, quæ aditum in Aulam præcludunt,* *helluationes* & commeſſationes, [illegible], *avaritiam* & fraudes, habendi cupiditas, aut *quaſcunque alias* [illegible], carnis utilitatio & pravitas dictaverint, tu nunquam oculos tuos ab hac *aulæ inſcriptione* declinare aut deviare patitor: [illegible] ἁγιασμοῦ οὐδεὶς εἰσίτω. Et hoc veluti fulmine, omnes voluptatum peccatorumque cupiditates diſpellito, ante ora vultuſque tuos ſemper habens inſcriptionem hanc, ſemper exerce teipſum ad pietatem. *Nam corporalis*

exerci-

exercitatio ad modicum eſt vtilis: Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, 1. Timoth. 4. 8. *Cumprimis autem* futuros huius Aulæ cives, ab omni morum impuritate illud abſterreat, quòd ſcimus *Aulæ magiſtrum*, Deum Optimum Maximum, Chriſtū Servatorem noſtrum, qui ſuam nobis præſentiam, vſque ad mundi finem pollicitus eſt, non tantùm *ſanctiſſimum* [illegible] omnium quorumque cogitationum & actionum noſtrarum, & *conſcium & ocularem* teſtem eſſe. Quod igitur præter Chriſtum, ſapientibus & honeſtis Ethnicis dictum eſt: *Te, ſine teſte, time.* (Cuiuſvis enim hominis, omnium actionum & cogitationum conſcia mens, mille teſtis eſt) id nobis *Chriſtianis*, qui Deum omnia vbiq; moderantem & contuentem novimus, multo altius infixum hæreat, in hunc modum inflexo Noëmate: *Deum vbiq; teſtem time*, reverere, cole. Adde, ſi *rubor* in Domini conſpectu, in hac animorum frigiditate iam langueret, vt vel illud memori tecum mente repetas, olim, quùm Aulæ Magiſter, *Aulicos ſuos* recenſitum, vivosq; & mortuos iudicatum venturus eſt, omnia omnium hominum facta cogitataq;, non tantùm in Dei omniſcij cōſpectu, qui iam antea cordis tui intima penetralia novit, nec tantùm in Angelorum & Archangelorum, quorum magna pars omnis vitæ & Actionū tuarū ſpectatores fuerunt: ſed etiam in *vniverſo omnium beatorum cœtu*, quorū multa millia nullius futuri ſunt, quorum etiam in diebus carnis tuæ neque *vultus* vidiſti, neque *nomina* exaudiviſti vnquam, in horum inquam omnium conſpectu, omnia tua facta cogitataq; manifeſtatum iri, memori ſemper mente volvito [illegible]. Nunquid enim miſeri illi, qui propter ſcelera admiſſa [illegible] Catalogus recitatur oculis in terram defixis, pudore & rubore [illegible] plane deſperati ſint, in tanto tamque numeroſo ſpectatorum concurſu obſtupeſcunt? Quid igitur in ſummo illo & generali omnium mortalium iudicio, futurum putabimus, in quo totius mundi hiſtoria omnibus beatis manifeſtabitur. *Omnes* enim *nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; pro vt in corpore geſſit* (τὰ διὰ τοῦ σώματος) *ſive bonum, ſive malum*, 2. Corinth. 5. 10. Et in Epiſtola Iudæ v. 15. *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus iniquitatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti ſunt contra eum peccatores impij.* *Dico enim vobis* (ait Salvator) *quoniam de omni verbo otioſo, quod loqüuti fuerunt homines, reddant rationem in die iudicij*, Matth. 12. 36. *Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, etiam omne* occultum, *ſive bonum ſive malum ſit*. Eccleſiaſtes cap. 12. 14. *Lætare ergo iuvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum*. Ibidem 11. verſ. 9. Quæ ſunt verba ironicæ conceſſionis, ad petulantes & irreligioſos iuvenes, quaſi diceret Eccleſiaſtes: In diem vivitis iuvenes, ab omni cura & ſollicitudine pietatis, reverentiæ, & omnis officij vacui, rerum futurarum prorſus immemores: agite igitur, indulgere quiſque genio, expedite omnes nemine retardante, cupiditates veſtras, explete deſideria pro votis lubitiſque, futurus eſt dies, quem iam nihil cogitatis, aut curatis, quando DEO ſeveriſſimo iudici, de omni hac petulantia veſtra rationes eſtis graviſſ. reddituri. Ideo ſubijcit Eccleſiaſtes: *Et ſcito, quod pro omnibus his adducet te DEUS in iudicium.* Hoc eſt, ſpernitis modò, & ſuperbè atque contumaciter reijcitis omnes admonitiones, vitæ piè beateque tranſigendæ informationes, adeoque monitores, Præceptores, Paſtores, & Parentes veſtros, odio proſequimini, naſo ſuſpenditis, proterve contemnitis: ſed macti virtute, bonis eſte animis, dictus iudicio dies, qui vniverſalis vniverſaliter omnibus inſtar, hæc omnia veſtræ petulantiæ ſtudia, dignis præmijs, abundanter eſt compenſaturus.

2. Sciamus Aulæ magiſtrum eſſe omniſcium.

Te ſine teſte time.

3. Omnia noſtra facta beatis omnib. manifeſtabuntur.

Simile. De pudore capitis damnatorum.

Eccleſ. 11. 9. Ironia ad petulantes iuvenes.

Quis eſt noſtrûm, optimi Auditores, quem hæc ſapientiſſimi Regis concio, non in veræ pietatis, ſobrietatis, obedientiæ, & omnis ſapientiæ atq; prudentiæ Chriſtianæ vias revocare poſſit ac debeat? niſi eum proterva & contumax impietas totum tranſverſum egerit. Quis eſt, qui diem illum, omnium *occultorum revelatorem*, ante oculos ponens, non ſingulis momentis, piè, ſanctè, iuſtè, modeſtè, atq; in omnibus ita vivere cupiat, vt nihil vnquam in ſe admittat, cuius in Aula illa, & Concilio beatorum pœnitere olim aut pudere poſſit. O nos felices, ô terq; quaterque beatos, ſi hanc Aulæ beatæ lucem, ante ora vultusq; noſtros ſemper ponentes & contuentes, in luce & conſpectu Dei continenter ambulemus. Sic enim operibus tenebrarum nuncio miſſo, lucis operas lucis filij, tanquam in luce ſectaremur. Sicuti Abrahamo dixit Dominus: *Ego ſum Dominus omnipotens, ambula* coràm me *& eſto perfectus*, Geneſ. 17. 1. Et Paulus: *Nos qui diei ſumus* (& lucis, qua æterna illa beatorum aula colluſtrabitur, candidati) *ſobrij ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis*, 1. Theſſal. 5. 8. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus, non in commeſſationibus & Ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis ad deſideria.* Rom. 13. 12. &c. *Summam* igitur *rei totius audiamus: Deum time, & mandata eius obſerva: Hoc eſt totum hominis.* Deum nimirùm, vbique præſentem, omnia contuentem, omnia futuro iudicij die revelantem, Deum omnes mandatorum obſervatores, præmijs affecturum, omnes impios & præfractos contemptores, ſupplicijs vindicaturum æternis. Hoc eſt TOTVM hominis. Id eſt, hoc vnum, Deum videlicet timere, & eiuſdem obſervare mandata, totum illud eſt, in quo homo, in omni vita ſua occupari, in hoc vno omnia ſtudia, deſideriaq; ſua ponere debet: In hoc vno homo, qui ad imaginem Dei conditus eſt, verè homo eſt, in reliquis omnibus ſtudijs, & meditationibus totus vanus eſt, TOTVS vanitas vanitatum. *In omnibus* igitur *operibus tuis, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, Syrach. 7. v. 40. Hic primus eſt vſus contemplationis noſtræ practicæ, vt videlicet Aulam vitę beatæ contemplantes, quam ſolus ſanctus Deus, ſoli ſancti Angeli & Archangeli, ſolus ſanctus ſanctorum & beatorum cœtus inhibitat, iſta contemplatione & ipſi *ad ſanctitatem & pietatem* invitemur, ijs rationibus, quæ piorum mentibus depictæ, & beatitudinem ſperantium animis impreſſæ ſunt.

Eccleſ. cap. 12. 13.

II.
Vitæ æternæ meditatio conſtantem patientiam alat.

Secundus contemplationis noſtræ vſus, ad *patientiam* in animis noſtris plantandam, alendam & confirmandam conducit, ne videlicet vllis vnquam adverſis frangamur, nullis calamitatum procellis aut fluctibus mergamur, quoties ad cœleſtis felicitatis aulam, oculos menteſque noſtras attollimus. Quid enim comparationis, ad temporales & momentaneas huius mundi miſerias habeant æterna illa gaudia, quibus piorum labores, dolores, ægritudines & triſtitiæ, quas in hoc ævo pertulerunt, inæſtimabili lucro compenſabuntur. *Ibi enim Dominus abſterget omnem lacrymam ab oculis noſtris*, Apocal. 7. 17. & 21. 4. Ibi de noſtro triumpho ἐπινίκιον cantabitur: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei, die ac nocte in Templo eius. Et qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos. Non eſurient, neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neq; vllus æſtus*, &c. Ibid. cap. 7. v. 14. &c. Hæc reputans ſecum, & conferens, inter ſe magnus ille Apoſtolus Paulus, qui in tertium Cœlum abreptus, ineffabilia vidit & audivit *myſteria*, hanc collationis ſententiam profert: *Exiſtimo, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, Roman. 8. verſ. 18. Nam *momentanea Levitas tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur nobis, non contemplantibus, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna*, 2. Corinth. 4. 17. O prudentem & expertum rerum æſtimatorem, qui vnus maximas

Temporalium ad æterna nulla comparatio.

Digitized by Google

mas & infinitas propemodum huius mundi miſerias pertulit, idemque in tertio cœlo, futuræ fœlicitatis gaudia deguſtavit, hic non levi ductus coniecturâ, ſed accuratiſſimo ſubducto calculo, in Eccleſia clarè pronunciat: *Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam.* Quæ verba non ſunt leviter aut multo cum dubio coniectantis, quaſi dixiſſet: *Exiſtimo, puto, arbitror:* ſed ſunt ex ſubductis rationibus firmiter & conſtanter concludentis: Græcum namq; eſt λογίζομαι. Quo eodem verbo, in ſuperiore quoq; Argumento, de Iuſtificatione hominis, vſus fuerat. *Arbitramur* igitur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus, Rom. 3. 28. Λογιζόμεθα ἐν πίϛει δικαιῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου, hoc eſt, *firmiter concludimus* & ſtatuimus. Eadem vis verbi etiam hoc loco æſtimationem vitæ æternæ demonſtrat. Non nudè opinor, nec dubijs ſaltem rationibus conijcio, ſed *certis argumentis demonſtrativè concludo*, huius ævi calamitates, non dignas eſſe, vt ad futuram gloriam quacunq; collatione comparentur. Quod *enunciatum* diligenti conſideratione dignum eſt. Scimus enim diverſiſſimi pretij res, quacunq; tamen proportione (pro divinis *Arithmeticæ* divitijs) conferri poſſe: Sed terrena cum cœleſtibus, caduca cum æternis, Apoſtoli pronunciato, nullam habent comparationem. Finiti nimirum, cum infinito nulla eſt collatio. *Cumulentur* igitur, omnium ætatum, omnium quoque & ſingulorum hominum paſſiones, calamitates, miſeriç, cruciatus & tormenta, vtcunque ſanè numero iſthæc plurima, acerbitate & pondere, magna & gravia futura ſint: temporanea tamen, adeoque & numero & magnitudine finita futura ſunt, & hinc ad proportionem & collationem, rerum æternarum nunquam perventura. Adde amplius, quod ſi in malorum genere, huius ævi cruciatus, cum æternis cruciatibus, nullam comparationem admittunt. Omnes enim momentanei cruciatus, NIHIL ſunt, ad ÆTERNOS. Cùm finiti ad infinitum nulla comparatio. Quod ſi, inquam, in malorum genere, huius ævi paſſiones ad miſerias æternas nullam comparationem inveniunt, quantò magis abſurdum fuerit, paſſiones momentaneas, cum æterna gloria comparare velle. Hic vigeat & valeat concluſum Apoſtolicum: Exiſtimo, hoc eſt, immotis & æternis Argumentis concludo, & concluſum apertè pronuncio, *quod non ſunt condignæ* paſſiones *huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et cum hoc concluſo eleganter concordant, eiuſdem Apoſtoli verba ad Corinthios ſcripta: *Momentanea Levitas tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur.* Vbi magis Emphatica & ponderoſa ſunt *Græca*, quæ ita habent: Τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν. Hoc eſt, momentanea levitas tribulationis noſtræ *mirè ſupra modum* æternum pondus gloriæ parit nobis, vbi ἀντίθετα Paulina diligenter obſervanda ſunt. Opponit enim *præſentia futuris, momentum æternitati, levitatem ponderi, afflictionem gloriæ:* neque ijs contentus eſt, ſed alia etiam graviſſimâ voce, eademque immediatè repetita, vtitur, inquiens, καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, *ſecundum excellentiam, in excellentiam,* æternum gloriæ pondus, calamitates & miſerias noſtras conſequuturum. *Adeoq́, verba* hæc ad Corinthios, iuſtus *Commentarius* eſſe poſſunt eorum, quæ ex Romanis citavimus. Quod enim ibi dixit: *paſſiones huius temporis, non eſſe condignas ad futuram gloriam,* hoc eſt, *nullam habere comparationem:* Idem hoc loco ſignificantiſſimis verbis exprimit, dicens: *futuram gloriam, momentaneas noſtras tribulationes,* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, hoc eſt, *ſupra omnem modum* excellentiſſ. ſuperaturam, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, *momentum* cum æternitate, *tribulationes* cum gloria, *momentaneas tribulationes,* cum æterna gloria, *leves tribulationes,* cum infinito gloriæ pondere, nullam vnquam habere poſſe collationem, aut proportionem quantulamcunque. *Agite igitur,* ô ſancti lacrymarum filij, quicunque & vbicunq; terrarũ, miſerijs & calamitatibus vitę huius mactamini, proponite ante oculos

Axioma Apoſtolicum.

Rom. 3. 28.

Omnium rerum terrenarum inter ſe proportio eſt.

Terrenarum ad cœleſtes, nulla.

Mala huius ævi cum malis æternis non comparantur.

Multò minùs mala huius ævi cum bonis æternis.

2. Cor. 4. 17.

ὑπερβολὴ εἰς ὑπερβολήν.

Collatio duorum locorum D. Pauli.

Conſolatio pro afflictis.

mentesq;

menteſque veſtras, hanc nullitatem proportionis, quam huius ævi tribulationes, ad futuram gloriam habere, divinus Paulus, divinis clarus myſterijs, nobis demonſtravit. Agite ſi paupertatem, ſi morbos, ſi mundi odia, perſequutiones, exilia, acerbiſſima omnis generis ſuppliciorum tormenta, ſi quæſitas mortes, & ſi quid morte atq; tormentis crudelius eſſe poteſt, ſi inquam, in hac miſeriarum & lacrymarum valle vel iſthæc, vel alia malorum genera perferenda ſunt, *convertite* vos cogitationes & meditationes veſtras, in *Aulam* beatæ & æternæ felicitatis, quam nobis in cœleſtibus per Chriſtum ſcimus præparatam. Avocate animos veſtros à terrenis ad cœleſtia, à temporalibus, caducis & momentaneis rebus, ad gaudia æterna, à leviculis calamitatibus, ad infinita infinitæ gloriæ & gaudiorum pondera. Nunquam non auribus veſtris circumſonent Apoſtolica verba, futuram gloriam, omnes huius mundi miſerias, καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν & ſuperare & infinitis magnitudinis & maieſtatis ponderibus excedere. Id quod de omnibus, omnium hominum & ætatum miſerijs & calamitatibus intelligendum eſſe, ex ſuperioribus conſtare poteſt. Si enim omnia, omnium ſeculorum generumque mala, in vnam eſſent lecta & colliquata maſſam, iſthæc omnia tamen, ad ὑπερβολὴν futuræ noſtræ felicitatis, nullam haberent proportionem. *Quis autem* eſt hominum, cui vni & ſoli, malorum & calamitatum omnium omnis vniverſitas incumbat. Variè & particulatim tributæ ſunt afflictiones. Hic enim paupertate premitur, ille opulentus & dives malignorum deflagrat odijs: hic cum morbo conflictatur, ille ſanus & robuſtus mactatur exilijs; hic contemptu ſqualet, cæterà ſalvus & incolumis: iſte floret fortunâ, ſed vel conſcientiæ & animi terroribus angitur, vel alijs vrgetur cæcis vel occultis malis, quæ plurimorum alijs iudicat multò eſſe graviora. Sic malorum, afflictionum & calamitatum tolerabile temperamentum eſſe voluit, omnium *moderator & gubernator* Deus, ne vnum opprimerent vniverſa. Si tamen fieri poſſet, vt in vnum hominem, omnium cæterorum & eorum, qui fuerunt, & qui ſunt, & qui ad finem vniverſi futuri ſunt, omnia mala, adverſitates, tormenta & ſupplicia, ad vnum vſque cumularentur, iſthæc tamen, ad futuram noſtram gloriam, quâ in Aulâ noſtrâ beatæ & æternæ felicitatis καθ' ὑπερβολὴν & εἰς ὑπερβολὴν perfruituri ſumus, NVLLAM haberent collationem, comparationem, proportionem NVLLAM. Quantò magis igitur, ſuas quiſq; privatas miſerias (quæ ad calamitatum mundi huius vniverſitatem collatæ, vix punctum ſient) quiſque Chriſtianus homo, hiſce meditationibus, Domino roborante ſuperabit: Leves ſunt, momentaneæ ſunt, non condignæ ſunt, imò verò improportionabiles, adeoque NIHIL ſunt ad futuram gloriam, in *aula beatitudinis* tibi paratam, omnes tuæ miſeriæ, omnes calamitates & afflictiones. Quin igitur ſpe & expectatione, & nunquam intermiſſa contemplatione & meditatione tantorum bonorum, omnes momentaneas levitates & οὐδενίας malorum, huius ævi, forti, magno, & conſtanti animo, *ſuperas, vincis, contemnis*, haud aliter, atque generoſus equus, exigui catelli ſurdos latratus. *Qui numeros tractant*, numeris & proportionibus divinitatem quandam ineſſe, omnes vno ore fatentur & admirantur. Quiſquis autem hanc (quam tractamus) *proportionum Regulam* ritè didicerit, animo ſuo firmiter impreſſerit, & in omni rerum vultu, conſtanter exercuerit, quam Divus Paulus ex ἀῤῥήτοις tertij cœli myſterijs nobis depromit, *inter terrena videlicet & cæleſtia, inter momentanea & æterna, inter finitè levia, & infinitè ponderoſa, inter huius ævi afflictiones, & futuræ vitæ æterna gaudia, NVLLAM ESSE PROPORTIONEM, quiſquis, inquam, hanc Regulam ritè didicerit, & inter quotidianas miſerias ad quotidianos vſus dedita ſemper ratione applicauerit*, divinas inde Chriſtianæ patientiæ, fortitudinis & conſtantiæ vires, divina divini ſolatij & inuicta robora ſine dubio eſt conſequuturus: Vt cum eodem Paulo gloriari poſſit: Roman. 5.3. *Non ſolùm gloriamur in ſpe gloriæ Dei, ſed etiam gloriamur in* tribulationibus,

Omnia omnium hominum & ætatum mala ad ὑπερβολὴν futuræ gloriæ nullam proportionem habent.

Nemo homo omnibus malis vrgetur.

Simile.

Arithmetices divina profunditas.

REGVLA proportionum Paulina.

Vſus illius.

nibus,

nibus, *ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Et rurſus Roman. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? &c. Sed in his omnibus longè vincimus* ὑπερνικῶμεν *propter eum qui dilexit nos.* Quantam *ut parva magnis comparemus* peregrinanti patientiam parit, patriæ dulcedo, parentum & amicorum amor. Hos ille animo procul contuens, & ſyncero amoris affectu complectens, omnes peregrinationum moleſtias facilè ſuperat. Quicquid enim, dum terras emetitur & maria mutat, periculorum eſt, quicquid aëris intemperies difficultatum cumulat, nunc æſtum, nunc frigus excitans, nunc ventos impellens & imbres, nunc etiam irato cœlo fulgura & fulmina excidunt, nunc ſitis & fames urget, nunc à beſtiis vis imminet, à latronibus inſidiæ, ab hoſpitibus, quibus vitam & res omnes committere neceſſum eſt, injuriæ, jurgia, damna, expilationes, iſthæc omnia tamen mala, patriæ expetita ſuavitas, & dulcis parentum amor ita lenit, & temperat, ut ſpe & deſiderio reditus omnia patienti fortique animo ſuperet. *Simile.*

Quid autem huius ævi patrius fumus, ſi cum illuſtri & καθ' ὑπερβολὴν excellentiſſimo *aulæ noſtræ cœleſtis* ſplendore conferatur? Quid parentes & amici, cum æterno omnium beatorum, concilio cum ſanctis Angelorum Choris, cum ſacro ſancta & in æternùm benedicta Triade collati? Quos ipſos tamen, ſi in fide & pietate ex hac lacrymarum valle diſceſſerint, illîc ſumus magna cum congratulatione & gaudio rurſus offenſuri. Cur igitur non etiam huius cœleſtis patriæ dulcedine & deſiderio, omnes quoque labores, difficultates, moleſtias, & pericula, quæ peregrinantibus nobis, & ad *aulam illam* beatam contendentibus, objiciuntur, magno & patienti animo exuperamus? Cur non ab hiſce rebus terrenis, avocatis mentibus, ſolius cœleſtis patriæ, ubi πολίτευμα noſtrum eſt, infixi adhæreſcimus deſiderio? Cur non huius exoptata dulcedine, omnes peregrinationis noſtrę contemnimus amaritudines? Futurum enim eſt ut cum ventum fuerit in patriam, propter lætitiæ gaudiorumq; magnitudinem, nullius amplius difficultatis aut moleſtiæ, nullorum periculorum aut tormentorum ullam ſimus recordaturi memoriam. *Philipp. 3. 20.* *Iohan. 16. 21.*

Sicut etiam Mercator non ſentit navigationis laborem, lucrorum ſpe relevatus, & *pugil* generosè fert capitis vulnera coronam reſpiciens: ita profectò nos quoque in cœlum, & cœleſtia intendentes bona, quæcunque inferantur gravia, generosè cuncta feramus, bona futurorum ſpe roborati: Chryſoſt. Homil. XVI. ad popul. Antiocheum. *Simile.*

Et, *ſi Miles* mille belli pericula fortiter ſuſtinet, ſpe in incertæ victoriæ prædam erectus, quantò magis nos omnes mundi injurias tolerare decet, qui cœleſtis Regni præmia procul omni dubio, expectamus. *O nos beatos*, & ſemper patientes *viatores, mercatores, pugiles, milites*, ſi in omnibus turbarum & tempeſtatum procellis, atque periculis hæc ante oculos menteſq; noſtras poſita ſemper meditemur. *Abiectos* autem & *molles*, ſi propter fumoſum patriæ tuguriolum, propter exiguum lucellum, aut marceſſibilem coronam, quàm propter aulam noſtram cœleſtem, majorem & diuturniorem patientiam exercemus. *Poſſidete*, inquit Salvator *in patientia veſtra, animas veſtras:* Tunc autem poſſederimus, cùm omnes *huius vitæ* moleſtias, *illius* æternæ amore exuperaverimus: *Amiſerimus viciſſim exuperati.* *Simile.* *Luc. 21. 19.*

Hactenus de patientia præſtanda in *calamitatibus humanis* quaſcunq; illas, vel quotidiani rerum caſus obiecerint, vel truculentiſſimi excogitaverint Tyranni. Sin verò hæc rectè ponderaverimus, non tantùm illa in humanis afflictionibus patientiam nobis perſuadebunt: Verùm ſi fieri poſſit, ut in hoc ævo, mortalium *Superior patientiæ Gradus.*

mortalium aliquis, *ipſis inferni cruciatibus* aliquandiu ſubijciatur, efficient tamen, quæ dicta ſunt, ut nunquam divinâ juvante gratiâ impatientiâ frangatur. Licet enim *inferni dolores*, omnes humanas miſerias, infinitis modis excedant, quia tamen *ex hypotheſi*, in hoc ævo finem habituri ſunt, etiam illi ad æternam noſtræ Aulæ gloriam & felicitatem, nullam habent comparationem. *Finitum enim cum æterno & infinito nunquā conferri poteſt*. Quod ſi igitur etiam inferni cruciatus, temporaliter ferendi, nullam ad æternam gloriam comparationem habent, quàm mollis & effœminatus ſit, quem reliqua *mundi*, multò leviora tormenta evertant?

EXEMPLA patientiæ. I. Fidelium.

Porrò cùm plurimùm valeat apud plurimos *Authoritas*, & magna ſ.tatq; ponderoſa vis *exemplorum* in vtramq; partem, innumera ferè exempla piorum & ſanctorum hominum, tùm veteris & antiquæ, tùm recentioris & noviſſimæ hiſtoriæ recitari poſſint, qui omnes, fideli ſpe & expectatione futurorum bonorū, atq; adeò quaſi præſente contuitu cœleſtis illius & æternæ felicitatis, omnes mundi miſerias, magnis, excelſis, atq; tripudiabundis animis devicerunt. Plena namque eſt huius generis exemplorum omnis Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum Confeſſorum, Martyrum, primitivæ & noſtri temporis Eccleſiæ, admirabilem patientiam, & ipſis hoſtibus atque tortoribus piorum ſtupendam in ſuppliciorum cruciatibus conſtantiam, inexpugnabilem animorum fortitudinem, & inſuperabilem magnitudinem, æternis æternarum laudum encomiis decantant.

Huius generis triumphantium Heroum, ſatis prolixum Catalogum recitat Epiſtola ad Heb. cap. 11. quem hiſce tandem verbis concludit: *Et quid adhuc dicam: Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampſon, Iephte, Davide, Samuele, & Prophetis, &c.* Ita *Simeon*, ille pietatis laude celebratiſſimus ſenex, ſalutis & Salvatoris contuitu, omnem mortis acerbitatem oblitus, hiſce verbis tripudiat: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, Lucæ 2. verſ. 29. *Stephanus Protomartyr*, cùm capitis cauſam diceret, *video*, inquit, *cœlos apertos, & filium hominis, ſtantem à dextris Dei*, Act. 7.

Hebr. 12. 1. verſ. 55. *Paulus Apoſtolus*, non tantùm ſuum nobis exemplum propoſuit, *diſſolvi cupiens, & eſſe cum Chriſto*, Philip. 1. 23. Sed vniverſalem hanc Regulam nobis præſcripſit, vt meditatione reſurrectionis mortuorum, & æternæ converſationis cum Chriſto, *invicem nos conſolaremur*, 1. Theſſ. 4. verſ. 17. 18. Sicuti & *Iobus*, inter medias ſuas afflictiones, meditationibus de carnis reſurrectione, & viſione Domini æterna beataque, dolores ſuos lenivit. Iob. 19. 25. &c. Omnium autem pulcerrimum & abſolutiſſimum patientiæ Exemplar, *Chriſtus Salvator* eſt, quod Heb. 12. 1. omnibus fidelibus imitandum hiſce verbis commendatur: *Ideoq; & nos tantam habentes circumpoſitam nubem teſtium deponentes omne pondus, & tenaciter inhærens peccatum per* PATIENTIAM CVRRAMVS *in propoſito nobis certamine, adſpicientes in ducem fidei, & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*. Et mox: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus, adverſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes*. Ibid. verſ. 3. Qui plura velit, Eccleſiaſticam hiſtoriam conſulat, illa de viris & fœminis, de ſenioribus & junioribus, de virginibus, tenellulis & florentibus ætate adoleſcentulis, plurima ubique Exempla ſuppeditabit, quorum omnium veſtigia premere, fidem imitari, æmulari patientiam, conſtantiam & fortitudinem decet: ſummo nobis dedecori reputantes, ſi fracti impatientia & animi robore, à toties mille ærumnarum victoribus, tàm turpiter & ignominioſè deficiamus.

II. Gentilium.

Sed juvet etiam aliquot *gentilium* exempla breviter attingere, ut appareat, quantam illi in rebus *terrenis*, vel propter inanis *gloriæ laudem*, vel aliam quamcunque rem levem & evanidam, mirandam in tormentis patientiam & conſtantiam declaraverint.

Mutius

Digitized by Google

Mutius Scævola, cùm à Porſenna Hetruſcorum Rege Vrbs Roma gravi & diutino bello vrgeretur;caſtra eius clàm ferro cinctus intravit, immolantemque ante altaria, occidere conatus eſt. Cæterùm inter molitionem propoſiti oppreſſus,neque cauſam adventus texit,& tormenta quantòpere contemneret, mirâ patientiâ oſtendit. Peroſus enim *dexteram* ſuam,quòd eius miniſterio in cæde regis vti nequiviſſet foculo iniectam exuri paſſus eſt. Et licet à Rege vita donatus eſſet,ipſe tamen Porſennæ ſalute triſtior,quàm ſua lætior, in Vrbē rediit,æternæ gloriæ cognomine,quòd illo ex facto Scævola appellaretur; acquiſito. *Valerius Max.*libr.3.cap.3. *Pompeij* quoque probabilis celebratur virtus: Qui dum legationis officio fungeretur, à Genthio Rege interceptus, cùm Senatus Conſilia prodere iuberetur,ardenti Lucernæ digitum cremandum præbuit,eaque patientia Regi, ſimul; & deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi excuſſit, & expetendæ P. R. amicitiæ magnam ingeneravit cupiditatem,Ibid. Eiuſdem patientiæ æmulus etiam *Anaxarchus Philoſophus* fuit. Qui inimicum habuit *Nicocreontem* Cypri Tyrannum. Cùm enim ab Alexandro convivio adhibitus, ab eodemque rogatus eſſet, quidnam de Cœna illa ſentiret, dixiſſe illum ferunt, cuncta magnificè, ô Rex, *verùm oportebat iam caput alicuius Satrapæ apponi*, Nicocreontem contuendo. Hoc ille ægrè ferens: firmam iniuriæ memoriam conſervavit. Poſt mortem igitur Regis,quum navi ferretur Anaxarchus; atque invitus applicuiſſet Cyprum, comprehenſum eum, in mortarium (ſeu ſaxum concavuum, εἰς ὅλμον) coniecit Tyrannus, & malleis ferreis cædi iuſſit. Sed illum pœnæ ſuæ negligentem celebre illud dictum ingeminaſſe aiunt: *Tunde, tunde Anaxarchi ſaccum, nam Anaxarchi nihil teris.* Πτύσσε τὸν ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πτίσσεις. Ad vltimum linguæ amputationem minitanti: Non erit, dixiſſe illum, effæminate Adoleſcens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis: protinusque dentibus abſciſſam & commanducatam linguam, in os eius ira patens expuiſſe. In quem *Anaxarchum* hoc *Laërtij* extat.

1. *Mutius Scævola.*

2. *Pompeius.*

3. *Anaxarchus.* *Diogenes Laertius libro 9. in Anaxarcho.*

Valerius Maxim. lib.3.c.3.

> Πτύσσετε μᾶλλον ἔτι καὶ μᾶλλον θύλακός ἐστι
> Πτύσσετε Ἀνάξαρχος δ' ἐν Διός ἐστι πάλαι.

HOC EST:

> *Tundite, & hoc magis & magis, haud niſi tunditis vtrem,*
> *Tundite: Anaxarchus cum Iove tutus agit.*

Vnicum mirandæ patientiæ & conſtantiæ exemplum de *nobili Iuvene* Alexandri magni addo. Vetuſto Macedoniæ more, Regi Alexandro, nobiliſſimi pueri præſtò erant ſacrificanti. E quibus vnus Thuribulo accepto, ante ipſum adſtitit,in cuius brachium carbo ardens delapſus eſt, quo licèt ita vreretur, vt aduſti corporis odor ad circumſtantium nares perveniret: tamen & dolorem ſilentio preſſit,& brachium tenuit immotum, ne ſacrificium Alexandri, aut excuſſo thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias adſpergeret. Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc etiam certius perſeverantiæ experimentum ſumere volens: *ſolito ſacrificavit diutius*: ſed neq; hac re propoſitum illius infregit. *Valerius Maxim.*libr.3.c.3.

4. *Nobilis adoleſcens Alexandri Magni.*

Hæc externa attingere libuit, non quòd his, etiam nobiliora & præſtantiora, in ſacra & Eccleſiaſtica hiſtoria, Exempla nobis deſint: ſed vt in hæc gentilium contuentes (qui ſine Chriſti, & vitæ æternæ cognitione tales ſeſe præſtiterunt) rubore confundamur, ſi illis in patientiæ & conſtantiæ exemplis monſtrandis, quicquam nos cedamus. Nos inquam, quibus non tantùm honeſtas & fides, propoſita eſt, patriæ amor, nominis factorumque gloria & immortalitas, Alexandri magni Reverentia & non impeditus idololatricus cul-

Cur Gentilium exempla proponantur.

tus, ſed quib. propoſita eſt volũtas patris noſtri cœleſtis, Imago filij, innumera Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum exempla, vitæ deniq; æternæ, æterna gaudia, & gloria beatæ immortalitatis propoſita eſt, *ſcientibus*, quòd huius ævi paſſiones & tormenta, non condigna ſunt ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *ſcientibus*, nullam eſſe omnium tormentorum ad beatam illam felicitatem, quam per patientiam exſpectamus, comparationem aut proportionem, *reſpicientibus* & contemplantibus, *non quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur, æterna.*

Patientia generatur æternis.

Atque hæc *æterna bona*, patientiam in nobis generant, quæ omne dedecus ignorat, nec vllis calamitatum tormentis ad defectionem aut impatientiæ turpitudinem cogi poteſt. Hinc patientiæ virtus, cum ſapientia, impatientiæ turpitudo cum ſtultitia comparatur. *Qui patiens eſt*, inquit Salomon, *multa ſapientiâ gubernatur, qui autem impatiens eſt*, ſtultitiam *ſuam exaltat*, Proverb. 14. verſ. 29.

Sed de patientiâ ſatis, quam æternorum bonorum contemplatione concipere, & infractam fovere debemus omnes, quotquot æternæ gloriæ deſiderio flagramus. Qui enim Aulæ noſtræ ius atq; conſortium deſiderat, tribulationis quoque particeps ſit oportet. *Si enim filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen* compatimur, *vt glorificemur*, Rom. 8. 17. Vnde Iohannes Apocalypſin ſuam hiſce verbis orditur: *Ego Iohannes frater veſter, & particeps* in tribulatione, *& in regno*, & patientia *in Chriſto Ieſu*. Apocal. 1. 9. Neutrum ab altero ſeparari poſſe oſtendens. Vt quiſquis Regni & *Aulæ cœleſtis* ſpem habere velit, eundem & *tribulationum* participem eſſe, & per patientiam eaſdem vincere oporteat.

Impatientia damna.

1. Dolor non mitigatur.

Iam illud conſequens eſt conſiderare, quantis ſeſe periculis exponant, qui calamitatum magnitudine patientiam ſuam defatigari & frangi patiuntur. Impatiens enim, indignatione & fremitu ſuo, dolorum acerbitates adeò non mitigat aut lenit, vt augeat magis & cumulet. Sicuti qui vinculis aut compedibus conſtrictus eſt, multò minus dolorum & moleſtiarum habet, ſi moderatus & tranquillus agat, quàm ſi ſubſilire, ferire, calcitrare, & furibundi inſtar tumultuari non ceſſet.

2. Corona amittitur.

Sed non tantùm miſerias ſibi cumulat impatiens: verùm etiam Aulæ cœleſtis portas ſibi *occludit*, & per indignationem pugnam deſerens, ſeipſum *coronâ* privat, quam fidei conſtantiâ in patientiâ conſequi potuiſſet. Nam *qui ad finem vſq; perſeveraverit, ſalvus erit*: qui defecerit vel arena ceſſerit, perdit coronam. *Tenete igitur quod habetis, donec veniam* (hortatur Salvator in Apocalypſi) *Et qui vicerit & cuſtodierit, vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, &c.* Apocal. 1. 2. Tene, *quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, Apocal. c. 3. verſ. 11. *Bonum certamen certavi*, inquit Paulus, *curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, 2. Timoth. 4. verſ. 7. Niſi igitur continuetur certamen, bonum non fuerit, nec laudabilis curſus, niſi ad metam conſummetur. Nemo enim coronabitur, niſi & pugnaverit ad finem, & vicerit.

Ex quibus omnibus intelligitur, quàm periculoſa omninò & pernicioſa ſit impatientia, quæ & malum præſens *auget*, & bona futura *perdit*. Quæ igitur inſania & furioſus furor eſt, per impatientiam in quibuſcunq; ſuppliciorum generibus, à fide & ſpe deficere, cùm inde æterna felicitas amittatur, & quod maximum atq; deploratiſſimum eſt & huius vitæ paſſiones, & æterna ſupplicia per impatientiam ingraveſcant. Quid etiam lucri fiet, per mollitiem carnis, temporales declinare moleſtias, & in æternæ damnationis ſe barathrum præcipitare. Si enim huius ævi breves & momentaneas cruces te perferre poſſe negaveris, *æterni ignis* æternos cruciatus quomodo perferes?

NB. Qui temporales moleſtias perferre non poteſt, æternos cruciatus quomodo perferet?

Hæc

Digitized by Google

Hæc piè ſecum & graviter ponderantes *ſancti Martyres*, pro Chriſtiani nominis gloriâ, & æternæ felicitatis ſpe obtinendâ, tantâ animi admirandâ conſtantiâ & fortitudine, omnis generis tormenta & mortis ſupplicia ſuſtinuerunt, vt lictores gladios hebetarent, laborandoque deficerent, atque fatigati occiſores ſibi invicem alij alijs ſuccederent. Iunctâ cum conſtantiâ, tantâ *alacritate*, atque revera divinâ virtute & promptitudine animi, vt mox atque in præcedentes ſententia lata eſſet, aliunde alij ad iudicis tribunal aſſilirent, ſeque Chriſtianos eſſe confiterentur, nec vllam acerborum & variorum tormentorum curam habentes, animo infracto, cum gaudio riſuque ac hilaritate, mortis ſententiam ſuſciperent, ita vt *Pſalmos* & *Hymnos*, & *gratiarum actiones*, Deo omnium conditori, vſque ad *extremi ſpiritus exhalationem*, lætis animis decantarent. Neque hoc illi tantùm præſtiterunt, qui egeni & pauperes, meliora in mundo ſperare non potuerunt, ſed etiam qui opibus, dignitate, nobilitate, gloriâ & alijs donis illuſtres fuerunt, cuncta iſthæc, veræ pietati, fidei & beatæ æternorum bonorum expectationi poſtpoſuerunt. Quâ de re copioſiùs Euſeb. lib. 8. cap. 9. *Quanta conſtantia & alacritate Martyres ſupplicia ſuſtinuerint!*

Baſilius magnus concione in Barlaam Martyrem. Mihi pag. 223. *Antea quidem ſanctorum mortes planctibus & lacrymis ornabantur, &c. Nunc verò ob ſanctorum obitus exultamus, &c. Non amplius lacrymis ſanctorum mortes proſequimur: ſed tripudijs divinitùs inſpiratis, ſuper ſepulcra choreas ducimus. Somnus autem eſt iuſtis mors ipſa, imò potius ad meliorem vitam profectio. Hinc exultant Martyres dum mactantur. Nam beatioris vitæ deſiderium, cædis dolorem mortuum facit* (*ſeu extinguit*) *Non videt pericula, ſed coronas Martyr: non horret plagas, ſed numerat Bravia: non videt infernè flagris cædentes lictores, ſed angelos ſupernè benedicentes imaginatur: non conſiderat periculorum brevitatem, ſed præmiorum æternitatem.* Hæc ille.

Verum nec *noſtræ memoriæ* propinquiora exempla deeſſe Iohannis Huſſi hiſtoria teſtatur. Hic enim cùm Anno Salvatoris, 1414. Conſtantiæ ob fidei confeſſionem exureretur, iam accenſo igne alta voce cantare cæpit: *Ieſu Chriſte Fili DEI vivi, miſerere mei*: & eandem Cantionem tertia vice repetijt, donec ingenti vi flammæ fuit ſuffocatus. Martyr. hiſtor. libr. 2. Similis patientiæ virtus in *Hieronymo Pragenſi* celebratur: Is cum ab ijſdem Huſſi adverſarijs, in vincula coniectus, & ibidem loci (Conſtantiæ) vbi præcedente Anno, Conſtantiæ & patientiæ exempla, Iohannes Huſs præclara edidiſſet, Anno 1415. Hæreſeos accuſatus, & tandem multis violentijs ad ignis ſupplicium condemnatus, rogoque iam impoſitus eſſet, accenſo igne altâ voce canebat: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Et cùm à flammis vndique premeretur, clamavit, *Domine DEVS Pater omnipotens, miſerere mei, & parce peccatis meis, quoniam tu ſcis, quòd tuā ſyncerè dilexi veritatem.* Ibidem: Quæ duo conſtantiæ & patientiæ exempla, ex recentioribus citaſſe ſufficiat. *Iohannes Huſs.* *Hieronymus Pragenſis.*

Hæc verò & omnia, quotquot ſacrarum literarum & Eccleſiaſtica hiſtoria, quotidiana quoque experientia habet, ad ſimilis patientiæ æmulationem nos erudiant. Quiſquis enim certa ſpe, expectatione & contemplatione futuræ gloriæ, cæleſtis illius Aulæ, huius mundi miſerias in patientia & ſilentio ſuperaverit, is ſimilis eſt *alteri latronum*, qui ex latere Chriſti ſupplicium ſuum patienter ferens, è crucis patibulo, in cœleſtem evolavit Paradiſum. Qui verò impatienter eas tulerit, & abiectâ fide Chriſtum crucis anteſignanum, abnegaverit, is quidem impatientiâ ſuâ dolorem ſibi cumulat, & impio latronum ſimilis eſt, qui fremens & frendens & blaſphemans, ex inferno ſupplicij momentanei ad æternorum cruciatuum Gehennam præcipitatus eſt. *Duobus ad crucem Chriſti latronibus, patientes & impatientes conferuntur.*

De *Lyſimacho* Rege, hiſtoriæ referunt, quòd poſteaquam à *Dromocheta* ſuperatus, ob ſitus impatientiam, tùm ſe, tùm exercitum dedidiſſet, & iam ca-

Lyſimachus Rex deplorat impatientiam ſuam.

privus factus aquam bibiſſet, cum gemitu & pœnitentia dixerit: *O Dij quam brevis voluptatis gratia, ex Rege, me feci ſeruum.* Plutarch. in Reg. & Impp. Apophthegm. Sic impatientiæ fructum Lyſimachus in externis deplorauit. Quos gemitus autem & eiulatus edituros credamus æternos, qui ſive ſitis, ſive famis, ſeu morbi, ſeu gladij, vel ignis, vel aquæ, vel cuiuſcunque tandem calamitatis impatientiâ fracti, Diabolo ſeſe, inferorum Tyranno ſervos mancipaverint? Quæ ſervitus, cùm omnibus huius mundi tormentis, nullam habet comparationem.

Contemplatione igitur cœleſtis gloriæ, nullâ vnquam defatigemur aut frangamur impatientiâ: Sed patientia, quæ *Dei*, patientiſſimi Spiritus, ſingulare munus eſt, *Salvatoris* exemplo generata virtus, *Spiritus* conſolatoris donum, *Fidei* comes individua, *Spei* & contemplationis vitæ æternæ generoſa indoles & alumna, omnium *calamitatum* moderatrix, *Martyrij* conſummatio, & totius huius *ſeculi* victrix, patientiâ, inquam, omnes huius ævi adverſitates fortiter ſuperemus, donec ad aulæ cœleſtis gloriam evecti (vnde omnis miſeria exulat) patientiâ nihil amplius opus habituri ſumus. Qua de re Epiſtola ad Hebræos

Hebr. cap. 10. 36.

monet, cap. 10. 36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet & non tardabit. Iuſtus autem ex fide vivet. Quod ſi* ſubtraxerit ſe, *non placebit animæ meæ.* Hoc eſt, ſi per impatientiam calamitatibus ſe ſubduxerit, & momentaneas tribulationum levitates devitando, ſanctam meam voluntatem, quâ omnes electos, imaginis filij mei conformes fieri prædeſtinavi, violaverit, iſte

Rom. 8. 29.

gloriâ meâ, quam diligentibus me præparavi, non eſt dignus, nec eandem eſt viſurus. *Sed patientiâ opus eſt*, vt hæc, quæ de præſtantiſſima patientiæ virtute, ex contemplatione aulæ cœleſtis, cõmentari voluimus, & *patienter* attendamus, & in quotidianis obiectis rerum perplexitatibus, in praxin transferamus. *Iam ad alium contemplationis noſtræ vſum progredimur.*

III. Vita gloriaq; æternæ meditatio omnium rerum terrenarum contemptum nobis parat.

Aulicæ igitur contemplationis noſtræ, ſeu conſiderationis vitæ æternæ, *tertius* vſus hic eſto, vt immenſâ eiuſdem præſtantiâ, & ineffabili magnitudine & nobilitate, illecti in eiuſdem admirationem, amorem & deſiderium ita rapiamur, vt quæcunq; in hoc ævo caduca & momentanea ſunt, quamcunque pretioſa ab alijs, nobilia & magnifica habeantur, nos collatione æternorum bonorum vilipendamus, nihili æſtimemus, prorſus contemnamus, & ſi ita opus ſit abijciamus, & pedibus etiam conculcemus. Sicut enim in patientiæ Ar-

1. Temporalia ad æterna nullam habent proportionem.

gumento, quæcunq; caduca & momentanea ſunt, ad ſtabilia & æterna bona, nullam collationem aut comparationem habent: ita quoq; in *poſſidendi amore ac deſiderio*, nulla nobis inter iſthæc proportio ſive collatio, vel eſſe vel videri vnquam debet. Quid enim hæc terrena ad cœleſtia? Quid caduca & momentanea ad durabilia & conſtantia? Quid temporalia ad æterna? Nihil certè. Quantum enim pura pollutis, fixa caducis, & divina humanis omnibus rebus antecellunt, tantum iſthæc cœleſtis aulæ gaudia, omnibus mundi bonis atq; theſauris, nobiliora & præſtantiora ſunt. Quam ob cauſam Petrus: Illam felicita-

1. Petr. 1. v. 4.

tem in cœlis nobis paratam, vocat *ſpem vivam*, hæreditatem *incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſſibilem:* 1. Pet. 1. v. 4. Atq; *lætitiâ inenarrabilem & glorioſam*, Ibid. v. 8. Quæcunq; enim huius mundi bona gaudiáve ſint, *corruptibilia* tamen ſunt, & ſæpè finis ab origine pendet. Et *durabilia* ſint, poſſeſſores tamen non durant: ſed rebus poſſeſſis manentibus, ipſi viam omnis carnis abeunt, &

2. Caduca bona nunquam ſunt pura.

corrumpuntur. Qualia etiam & quamcunq; *præſtantia* ſint huius ævi bona: *pura* tamen & integra nunquam ſunt, ſed multis permixta triſtitijs & acerbitatibus, vt qui honore & dignitate pollet, invidia & odio premitur. Qui diuitijs abundat, adverſa conflictatur valetudine: Qui honeſta & prudenti coniuge felix, ἀτεκνίᾳ mulctatur: Qui πολύτεκνος vel coniugis vel liberorum inobedientiâ excruciatur: adeoque nihil ex omni parte beatum eſt.

Adde

Adde hiſce omnibus, quod quibus maximè delectamur, quibusque multorum amor & deſiderium quandam perfectionis opinionem conciliat, ipſa tamen vſu & perfruitione ſua vileſcant. Omnium equidem rerum in his terris ſatietas. Nam & aurium, & oculorum, & omnium ſenſuum viriumq; defatigatio & laſſitudo eſt, adeoq; interiora quoq; viſcera, cibi potusq;, quibus ſine non vivitur, nauſeam concipiunt, quin verò ipſius vitæ, quâ iucundius aut præſtantius in hoc æuo nihil quicquã fingi poteſt, etiã Sanctis ſatietas eſt, quod multorum votis recitandis declarari poſſet. Et hi ſunt defectus inſeparabiles, eorum, quæ non iniquis iudicijs, in hoc mundo bona cenſentur. Illa verò bona, quæ in Aula noſtra cœleſti, cœleſtia expectamus, & temporis duratione æterna, & puritatis nobilitate ſyncera, & fruitionis iucunditate, & conſtantia, ſemper immutabilia futura ſunt. Quæ omnia *Petrus*, cum *Iacobo* & *Iohanne*, æternorum bonorum, in glorioſa Domini illuſtratione guſtũ edoctus, tribus iſtis vocibus complexus eſt, dum hæreditatem noſtram *incorruptibilem*, & *incontaminatam*, & *immarceſſibilem* nuncupavit. *Incorruptibilis*, quia & poſſeſſores, & bona poſſeſſa, æternum durabunt: *Incontaminata*, quia & perfruentium felicitas & bonorum nobilitas, ab omni adverſitate ſyncera & pura: *Immarceſſibilis*, quia æternæ felicitatis gaudijque nulla, vt huius ævi bonorum, ſatietas & laſſitudo. Hæc apud animum ſuum, quiſquis piè conſiderat, & debita gravitate perponderat, quis non æternorum collatione, omnia quæ in hoc mundo præſtantia, nobilia & magnifica ſunt, magno & excelſo animo, vilipendat, vili æſtimet, contemnat, averſetur. Id quod etiam manifeſtis ſcripturis, & exemplis Sanctorum, ad maiora in nobis, & firmiora æternorum bonorum deſideria excitanda, demonſtrari poteſt. *Quis mihi* (inquit pſaltes) *in cœlo ad te: Et ad te* (vel præter te) *nullo delector in terra.* Hoc eſt, nihil neque in cœlo, neq; in terris eſt, quo præter te delectari, amore & deſiderio capi poſſim. Et hoc ipſum eſt, quod Auguſtinus habet in Pſalm.37.v.11. *Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur*, inquit, *impius ille in multitudine auri, in multitudine Argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine poſtremò opum diverſarum, vinolentiæ, lautiſſimorum & luxurioſorum conviviorum. Hæc eſt potentia cui invides, iſte flos eſt, qui te delectat? Nonne etſi ſemper ſic eſſet, plangendus eſſet? Quæ erunt autem deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, Argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quicquid deſideras, pax tibi erit. Quia hîc, aurum quod eſt, non poteſt eſſe argentum, quod vinum eſt, non poteſt tibi eſſe panis: quod tibi lux eſt, non poteſt eſſe potus: Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne eſurias, bibes eum, ne ſitias, illuminaberis ab eo, ne ſis cæcus, fulcieris ab eo, ne deficias, poſſidebit te totum integrum, totus integer. Anguſtias non ibi patieris cum eo, cum quo totum poſſides: Totum habebis, totum & ille habebit, quia tu & ille vnum eritis, quod vnum totum & ille habebit, qui vos poſſidet.* Auguſtinus, vbi ſupra. Pius igitur animus in Deo habet omnia, in Deo poſſidet omnia, in Deo ſolo gaudet & delectatur, & in Deo, quo gaudet, omnia, quæ faſtuoſa faſtus hic orbis habet, faſtidit & adſpernatur. Eodem ſpectant verba Salvatoris: Matth.16.26. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ patiatur detrimentum.* Quæ repetita leguntur, Marc.8.36. Neq; alienæ ſunt ſimilitudines, quas idem Salvator noſter Matth.13. proponit, inter quas ad propoſitum eminent, ſimilitudo de *Theſauro abſcondito, quem qui invenit homo, præ gaudio vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum, in quo abſconditus eſt Theſaurus iſte*, Matth.13.44. Et ſimilitudo, proximè ſequens, quã *ſimile* dixit eſſe *regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, & inventa vna pretioſa, abijt & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Hic Theſaurus & hæc Margarita, quæ Chriſtus in Parabolis ſuis propoſuit, ſunt principaliter Evangelium, quod Chriſtus Salvator omnibus rebus, ſimilitudinibus iſtis atq; Parabolis præferenda eſſe docet. Conſequenter autem & ἀτροπῶς eadem, ad vitæ æternæ bona rectè accommodari poſſunt. Nam

3. Omnium rerum terrenarum ſatietas.

Bonorum æternorum Nobilitas.

Pſalm.73.

DE PERFECTIONE ÆTERNÆ VITÆ.

Auguſtin. Tom.8. col.282.

Similitudo abſconditi Theſauri.

Similitudo pretioſa margaritæ.

Digitized by Google

ex qua cauſâ, omnia vendenda, & Theſaurus ille, atq; Margarita illa Evangelica comparanda ſunt, ex eadem omnia quoque vendenda ſunt, negligenda & contemnenda, vt Theſaurum primarium, ad quem nos Evangelij doctrina ducit, acquiramus, vitam nimirùm & felicitatem æternam.

4. Τὸ ὑπερέχον æternæ gloriæ. Philip.3.7. Eadem ex *Paulinis* concluduntur, qui ad Philippenſes apertè ſcribit, & repetitis verbis inculcat: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Chriſtum detrimenta ſum arbitratus.* Et mox: *Propter Chriſtum omnia pro damnis duxi, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Quæ quidem ad collationē iuſtitiæ legalis & Fidei dicta ſunt, ſed non incommodè ad præſens quoq; noſtrum Argumentum accommodantur. (verſ.8.) Sicut enim Paulus omnem nobilitatem & gloriam, quam ex lege habere, & qua ex lege gaudere & gloriari poterat, pro detrimento & ſtercoribus reputat, διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ. hoc eſt, propter *eminentem* cognitionem Chriſti Ieſu. Ita nos, & omnes cœleſtis aulæ Palatini, διὰ τὸ ὑπερέχον æternæ gloriæ, quæcunq; mundana, caduca & momentanea ſunt, quàmcunque nobilia & præſtantia habeantur, pro detrimentis & ſtercoribus (ζημίαν καὶ σκύβαλα) reputemus. Salvator ait: Luc.14.26. *Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Idem tecum ſtatuas, quicunq; cœleſtis aulæ gloriam & felicitatem admiraris. Quiſquis enim huius amore & deſiderio, non omnia mundana lutea bona nō levicula æſtimat, & ludicra & puerilia iudicat, is τὸ ὑπερέχον cœleſtis aulæ nondum ſatis edoctus eſt. (Aurum nobile terræ ſtercus.) Quid enim aurum? quid Argentum? quid omnes Margaritæ? quàm nobiliora terræ ſtercora ſunt, quæ cum Paulinis dotibus, quibus ſuperbire poterat, nulla ratione poſſunt comparari. Quin igitur cum Paulo, quæcunq; retrò ſunt, & quæcunq; nobis ad æterna proficiſcentibus, τὰ ἐπίγεια, retrò manent, omnia obliviſcimur, & ad vnum æternæ felicitatis ſcopum, ad βραβεῖον aulæ cœleſtis, & animum & mentem, & vota & deſideria noſtra omnia extendimus, intendimus, defigimus vnicè. (Phil.3.20.) *Siquidem* πολίτευμα *noſtrum in cœlis eſt,* quid igitur in terris admirabimur? Quicquid enim mirabere, pones invitus. Quod autem flocci pendes, ſine triſtitia atque dolore miſeris.

5. In terris omnes ſumus peregrini & hoſpites. *Porrò* ſcitum & elegans eſt, quod David in Pſalmis ſuis, iterum atq; iterum repetendo canit, ſe *peregrinum advenam* & hoſpitem eſſe in terris. *Domine lacrymas meas ne ſileas, quoniam* advena *ego ſum apud te,* & peregrinus, *ſicut omnes Patres mei.* Pſal.39.v.13. Et Pſal.119.v.19. Peregrinus *ego ſum in terra, ne abſcondas à me mandata tua.* Quibus cum convenit celebris illa, & omnium ore decantata oratio, quam Iacobus Patriarcha coràm Pharaone Ægyptio habuit. Rogatus enim quot annorum vitam vixiſſet, hiſce pulcerrimis & ſententiæ ponderibus graviſſimis verbis reſpondit: (Geneſ.47.v.9.) *Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum ſunt, parvi & mali, & non pervenerunt vſq; ad dies Patrum meorum, quibus* peregrinati ſunt. Quæ ſola meditatio omnium rerum mundanarum, vilitatem & contemptum perſuadere nobis debebat. Nam πολίτευμα noſtrum, in aula noſtra cœleſti, nobis paratum eſt: ibi patria, ibi regnum, ibi ſola manſura ſedes. (2.Corinth.5.6.) Extra hanc, quam diu in terris converſamur, à Domino peregrinamur, hoſpites & advenæ, in regione aliena, in qua nullam habemus manſuram Civitatem: futuram autem inquirimus. Hebr.13.v.14. (Hebr.13.14.) Quis igitur furor, & quæ admiranda multorū ſtultitia eſt, ita inhiare rebus terrenis, quaſi in hoc ævo, non commorandi & peregrinandi neceſſitas omnibus impoſita, ſed habitandi ius & privilegium cuiquam conceſſum eſſet? Quis mortalium (qui ſana mente quidem & ratione captus non ſit) ſine admiratione riſuq; ſimul contueatur hominis peregrinantis ſtuporem & inſana ſtudia, qui cùm nec diem vnum vno in loco permanere poſſit, inſatiabili tamen deſiderio, vbiq; in arenis & procelloſis maris littoribus, Domos, Arces & ſumptuoſa palatia excitare, latifundia, agros, hortos, vineas coëmere, omnis generis contractus cumulare, (μεταχρηματισμὸς inſania hominis peregrinantis.) immenſam

immenſam auri argentique vim corradere, & alia innumera, diurnis nocturnis curis & ſollicitudinibus comparare, ne momento deſiſtat, quæ tamen peregrinator, nec ibi poſſidere, nec itinera ſua confecturus aliorſum transferre ſecum poſſit? Hæc in homines peregrinantes μετεσχηματισμένα plerique intelligimus, & talia factitantis ſtudia, vanas & inanes curas ridemus, averſamur, damnamus, ſed quamprimùm μετασχηματισμοῖς in vitam communem revocatur, ibi plurimi *actutum* cæcutiunt, & ſe quidem peregrinantes, omnia autem huius mundi bona, alienæ Regionis bona eſſe, in qua nec permanere ipſi, nec inde efferre bona poſſint, admirando ſtupore obliviſcuntur. *Ne movetor, quùm fuerit dives factus homo, & multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, non ſumet quicquam illius, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Pſalm. 49. verſ. 17. 18. *Stulte*, inquit Salvator, de impio divite, *hac nocte repetunt animam de te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Nos igitur, qui πολίτευμα noſtrum in cœlis eſſe novimus, in terris autem exiguum duntaxat commorandi & peregrinandi mortalibus ſpatium conceſſum. Nos, qui aulam illam cœleſtem, patriam noſtram, hoc quicquid eſt ævi, exilium eſſe novimus: Nos, inquam, qui hæc ſcimus, ad vilitatem rerum humanarum, & Chriſtianum piumque mundi contemptum concipiendum, notitiam iſtam accommodamus, vt quicquid agamus, quacunque de re cogitationes, & conſilia ſuſcipiamus, ſemper cogitemus, dicamus ſemper: *peregrinus es, peregrinus es, peregrinus es*, nihil agas aut mediteris, quod à peregrinantis animo ſtudijsque vel eſſe vel videri poſſit alienum. *Peregrinus* es, patriam deſiderato. *Peregrinus* es, peregrinas opes ne admirator. In peregrinis fixam non ſomniato ſedem: civitatem futuram & manentem inquirito, iſthæc eſt Aula noſtra cœleſtis, quam in Ezechiele noſtro contemplamur. Hanc ſolam diligito, ad hanc ſolam adſpirato, huius ſolius amore & deſiderio, totus vilescat orbis.

Laudata cogitationes peregrinantium.

Hebr. 13. 14.

Huius argumenti eſt nobilis illa Cypriani ad Donatum Epiſtola libr. 2. Epiſtola 2. mihi pag. 44. In qua poſteaquam mundi varias, atque poſtremò loco divitiarum vanitates plurimis & graviſſimis verbis deſcripſiſſet, & inter alia etiam hæc poſuiſſet: Sed & quos divites opinaris, continuantes ſaltibus ſaltus, & de confinio pauperibus excluſis, infinita ac ſine termino rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues, hos etiam inter divitias ſuas trepidos, cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cuiuſque locupletioris invidia, calumnioſis litibus inquietet. *Non cibus ſecurus ſomnuſve contingit. Suſpirat ille in convivio, bibat licet gemma, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma. Nec intelligit miſer ſpecioſa eſſe ſibi ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis, quàm poſſidere divitias.* Et quæ id genus alia plura ibi ſequuntur. Iſtis præmiſſis, tandem hoc nobili *Apophthegmate*, quod noſtram meditationem de contemptu mundi mirùm illuſtrat, Epiſtolam claudit: *Vna igitur*, inquit, *placida & fida tranquillitas.* Vna ſolida & firma & perpetua ſecuritas: *Si quis ab his inquietantis ſeculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundatus, ad cœlum* (aulam nimirùm noſtram Propheticam) *oculos tollit à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo mente iam proximus, quicquid apud cæteros, in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra SVAM CONSCIENTIAM iacere gloriatur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſeculo poteſt, qui SECVLO MAIOR eſt.* Et mox: *Poſtquam* (mens) *Authorem ſuum intuens divina cognovit, SOLE altior eſt, ac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod eſſe ſe credit.* Atque iterum: *Iam tibi auro diſtincta laquearia, & pretioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia ſordebunt, cùm ſcieris te eſſe excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc eſſe potiorem, quam Dominus inſedit, templi vice, in qua Spiritus ſanctus cœpit habitare, &c.* Caduca ſunt,

Cyprianus lib. 2. Epiſtola 2. De vanitate divitiarum.

Nobilis ſententia Cypriani de contemptu MVNDI.

Homo pius OMNIA intra conſcientiam ſuam poſſidet.

SECVLO maior eſt.

SOLE altior.

quæcunque fucata ſunt, nec fiduciam præbent poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis non habent veritatem. Hæc de mundi vanitate Cyprianus.

Epiphanii Cypræa Cautio: Mundum ESSE HYPOCRISIN & FABULAM.

Sed non minùs ſcitâ, & æternâ memoriâ digna ſunt, quæ Epiphanius Vrbe Conſtantinopolitanâ Cyprum diſcedens (inter navigandum autem moriens) in abitu ſuo, quaſi Teſtamenti ſolemnitate de præſente noſtro argumento reliquit. Cùm enim Epiſcopi, ad mare eum deducerent, ipſe navim conſcenſurus, dixiſſe ad eos ſcribitur: *Vrbem hanc & Imperatoriam Aulam, vitæq; huius ὑπόκρισιν & fabulam vobis relinquo, ego verò abeo, in ciuitatem aliam tranſire properans.* Nicephorus in Eccleſiſtica hiſtoria, libr. 13. cap. 13. Diſcamus ex hiſce Epiphanij ſupremis verbis: Totum hunc mundum nil niſi hypocriſin & fabulam eſſe, id quod cum Apoſtolicis congruit. 1. Corinth. 7. 31. παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. Figura ſeu ſchema huius mundi præterit. Quod ipſum eſt Epiphanij, nil niſi fucatam faciem, & hiſtrionicos luſus eſſe, qui ſuis Actibus breviter finiuntur, quæcunque in terris magnifica & glorioſa apparere ſolent.

Ieronymus ad Euſtochium de præſtantia vitæ æternæ.

Hoc idem conſiderans *Ieronymus*, elegantem huius Argumenti Epiſtolam, ad religioſam & devotam Euſtochium ſcripſit, quæ inter alia ſic etiam habet: *Egredere, quæſo, paulisper è carcere, & præſentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit.* (*1. Corinth. 2.*) *Qualis erit illa dies, cùm tibi virgo Maria choris occurret comitata virgineis? cùm poſt rubrum mare ſubmerſo exercitu Pharaonis tympanum tenens præcinet reſponſuris,* (*Exod. 15.*) *Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum & adſcenſorem proiecit in mare? Tunc & ipſe ſponſus occurret, & dicet, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea. & veni, iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtrâ.* (*Cant. 2.*) *Tunc & Angeli mirabuntur & dicent: Quæ eſt iſta, quæ adſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* (*Cant. 8.*) *Hinc & alius caſtitatis chorus occurret, Sara cum nuptis, Anna, filia Phanuelis cum viduis. Tunc exultabit & mater tua ſive quæ te genuit, ſive quæ te docuit. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conſpectu Throni & ſeniorum tenebunt Cytharas, & cantabunt canticum nouum, quod nemo niſi ipſi cantare poſſunt.* (*Apocal. 7.*) *Quotieſcunque igitur te vana ſeculi delectarit ambitio, quotieſcunque in ſeculo aliquid videris glorioſum, ad Paradiſum mente tranſgredere: Eſſe incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere: Aqua multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam.* (*Cant. 8.*) Hæc Hieronymus ad Euſtochium.

De contemptu rerum humanarum.

NB. Iam incipiamus eſſe, quod futuri ſumus in æternum.

Quam felices autem, quàm placidi & tranquilli ſemper & vbique futuri eſſemus, ſi mundi glorioſam vanitatem & pompam oculis contuentes, mente & animis ſemper in Aula noſtra æternæ felicitatis verſaremur. Sic iam eſſe inciperemus, quod in æterna illa felicitatis Aula æternùm futuri ſumus. Hoc vnicum felix eſt initium, æternùm duraturæ felicitatis: Hic vnus felix, qui diſcere, hoc eſt, omnia mundana contemnere incipit: Hic enim ſolus æternis & ſolùm admirandis bonis æternùm perfruetur.

Gelimeris iudicium de vanitate mundi.

Geſta ſunt hæc Anno Iuſtiniani ſeptimo: poſt Chriſtum natum Anno DXXXIV.

Vnicum addo, & illud *extraneum*, vt nos lucis filij, infidelium exemplis, vel ad ſapientiam & contemptum rerum mundanarum erudiamur, vel in totius Chriſtianiſmi & omnium beatorum ſpirituum, Theatro, pœnitendo rubore (quod tamen abeſſe piè precor) ſuffundamur. Recitat hiſtoriam *Evagrius*, in Eccleſiaſtica hiſtoria libro quarto, capite decimo ſeptimo, quæ ſic habet. Poſteaquam Iuſtinianus Imperator, Vandalis bellum indixiſſet, & Beliſſarius belli Dux, victoria potitus, *Gelimerem* Vandalorum Ducem alioſque captivos, in Triumpho Conſtantinopolin duxiſſet: Ibi Gelimer cum in Theatro Imperatorem præcelſa & miranda ſede locatum, populum quoque, qui triumphum ſpectatum vndiq; magno numero confluxerat, & reliqua omnia ad pompam, maieſtatem & gloriã admirabilem comparata, miſer & captivus vidiſſet, patrio ſermone illud Salomonis ingeminavit, *vanitas vanitatum & omnia vanitas, vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Hæc Gelimer Vandalus, homo infidelis, & Chriſtianæ ſapientiæ hoſtis acerrimus & inſenſiſſimus. Sed ô!

Quibus

Digitized by Google

Quibus & quantis ardentiſſimis pietatis votis optandum erat, vt qui de Chriſtiana & cœleſti ſapientia gloriamur, ad Gelimeris captivi, & in Triumpho circumducti hominis, in iudicando perſpicacitatem, ſtatuendo rectitudinem, & eloquendo magnanimitatem & conſtantiam adſpirandi, ſtudium atque deſiderium nobis adeſſet. Sic demùm & mundum hunc & quicquid admirabile atque glorioſum ſuo complexu tenet, contemnere, & Aulam noſtram cœleſtem, quæ ſola beata & felix eſt, ſolam admirari, ſolam amare & ardere diſceremus. Quicquid enim magnum & admirabile, quicquid pretioſum & delectabile eſt in mundo, quòd vel animum afficere, vel corpus reficere, vel interiores, vel exteriores ſenſus recreare, & titillare, aut quoquo modo nos delectare, & inde in admirationem & amorem, in ſtudium atque deſiderium ſui rapere poſſit, id quale & quantum eſt, totum vanum eſt. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Non iam Gelimere, captivo Vandalorum Duce, ita iudicante, ſed ſic ſtatuente & dictante vno, omnium quos hic orbis habuit, Rege ſapientiſſimo, Salomone. Is ſuum Eccleſiaſten ſic orditur: Verba Eccleſiaſtæ filij David, Regis Hieruſalem: *vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccleſ.1.verſ.1.2. Quanta igitur felicitas eſt Vandalici Ducis, etiam captivi? Nam pompoſæ illius miſeriæ vanitatem agnoſcens, in ipſis captivitatis vinculis ſolutus, in carceribus compedibusque liber eſt. Nulla enim maior captivitas eſt, quàm vanitatis dilectio cultusque, nulla maior libertas, aut libera felicitas eſt, quàm neglectus atque contemptus vanitatis. Ipſe igitur vanitatem exclamans, in triumpho circumductus felix & liber eſt: populus, vanitate ſuſpenſus, captivus & miſer. Quin igitur omnium eorum ſtupendam cæcitatem & ignorantiam deploramus, qui de Aulæ noſtræ æterna felicitate nihil intelligentes, rebus viliſſimis & vaniſſimis in mundo, adeoque ipſa vanitate paſcuntur, paulò pòſt & ipſi futuri vaniſſimi. In naturalibus ſanè, cibus quo fruimur, & aqua vinumque quod bibimus, in ſuccum & ſanguinē fruentis tranſit: ſed qui vanitate mundi paſcuntur, tandem & ipſi, in vanitatem vanitatum convertuntur. Felices igitur & beatos, qui mundi vanitatem agnoſcunt, agnitam contemnunt, contemptam adverſantur. Felices, qui ſolis veris, atque æternis bonis delectantur, quibus in Aula noſtra æternum perfruendo, in æternum beati futuri ſunt & felices.

Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.

Vanitatũ amor, miſera captivitas.

Qui vanitate paſcitur vanus efficitur.

Simile.

Claudat hunc contemplationis vſum locus Apoſtolicus, 1. Corinth.7. verſ.29. *Hoc dico, fratres, tempus breve eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* Quis enim rectè ſentiens, & cum ratione rem dijudicans non poſtponat caduca, & evanida bona, ſtabilibus & æternis. Et qui ipſe in hoc mundo non duraturus, ſed breviſſimi ævi eſt, cur figurâ mundi prætereunte, excæcari ſeſe, & in acquiſitione æternorum bonorum, quæ ſolius Aulæ noſtræ privilegia ſunt, impediri ſeſe atque defraudari patiatur. Nunquid enim caſus noſtros, & repentinos ſæpè atque inopinatos exitus, quotidiè nobiſcum in hac noſtra carne circumferimus? Fragilis res ad momenta vitrum. Nunquid autem nos magis ſumus fragiles, quàm ſi vitrei eſſemus? vitrum enim etſi fragile eſt, tamen ſtudioſè ſervatum, plurimos annos, vel ſæcula quoque durat. Noſtra autem vis nemine etiam allidente, tacitis ictibus in horas minutatim confringitur. Quæ igitur ſtultitia aut inſania potiùs eſt, nos vitreos, vitreo in mundo, vitreis pulviſculis cumulandis ſic occupatos teneri, vt in æternorum bonorum adeptione, quæ ſolius Aulæ noſtræ propria ſunt, detrimentum patiamur.

6. Figura huius mundi præterit.

Simile.

Homines vitro magis fragiles.

Memorabilis eſt hiſtoria Ephemeri, animalculi, quod per vnicum duntaxat

Hiſtoria Ephemeri.

taxat diem vivit, vnde & nomen accepit. *Mane* illud quatuor inſtructum pedibus, & totidem alis naſcitur: *meridie* adoleſcit: ſeneſcit *veſperi*: *& ſole occumbente* commoritur. In quo licet plura admiratione digna ſint, vtpote, quòd ad tam brevis vitæ vſuram, tot inſtrumenta conditor & facultates conceſſit, Videt enim Ephemerus, audit, quaternis incedit pedibus, totidemque alis volat, vt plus ſollicitudinis ad generationem, quàm ad vitæ prorogationem & vſum curæ contuliſſe videatur creator. Hoc tamen in illo maximè mirandum eſt, quòd tàm brevi ſpatio victurus Ephemerus, non minori ſtudio & anxietate momentaneæ vitæ neceſſaria conquirit, ac ſi longo tempore victurus eſſet. *Lubet* Creatoris in Ephemero conſilium contemplari. Stultitiam & vanitatem hominum, ante oculos depingere voluit, qui rebus terrenis, opibus atque divitijs accumulandis, tãtis inanibus curis & ſollicitudinib. inhiant, atque ſi multis annorum ſeculis hîc ſupervicturi eſſent, eiuſdem eâ in re ſtultitiæ cum Ephemero, ignorãtes, ſingulis diebus appetere veſperam, qua dicatur: *Stulte, hac nocte* (poſt occubitum ſolis) *animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Luc. 12. 20. Memores igitur, quàm ſimus ævi brevis, quã ſimus Ephemeri, Ephemeri, momentanei illius animalculi, ſtultitiam vitare ſtudeamus, ſupervacuas & inanes curas. Nunquid enim Ephemeri curas, ſollicitudines & labores contuens, quibus in futura tempora cibos & alia vitæ neceſſaria magno ſtudio congerit, ſciensque, quòd idem proximus ſolis occubitus, & diem illum, & ſollicitam vitam illam terminaturus eſſet, tu admirareris ſimul & omnem vanitatem Ephemeri videres? O igitur vanas & inanes hominum curas atque ſollicitudines, ô cœca pectora, ô ſtulta bruta hominum ſtudia, qui in brutis mirantur & damnant, in quibus ipſi tot annos, tot ætates, tantâ iunctâ cœcitate & deſperatâ emendatione, nexu indiſſolubili inhæreſcunt. Finge Ephemero, non tantùm aures, ſed & mentis aliquid & intelligentiæ eſſe: Finge eidem præconem eſſe, qui ortus & occubitus diem edoceat eundem: nunquid putas Ephemerum ſupervacuis ſuis curis & laboribus nonnihil detracturum, & ijs, quæ in ſingulas horas ſufficerent, contentum victurum? Quis igitur tu, & quid tu es, inſatiabilis avaritiæ vorago, cui non ficta mens aut intelligentia, ſed ad imaginem Dei condito ratio & ſenſus, cui præcones & monitores non ficti, ſed veri, plurimi, & fideles, qui vanitatem vitæ & ſtudiorum, quotidiè tibi inculcant, & occinunt, tu autem & ipſe Ephemerus, imò verò, Ephemero in hoc inferior, quòd tibi ad ſolis occubitum vita promiſſa non eſt, Ephemero, animalculo bruto, deterior, magisque brutus, magisque cæcus es, & ab inſanis habendi & conquirendi furoribus, non quicquam te pateris abduci. Hæc meditanda nobis, & animis noſtris intimè infigenda, vt Ephemeri, omnia Ephemera & momentanea, quæ omnia ſunt, quæcunque in mundo ſunt contemnere, & ad æternitatis bona, quæ in ſolâ *Aulâ noſtrâ beatitatis* reperire licet, adſpirare diſcamus. Hactenus de contemptu mundi: Quæ ſi quis non contempſerit, ſed in quotidianam vitæ tranſigendæ praxin tranſtulerit, is in pietatis exercitio non pœnitendos noverit feciſſe profectus. Deus, à quo omne bonum, pios adiuvet, & felices provehat piorum auſus.

IV. Vnius æternæ vitæ ſpes, omnes Chriſtianos ad pacem & concordiam exhortetur.

Quartus & poſtremus præſentis contemplationis noſtræ vſus eſt, vt quicunque cœleſtis Aulæ Palatini ſumus, hoc eſt quicunque vitæ æternæ adipiſcendæ ſpem atque fiduciam, per Chriſtum Salvatorem ſupremum *Aulæ Magiſtrum* poſſidemus, charitatem mutuam, pacem, tranquillitatem, humilitatem, candorem, & quicquid virtutis eſt, quod laudatam converſationem condecorare & nobilitare poteſt, certantibus invicem ſtudijs colamus & indeſinenter exerceamus. Vnius namque & eiuſdem æternæ Aulæ æternos futuros concives, æterna iungere & inviolata ſervare decet, æternæ pacis & concordiæ vincula. De quâ re ſupremus Aulæ Magiſter, Chriſtus Salvator, iam

Digitized by Google

iam dudum ita nobis edixit: *Mandatum novum do vobis, vt diligatis invicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Et repetit Iohan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Attendite mentem & animum, quicunque æternæ felicitatis aulicam dignitatem diligitis: Aulicum vniverſale, & inviolabile mandatum eſt, vt qui aulam hanc frequentare, Aulæ huius privilegiis gaudere, iiſdemque vti frui voluerit, primum omnium *dilectionem & amorem proximi* habeat, hoc eſt, omnium, qui eiuſdem Aulæ cives ac membra ſunt. Et hanc dicit Salvator, eſſe Aulicæ communitatis notam. *In more* poſitum habent multi Principes, vt vel certo veſtium colore, vel ſingulari habitu aulicos ſuos ab extraneis diſtinguant, quâ aulicâ notâ deſtitutus, ab aulæ ingreſſu prohibetur. Noſtræ aulæ inſigne eſt, *dilectio mutua.* In hoc enim cognoſcent omnes, inquit Aulæ Magiſter, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem, viciſſim, qui dilectionem mutuam non habet, in eo cognoſcent omnes, quòd Chriſti diſcipulus non ſit, cognoſcent, inquam, omnes, quod cœleſtis aulæ nequaquam ſit Palatinus. Ex hiſce nata eſt graviſſima oratio, quam Paulus ad Epheſios inſtituit. Epheſ. 4.1. ita loquens: *Hortor igitur vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis in vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum longanimitate ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et rationem ſubiicit: *Vnum corpus & vnus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Quibus verbis, graviſſimis rationibus, ab vnitate fidei, quam tenemus, Religionis quam colimus, & ſpei, quam omnes expectamus, deductis, ad coniunctionem & vnitatem animorum, & quæ inde efflorescit, ad vitæ vndique ſibi congruentem harmoniam, & ſuaviſſimam morum iucunditatem excitamur. Supremum namque dedecus, & maximum abſurdum eſt, eos inter ſeſe diſſenſionibus, iurgiis & litibus lacerari, quos vna olim domus claudere, & eadem fovere Aula felicitatis debeat. In Principum certè & magnatum Aulis, locisq; aliis vicinis inviolabilis & iurata pax, ſeveriſſime ſanciri ſolet, eamque ſanctionem, qui iurgia miſcendo, aut pulſando alios tranſgreditur, is non tantum ex aulico cœtu eiicitur, ſed graviſſimè vindicatur ſcelus, dum vel capite pacis violator plectitur, vel fœdifraga perfidaque truncatur manu. Quid autem hominum conſtitutiones ad legem valeant divinam? qua pax, concordia, & mutuus invicem atq; ſyncerus Amor, non *ſub capitis* vel *vnius atq; alterius manus* detruncatione, ſed ſub animæ corporisque æterna damnatione, omnibus cœleſtis aulæ futuris incolis, divina auctoritate demandatur. *An neſcitis*, inquit Paulus, *quòd iniuſti regni Dei hæreditatem non conſequentur.* Iniuſtorum autem cenſu, omnes, quicunq; aliis, verbis vel factis iniurias inferunt, cum primis comprehenduntur. Eodem Apoſtolo, verborũ ſuorũ, ad Galatas fidiſſimo & clariſſimo interprete, vbi ſic ſcribit: Gal. 5. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis*, atque inter alia ibi recitata, hæc quoque ſunt, *inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ dico vobis, ſicut & prædixi, quoniam, qui talia agũt, regnum Dei non hæreditabunt.* Vbi apertis verbis edictum videmus, in vniverſum omnibus, qui inimicitias, contentiones & æmulationes fovent, diſſenſiones ſeminant, irâ & invidia ardent, vel homicidiis ſeſe polluunt, cœleſtis Aulæ inhabitandæ, ſpem atque expectationem omnem præciſam eſſe. Idem atteſtante Iacobo. Iacob. 3. 13. *Quis ſapiens & ſcientia præditus inter vos? oſtendat ex bona converſatione opera ſua cum manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi invidiam amaram habetis & irritationem in corde veſtro, nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem*, hoc eſt, nolite vanis decipi perſuaſionib. quaſi iram & invidiã in cordib. fovere, ac nihilominus filii Dei & futuræ vitæ hęredes eſſe poſſitis. Non eſt. n. iſta ſapiẽtia è ſupernis deſcẽdens, ſed terrena, animalis, dęmoniaca: ἐπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης.

Iohan. 13. 34.

Iohan. 15. 12.

NOTA AVLICA Palatinorum Spiritualium.

Epheſ. 4. 1.

Burgfriede.

Inter omnes fideles & pios, perpetua & iurata PAX colitur.

1. Corinth. 6. 9.

Iacob. 3. 13.

Vbi

Digitized by Google

Vbi enim invidia & irritatio, ibi tumultus & omne opus pravum. Quæ autẽ è ſupernis eſt ſapientia, primũ quidem caſta eſt, deinde pacifica, ęqua, tractabilis, plena miſericordiâ, & fructibus bonis, abſque dijudicatione, abſque ſimula-

1.Iohan.3.10. tione, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. Iohannes ait: *Per hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli. Quiſquis non exercet iuſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Quoniam hoc eſt nuncium, quod audiſtis ab initio, vt diligamus nos invicem.* Et verſ. 15. *Quiſquis odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis nullum homicidam habere vitam æternam in ſe manentem.* Summam omnium comprehendit Chri-

Matth.5.22. ſtus Matth.5.22. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo temerè, reus eſt iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quiſquis igitur Aulæ cœleſtis ſpem ſanctam conceperit, is pacem, concordiam & mutuam charitatem adverſus omnes eiuſdem Aulæ incolas, inviolabili fide colito, & ſtudio nunquam intermiſſo conſervato.

III.

MEDITATIONES DE CVLTV ET LEGIBVS TEMPLI.

I. Vide ſupr. pag. 108. AB initio contemplationum noſtrarum, totum negotium in *quatuor* principalia capita diſtinximus. Quorum *primum* de Scopo totius viſionis Propheticæ (quam Ezechiel Novem poſtremis ſui libri capitibus

II. Supra pag. 115. deſcripſit) tractare debuit. *Secundum* proponere nobis contemplationem & diviſionem terræ Sanctæ. *Tertium* contemplationem civitatis ſanctæ. *Quar-*

III. Supra pag. 122. *tum & poſtremum*, contemplationem Templi, & omnium eiuſdem partium.

IV. Supra pag. 179. *Eum in finem* ſic inſtituta *methodo*, vt ſemper à generalioribus ad ſpecialia deduceremur. Ex terra nimirum ſancta in civitatem ſanctam. E civitate in Templum: Et in hoc ex Atrio in Atrium, vſque dum in ædem ſacram, & tandem in ipſam Aulam poſticam perveniremus. Tria priora meditationum capita per gratiam Dei abſolvimus: In quarto & poſtremo pars exigua reſtat. Huius enim meditationes in tria principalia membra tributa fuerunt ſupra pag. 180. Quorum in ordine primum *demonſtratorem* Propheticum nobis propoſuit, pag. 180. Secundum, ipſum *Templum*: Id cùm valde *Auguſtum* & nobile ſit, varias hic & nobiles habuimus meditationes. Contemplati enim ſumus. 1. Ipſum Templi ſitum. 2. Extremum Templi ambitum. 3. Gradus quibus in montis verticem, & ipſam ædem ſacram contenditur. 4. Contemplati ſumus, diverſa domus Atria. 5 Atriorum portas. 6 Altare, quod in intimo Atrio extructum eſt. 7. Ædes ſacerdotum & Cantorum in codẽ atrio ſitas. 8. Ipſam ædem ſacram, cum partibus & appendicibus ſuis. 9. Alteras Sacerdotum ædes, quæ in atrijs Templo collateralibus extructa ſunt. 10. Viſitavimus etiam Templi Popinas. Et 11. venimus in Aulam Poſticam. Adeoque omnes templi Partes, omnes ſtructuras & ædificia luſtravimus, vbique etiam locorum iucundas & vtiles habuimus, ſpirituales & cœleſtes meditationes, [illegible] quantum quidem, per ænigmata & adumbrationes [illegible], ad rerum cœleſtium contemplationem nobis mortalibus, mundo [illegible] degentibus, per Spiritus ſancti gratiam appropinquare licuit.

Supereſt in hoc quarto & poſtremo capite, tertium & vltimum membrum, de vero *Templi cultu*, & [illegible] eorum debito & convenientè [illegible]. Quanquam enim textu & templi [illegible], quin etiam ipſo Prophetico demonſtratore, ita nos deducente, [illegible] ſuperioribus, de Aula Poſtica, & vita æterna non pauca dicta ſunt, hoc tamen membrum, non incommodè illis

ſubijci-

ſubijcitur. Quia namque Templum, Altare, Atria & reliqua vidimus, meritò quoque iam contemplemur, quæ Templi iſtius leges, quis rerum ſacrarum cultus & ordo, quæ Sacerdotum, Regis, populi, omniumque piorum, munera & partes officiorum. Hæc enim omnia, niſi ritè & ſtudioſè obſervaverimus, Aulæ poſticæ felicitatem non aſſequemur. Hoc igitur poſtremum mēbrum, viam nobis & rationem demonſtrabit, quâ pijs & fidelibus, ad Aulam poſticam, omniumque Privilegiorum illius, pervenire liceat fruitionem & vſum. *Ex quibus* planum eſt, quantâ diligentiâ & ſtudio, hanc quoque partem meditationum noſtrarum attēdere, & nō tantùm animis noſtris penitùs infigere, verùm etiam in quotidianam, piam & ſollicitam praxin trāsferre omnes debeamus. Quiſquis enim hic vel aberraverit, vel defecerit, is neque in terrâ ſanctâ partem, neque in Eccleſia Chriſti locum, neque in Aulæ poſticæ privilegijs adipiſcendis, ſpem aut expectationem vllam habere poteſt.

Magna igitur ſunt, & nobis maximè neceſſaria, quæ hîc meditari incipimus: Demonſtrator opt. maximus, qui omnia hęc Prophetæ noſtro revelavit, etiam noſtras mentes illuminet, & qui huc vſque Spiritu ſancto ſuo deduxit nos, in hoc etiam membro, meditationes noſtras dirigat in via veritatis. Methodi leges, quas obſervaturi ſumus, hæ ſunt:

I. Dicemus de *gloria Templi*, cuius fabricam hactenus & omnem ſtructuram contemplati ſumus.

II. De *Templi legibus*, ſacrificijs & omni religioſo cultu.

III. De *cultoribus*, omniumque piorum & membrorum Eccleſiæ muneribus atque officijs. Vbi
- 1. De *Sacerdotibus*.
- 2. De *Principe*.
- 3. De *Populo*.

IV. De *cultus* cultorumque felicitate & beato progreſſu.

I.
De Templi gloria & maieſtate.

Poſteaquam Propheta noſter & vidit & menſus eſt omnes partes Templi, deducitur ad portam primam *Orientalem*, ad quam primò adductus fuerat, ibi videt adventare gloriam Domini, viâ Orientali, exaudito ſonitu ſeu voce, inſtar aquarum multarum, colluſtrante luce omnem terram, & partes viſionis ſimiles fuerunt Domini aduentantis, quales fuerunt eiuſdem diſcedentis, ſicuti viderat Propheta, ante ruinam vrbis. Quâ maieſtate ita perculſus fuit Propheta, vt prorſus humū ſterneretur. Quas omnes circumſtantias habuimus in textus explicatione, cap. 43. ab initio. *Circumſtantia viſionis.*

Prima *meditatio* eſt de gloria Domini adventantis ad Eccleſiam. Hæc enim eſt gloria, & ſola Eccleſiæ gloria, quod Dominum Deum ſuum pręſentem habet. Eſt equidem DEVS vbiq; præſens. *Quo enim abibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si adſcendero in cælum tu illic es, ſi lectum ſternerem in infernum tu ades, &c.* Pſalm. 139. 7. Et hæc dicit Dominus: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Et rurſus: *Nunquid Deus è vicino ego ſum, & non Deus de longe. Si occultabitur vir in abſconditis & ego non videbo eum? Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Quomodo igitur apud Ezechielem noſtrum dicitur & videtur Dominus adventare ad Templum & Eccleſiam ſuam? Reſp. Illa generalis Dei præſentia eſt Deo eſſentialis: hæc verò de quâ iam meditamur, eſt gratioſa, quâ cum beneficijs ſuis, bonitate & miſericordiâ ſuâ Eccleſiæ omnibusque pijs & fidelibus adeſt. *I. Præſentia Dei & Eccleſia & omnium piorum ſumma gloria & maieſtas eſt. Pſalm. 139. 7. Eſa. 66. 1. Ierem. 23. 23. Præſentia Dei generalis & gratioſa.*

De quâ præſentia Pſaltes canit: *Attollite portæ capita veſtra & elevamini portæ mundi, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ, Dominus fortis & potens, Do-*

 minus

minus potens in prælio. Attollite portæ capita veſtra, & elevamini portæ mundi & intro ibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus Zebaoth, iſte eſt Rex gloriæ. Pſal. 24. v.7. &c. De hoc gratiæ Adventu Chriſtus concionatur. Ioh. 14. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioh 6. 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in illo.* Et Paulus, Eph. 3. 17. *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, vt Chriſtus per fidem in cordibus veſtris habitet. Vt ſitis radicati in charitate & fundati.* Vbicunq; igitur Deus verbo & Sacramentis ſuis præſens eſt, ibi gratioſa hac ſuâ præſentia, quam Propheta noſter Ezechiel vidit, præſens eſt. Et hæc ipſa præſentia eſt Eccleſiæ omniumque fidelium, ſumma & ineffabilis gloria, omnē mundi, pompam & maieſtatem, dignitate & nobilitate ſuá obſcurans. In Eccleſia namq; civem, & conſequenter Dei Omnipotentis filium, atq; cœleſtium bonorum hæredem, in hiſce autem terris Domū, habitationem & Templum Sacroſanctæ & æternum benedictæ Trinitatis eſſe, id multo maioris & excellentioris dignitatis & gloriæ eſt, quàm vel Imperatorem Romanum vel Regnorum Galliæ, Angliæ aut Hiſpaniarum Principem, vel totius etiam orbis florentiſſimum & invictiſſimū Monarcham, vel eiuſdem filium atq; hęredem eſſe. Quid enim Princeps mortalis, qui Rex hodie, cras pulvis eſt, & eſca venenatorum vermium, ad Regem Regum, & ad Dominum dominantium? Quid filius principis momētanei, ad filium Regis Patriſq; æternitatis? Quid hæres ſeculi, ad hæredē Regni cœlorū?

Piorum dignitas cum mundi maieſtate collata.

Quam dignitatem Moſes populo Hebręo hiſce verbis commendat: *Scitis, quòd docuerim vos præcepta atq; iudicia, ſicuti mandavit mihi Dominus Deus meus, &c. Hæc eſt igitur veſtra ſapientia, & intellectus coràm populis, vt audiētes vniverſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat ita Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter, adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaq; iudicia, ſecundum omnem legem hanc, &c.* Digna Moſis oratio, quam non oſcitanter attendamus. Nam propter pręſentiam Domini, & eiuſdem revelatam voluntatem; populum Hebræum Moſes, omnibus alijs gentibus ac populis lōgiſſimè præfert. Non eſt, inquit, alia natio tàm grandis, hoc eſt, tā felix, glorioſa & inclyta, quæ habeat Deos ita appropinquantes, ſicut Dominus Deus noſtris obſecrationibus, hoc eſt, noſtris cultibus, ſacrificijs & precibus adeſt. Nec eſt alia gens, quæ tātā dignitatem & gloriam cū populo Hebræo habeat cōmunem. Nam *verbum ſuū annunciat Dominus Iacobo, ſtatuta & iudicia ſua Iſraeli, nec talia fecit omni nationi, neq; iudicia ſua manifeſtavit eis.* Pſ. 147. v. 19. 20. Et Paulus ad Rom. c. 9. 4. *Iſraelitarum*, inquit, *eſt adoptio, & GLORIA & teſtamenta, & legiſlatio, & cultus, & promiſſiones, &c.* Quoniā igitur Scriptura, propter Domini, verbiq; ipſius præſentiam & cultum, Hebræi populi gloriam & dignitatem omnib. aliorum gētium laudib. anteponit: inde nos Eccleſiæ quoq; N. Teſt. gloriam & maieſtatē concludamus. Nam Adventum & præſentiā Domini, ad Eccleſiam ſuā, Propheta noſter Ezechiel, in hac viſione ſua Ezech. 43. 2. elegantiſſime depinxit; Prophetæ eandem in vaticinijs ſuis copioſe præconiaverunt: Evangelicæ hiſtoriæ abundanter cōpleverunt, & omnipotentis Salvatoris, Eccleſiam ſuam benigniſſimè adminiſtrantis, per orbem propagantis, & contra omnes omnium hoſtium furores fortiſſimè defendentis & protegentis, quotidiana Exempla & ſtratagemata irrefragabiliter demonſtrant. *Non minor* igitur eſt noſtra hodie, quàm olim fuit Hebrææ Eccleſiæ GLORIA. Non minùs conſummata eſt noſtra ſapientia, nec inferior, quàm illorum fuit intellectus, quin multis in rebus, & in plæriſque ſummis fidei capitibus explicatior, hodiè, perfectior, & multò quàm olim fuerat, eſt abundantior. *Propior etiam ſalus eſt, quam dum veteres illi expectarent.* Ipſi enim in Meſſiam crediderunt incarnandum, nos in exhibitum credimus & incarnatum, qui tradidit ſemetipſum pro Eccleſia ſua, & in eadem gratioſâ ſuâ præſentiâ habitat, nō

Deut. 4. 5.

Gloria populi Hebræi.

Rom. 9. 4.

Gloria Novi Teſtamenti Eccleſiæ.

Rom. 13. 11.

Epheſ. 5.

diſceſſurus

diſceſſurus vſque ad mundi finem & vltimam ſeculi conſummationem. Totis igitur animis exultare, & veriſſimis laudibus gloriari poteſt Eccleſia: *En populus ſapiens & intelligens, gens ſola laudata, glorioſa & magna. Non eſt alia natio, aut populus vllus adeò magnificus & inclytus, qui Deos, hoc eſt, Scroſanctam Trinitatem, ita appropinquantes habeat, ſicut Eccleſia, Eccleſia, inquam, illa Novi Teſtamenti, quam viſio Prophetæ noſtri Ezechielis exprimit, Eccleſia vnica, ſancta, Catholica,* hoc eſt, quæ Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum Catholicâ Harmoniâ, ceu incorruptibili ſemine, generata, fundata, & ad orbis terminos propagata eſt. Hæc eſt illa gloria, quam Ezechiel noſter commendat. Ezech. 43. 2. *Ecce gloria Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem.* Et rurſus v. 4. *Et maieſtas Domini ingreſſa eſt Templum.* Atque hæc omnia, vt rectiùs intelligantur, ſciendum Dominum in Eccleſia, non vt hoſpitem in diverſorio commorari, neque gloriam eius, ceu tenuem evaneſcentem auram replere domum. Sed Dominus Eccleſiam ſuam, proprium domicilium, conſtans Tabernaculum atque adeò ſanctum Templum ſuum ſibi elegit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi,* Matth. 28. 20. *Nec relinquam vos orphanos.* Iohan. 14. 18. Et quod amplius eſt, Chriſtus, ille Rex gloriæ, Dominus ille Zebaoth, Salvator ille ad Eccleſiam ſuam gloriâ & maieſtate ſuâ veniens, tanto cum amoris affectu, & clementiæ benignitate venit, vt Eccleſiam ſibi æterno charitatis, & dilectionis *fœdere* iungat, ita vt Eccleſiæ ipſe caput, ipſius Eccleſia ſponſa ſit. Qua de re apud Oſeam: *Ego deſponſabo te mihi in æternum, & deſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus, & deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum.* Oſeæ. 2. 19. Eam ob cauſam Chriſtus *Caput* dicitur Eccleſiæ. Epheſ. 4. 15. *Creſcamus in eo, qui eſt caput Chriſtus.* Ibid. cap. 1. 22. *Pater gloriæ ſubiecit Chriſto omnia ſub pedibus, & dedit ipſum caput ſuper omnia, ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Ad Coloſſ. 1. 18. *Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ. Ille igitur ſponſus, Eccleſia ſponſa eſt.* Hinc aliud Eccleſiæ commodum gloriaque ineffabilis enaſcitur. Quia enim Chriſtus Eccleſiæ caput eſt, ex ipſo vt capite omnis virtus, vt à ſponſo, omnis gloria & maieſtas in ſponſam derivatur. Quemadmodum enim vxor radijs mariti fulget, ſic capitis ſui gloriâ Eccleſia corruſcat. Et ſicuti, inter maritum & vxorem omnis vitæ bonorumque communio eſt, ita quicquid gloriæ, benignitatis & miſericordiæ Chriſtus habet, id omne cum Eccleſia, iure deſponſationis, commune habet. *Nam communio noſtra, vt Iohannes loquitur, cum patre eſt, & cum filio eius Ieſu Chriſto.* 1. Iohan. 1. 3. ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ἰησοῦ χριστοῦ. Et paulò poſt: *Si in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus ad invicem.* 1. Iohan. 1. 7. & 2. Petr. 1. v. 3. 4. *Diuina virtus omnia nobis largita eſt, quæ ad vitam & pietatem pertinent, &c. vt per ea efficeremini diuinæ cōſortes naturæ.* τῆς θείας κοινωνοὶ φύσεως. Quæ communio, quantæ ſit dignitatis, gloriæ, maieſtatis, & vſus denique, nullius hominis oratione dignè ſatis vnquam explicari poteſt. Attingamus paucula quædam, cætera cuiuſque pietati & devotioni meditanda ſtudioſè relicturi. Sponſus Eccleſiæ, filius Dei eſt, eiuſdē dignitatis particeps etiam fit ſponſa Eccleſia, quę per nuptias in familiam ſponſi tranſit, vna cum illo caro & ſanguis facta. 1. Corinth. 6. v. 15. vbi de vitandâ fornicatione, ex gloria fidelium ita argumentatur Apoſtolus: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum* (cum illa) *corpus eſt. Erunt enim inquit* (ſcriptura) *duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Eccleſia igitur vnum cum Chriſto ſpōſo, corpus & ſpiritus eſt, quâ vix alia maior aut nobilior poſſit excogitari coniunctio.

Matth. 28. 20.

1. Petr. 1. 23.
Ephe. 2. 20.
Marc. 10. 15.

Modus præſentiæ Dei in Eccleſia.

Matth. 28. 20.

Oſe. 2. 19.
Chriſtus Eccleſiæ caput & ſponſus.

Eccleſia ſponſa Chriſti, ipſius radiis coruſcat.

Pii communionem habent cum Deo.

1. Iohan. 1. 7.
2. Petr. 1. 3.

CAPITA dignitatis & vtilitatis communionis noſtræ cum Deo.

1. Sponſa Chriſti in familiam Dei tranſit, vnum cum ipſo corpus & ſpiritus.

1. Cor. 6. 15.

Ex hac porrò coniunctione, plurima in Eccleſiam & maxima commoda proveniunt. *Petrus* in proximè citatis ait, nos per communionem illam *divinæ participes fieri naturæ.* Chriſtus enim in Eccleſiam ſuā, omnia ſua merita confert, quæ ſunt redemptio, remiſſio peccatorū, iuſtitia, ſanctitas, adoptio, gloria

2. Sponſa omnium bonorum ſponſi particeps.

& vita æterna, quibus omnibus à corruptione perditæ noſtræ naturæ, ad imaginem & naturam divinam, ad quam initiò conditi eramus, per fidem indies

Coloſſ. 3. v. 9. 10.

magis magisq; reformamur & renovamur. *Exuendo veterem hominem cũ actib. ſuis, & induendo novũ, qui renouatur in agnitionẽ ſecũdùm imaginem eius, qui creauit eũ.*

3. Pii omnes ſunt fratres Chriſti.

Per coniunctionem iſtam, & ſponſa & *fratres* Chriſti ſumus. Propter quã cauſam non confunditur, nos fratres ſuos appellare, dicens: *Nunciabo nomen tuũ fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Heb. 2. v. 11. 12. ex Pſal. 22. v. 23. Et alibi: *Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.* Matth. 12. v. 49. 50:

Pſalm. 22. 23.

Matth. 12. 49. 50.

4. Pii omnes ſunt hæredes Dei.

Si ſponſa & fratres Chriſti, & ſic *filij Dei* ſumus, *hæredes* quoq; ſumus oĩm cœleſtium bonorum: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8. v. 17.

5. Pii omnes ſunt REGES.

Deniq;, ſi fratres Chriſti, & cum illo filij Dei ſumus, *Reges* quoq; ſumus, & *Regis hæredes.* Filius enim cum patre Rex Regum eſt, & Dominus dominantium.

Apocal. 1. 6.

Quam dignitatem & gloriam noſtram Apocalypſis illuſtrat: *Chriſtus dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos* Reges & Sacerdotes *Deo & patri ſuo.* Apoc. 1. 6. Et Apoc. 5. 9. *Cantant ſeniores Canticum nouum dicentes, dignus es* (Domine) *accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo, &c. Et feciſti nos Deo noſtro* Reges & Sacerdotes, & regnabimus *ſuper terram.* Quam ipſam dignitatem Petrus hiſce verbis expreſſit: *vos eſtis genus electũ, regale Sacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis.* 1. Pet. 2. 9. Per verba nãq;, Regale Sacerdotiũ, hoc vult Petrus: Chriſtianos & fideles oẽs ſimul eſſe & ſacerdotes & Reges ſpirituales. Quam oẽm dignitatem Ezechiel pauciſſimis iſtis verbis expreſſit, quibus gloriã Domini *in Templum ſuum veniſſe* conteſtatus eſt.

Apocal. 5. 9.

1. Petr. 2. 9.

VSVS huius meditationis.

REGVLA. Quæ de Eccleſia vera ſunt, vera etiã ſunt de eiuſdem membris.

Vſus huius contemplationis, de Eccleſiæ dignitate & gloria, multiplex & magnus eſt, nos ſummam rerum paucis perſtringamus, illa præmiſſâ generali hypotheſi, quòd quæcunq; de Eccleſia Dei in vniverſum demonſtrata ſunt, iſthæc omnia de omnibus & ſingulis Chriſtianis, atq; membris Eccleſiæ ſint intelligenda. Eccleſia namq; Catholica nihil aliud eſt, quàm ex omnibus ſingularibus facta collectio. Vnde rectè de ſingularibus intelligitur, quod de toto ſeu vniverſo verum eſſe cognoſcitur. In ſingulis igitur Chriſtianis Deus præſens inhabitat, & gratioſâ ſuâ præſentiâ inhabitat, ſingulos fideles æterni ſibi amoris fœdere Chriſtus iungit, ſingulos divinæ naturæ, hoc eſt, omnis gratiæ & meritorũm ſuorum participes facit, adeoq; omnes fideles, membra Chriſti & vitæ æternæ hæredes ſunt.

1. Vſus. Eccleſia Chriſti inſuperabilis atq; invicta eſt.

Ex hiſce conſequitur; *Primùm*, Eccleſiam Dei in terris, quibuſcunq; hoſtium inſidijs & perſequutionibus expoſita ſit, ſemper tamen *invictam & inſuperabilem* eſſe, non ſuâ quidem naturâ aut proprijs viribus, quæ hoſtium inſidijs, fraudibus & mille technis, multò ſunt inferiores, ſed propter gratioſam præſentiam Domini Dei Zebaoth, hic templum & habitationem ſuam, quam elegit, contra omnes mũdi & Satanæ furores, ſatis fortiter eſt defenſurus. De qua re Pſaltes: *Deus nobis refugium & virtus, adiutor in tribulationibus præſentiſſimus. Propterea non timebimus, ſi terra moveretur, & montes præcipitarentur in medium maris, &c.* Pſ. 46. v. 2. 3. & v. 6. *Deus in medio civitatis ſuæ, non dimovetur, adiuuat illam Deus opportuniſſimè.* Et Salvator Matt. 16. 18. *Super Petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam.* Quis enim valentior & potentior ſit Omnipotente, & quis vel conſilijs vel viribus Dominum Zebaoth vnquam ſuperaret? *qui in cælis habitans ridet inimicos, & omnes ſuos ſubſannat hoſtes.* Pſalm. 2. 4. *Inite conſilium & diſſipabitur, loquimini verbum, & non fiet, quia nobiſcum Immanuel.* Eſa. 8. 10. *Qui magnus eſt conſilio, & magnus operibus.* Ierem. 32. 19. *Stat igitur fundamentum, ſolidum habens ſignaculum hoc:* Dominus novit SVOS, Dominus novit Eccleſiam ſuam, ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ, hoc eſt, Dominus Deus Zebaoth, qui Ezechiele noſtro Demonſtratore & teſte, habitat in Eccleſiâ ſuâ, ille Eccleſiam ſuam novit, hoc eſt, fovet, curat, protegit, defendit, & adverſus omnes hoſtes, adverſus omnia pericula, omnipotenti dextera ſua

Pſalm. 46. 2.

Matth. 16. 18.

Pſalm. 2. 4.

2. Timoth. 2. 19. Dominus NOVIT ſuos.

perpe-

Digitized by Google

perpetuò tutatur. *Novit* enim *Dominus viam iuſtorum*. Pſalm. 1. 6. hoc eſt, paternâ curâ & ſollicitudine omnes vitæ rationes piorum & fidelium dirigit, tuetur & moderatur, quam ob cauſam durant & florent, *ſicut arbor plantata ſecus decurſus aquarum*. Viam autem impiorum *non novit*, hoc eſt, non tuetur aut defendit, propterea via impiorum peribit. Eodem ſenſu dicit Pſalmus 11. 7. *Iuſtus Dominus iuſtitias diligit, rectum V I D E T vultus eius.* Nam omnia quidem Dominus videt, nec illum vel latere, vel clam eſſe quicquam poteſt: ſed quod rectum eſt *videt* Dominus, hoc eſt, ſicut in præcedentibus dixerat, quod rectum, quod iuſtum eſt, diligit, curat, & provehit Dominus. Peccatum autem & omnem nequitiam, averſatur & odit. Et Chriſtus Salvator: *Ego ſum Paſtor bonus*, & cognoſco *oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut* novit *me pater, & ego agnoſco patrem*, hoc eſt, ſicut pater me diligit, & ego patrem, ita & ego diligo oves meas, & animam meam pono pro ovibus. Ex præſentia igitur, amore & dilectione Domini, ſtabilitur fidei noſtræ Articulus: *credo Eccleſiam.* Contra quod fundamentum vſque dum ruat orbis, neque diabolus, neque inferorum portæ quicquam prævalebunt.

Pſalm. 1. 6. *Pſalm. 11. 7.* *Iohan. 10. 14.*

Ex certitudine & firmitate Eccleſiæ, etiam piorum, & *fidelium* ſalus & certitudo concluditur. Quemadmodum enim Diabolus & omnes eius furiæ, Eccleſiam Dei ſubvertere & exſcindere non poſſunt, ita neque *vllum fidelium.* Ita namque Salvator interpoſitâ iuramenti Religione: *Amen Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui me miſit, habet vitã æternam & in iudicium* non venit, ſed tranſijt *à morte in vitam.* Et Iohan. 6. 54. *Amen, Amen dico vobis, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem*, habet vitam æternam. Ibidem 10. 28. *Ego ovibus meis do vitam æternam, & non* peribunt *in æternum*, & non rapiet *eas quiſquam de manu mea.* Et Paulus, Rom. 8. 35. *Quis ſeparabit nos à charitate Dei? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? &c.* Et mox verſ. 38. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos* ſeparare *à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Dominô noſtro.* Et in 2. Timoth. 1. 12. *Hæc patior & non erubeſco. Scio enim cui credidi &* certus *ſum, qui potens eſt, depoſitum meum ſervare in illum diem.* Hæc autem non intelligenda ſunt de Calviniano-ſtoica, & Stoico-Calviniana *abſoluta* neceſſitate, quaſi qui fidem *ſemel* conſequutus, & per illam inter membra & cives Eccleſiæ ſemel relatus fuerit, finaliter illâ gratiâ excidere nunquam poſſit. Certa enim & inviolabilis eſt ſalus *fidelium* ſeu membrorum & ovium Chriſti, *quam diu* illi membra & oves Chriſti manent, hoc eſt, quàm diu illi in Eccleſia manent, tàm diu Dominus cum ipſis manet, quem Ezechiel in Templum ſuum adventaſſe vidit. Quam primùm autem illi, per infidelitatem & ſcelera ab Eccleſia & Templo Dei ſeceſſionem faciunt, confeſtim & illos Dominus cum vniverſa ſua gratia, gloria & maieſtate derelinquit. Poſſe autem eos, qui crediderunt, & per fidem vera Eccleſiæ & Chriſti mẽbra fuerunt per infidelitatem deſciſcere, non tantùm apertis verbis Chriſtus docet, dum aliquos πρόσκαιρους eſſe pronunciat. Matth. 13. 21. Et Iudæis, qui crediderant in eum, dicit: *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Iohan. 8. 31. Ergò qui non manet in ſermone, neque manet ille diſcipulus. Sed & Paulus graviſſimis verbis ſimul, & Hebræorum atque gentium exemplis idem conteſtatur. Rom. 11. v. 19. & ſeqq. *Dicis ergò fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè, propter incredulitatem fracti ſunt.* Ecce propter *incredulitatem* populus Hebræus, qui populus & Templum Dei fuit, fractus & exciſus eſt. *Tu autem*, inquit Paulus ad gentes, *fide ſtas, noli ſuperbire* μὴ ὑψηλοφρόνει, *ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate:* Alioquin & tu excideris. Ecce qui per *fidem* ſtant, niſi in *fide* permanſerint ex-

II. Vſus. Fidelium certiſſimâ & tutiſſima ſalus. *Iohan. 5. 24.* *Iohan. 6. 54.* *Iohan. 10. 28.* *Rom. 8. 35.* *2. Timoth. 1. 12.* *Exploditur abſolutum Calvinianorum Decretum.* *Vera Fides amitti poteſt.* *Matth. 13. 21.* *Iohan. 8. 31.* *Rom. 11. 19.*

Digitized by Google

1.Tim.1.19. cinduntur. Sic 1.Tim.1.19. *Fidem & bonam conſcientiam quidam repellentes circa*
Coloſſ.1.21. fidem *naufragium fecerunt.* Ideò Coloſſenſibus cõcionatur, illos quidem fuiſſe
olim alienos & inimicos mente, nunc autem recõciliaſſe illos, Chriſtum cor-
pore carnis ſuæ, vt exhiberet ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles: *ſi*
tamen permaneant in *fide* fundati & ſtabiles, & à ſpe Evangelij immobiles. Co-
Hebr.3.6. loſſ.1.v.21.& ſeqq. Et ad Heb.3.6. *Nos ſumus domus ſeu Templum Chriſti, ſi fiduciam*
Ibid.v.14. *& gloriam ſpei, vſque ad* finem *firmam retineamus.* Et ibid. v. 14. *Participes Chriſti*
effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantia, vſque ad finem *firmum retineamus.* Quod
ipſum Chriſtus clarè teſtatur, quoties illud decantatum pronunciat: *Qui per-*
Matth.10.22.& 24.10. *ſeveraverit vſque ad* finem *ſaluus erit.* Et rurſus ad Heb.10.38. *Iuſtus ex fide vivet.*
Marc.13.v.13. *Quòd ſi* ſubduxerit ſe, *non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubductionis in*
Hebr.10.38. *perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.* Ecce iuſtus, qui *ex fide*, ſi permanſiſſet
in illa, victurus fuiſſet, quàm primum ſubduxerit ſe, ruit in animæ æternã per-
Rom.8.38. ditionem. Quod ipſum quoq; videre licet in Triumpho Paulino. Rom.8.38.
Certus ſum, quia neq; mors, neque vita, &c. neq; creatura alia poterit nos ſeparare à chari-
tate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quùm enim omnia recenſuiſſet, quę
hominibus adverſa eſſe poſſent, & de iſtis omnib. certam victoriam fidelibus,
promiſiſſet, ſolam infidelitatem & peccatum, reticendo hæc, & prætermit-
tendo excepit: Hæc enim ſunt, quæ hominem incautum evertunt, gratiâ &
præſentiâ Dei ſpoliant, à charitate ſeparant, communione Chriſti excludunt,
& vitæ æternæ hæreditate privant. Qua de re Ezechiel noſter clariſſimis etiam
Ezech.18.24. verbis ita ſcribens, conteſtatus eſt. *Si averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniqui-*
tatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes
iuſtitiæ eius, quas fecerat, non commemorabuntur, in prævaricatione, qua prævaricatus
eſt, & in peccato ſuo quo peccauit, in ipſis morietur. Sunt igitur fideles in Eccleſia invi-
cti & inſuperabiles, quamdiu in Eccleſia cives, & in Chriſto capite vera mem-
bra manent. Sic enim non citiùs illis nocebit Sathan, quàm vel Eccleſiam ſu-
peraverit, in qua gloria Domini habitat, vel Chriſtum vicerit, qui Eccleſiæ ca-
put eſt.

DE PERSEVERANTIA. 1. Perſeverantia requiritur.

Hæc cùm ita ſe habeant, eò iam pijs & fidelibus vnicè elaborandum eſt,
vt fidem, quam per divinam gratiam ſemel conſequuti ſunt, firmam & incon-
cuſſam cuſtodiant, nec id donorum, quo ſolo invicti & beati eſſe poſſunt, *fi-*
dem nimirùm & perſeverantiam, vnquam amittant. Quâ de causâ Apoſtoli,
quos in Evangelicâ veritate inſtituerant, vt conſtantes & firmi in doctrina,
quam accepiſſent, perſeverarent, tantâ curâ & ſtudio exhortati ſunt. Barna-
Actor.11.23. bas, ab Eccleſia Hieroſolymitana Antiochiam miſſus, videns collatam illis
gratiam Dei, *gaviſus eſt, & hortatus omnes, in propoſito cordis* permanere *in Domino.*
Actor.14.20. Paulus & Barnabas, cùm & alijs in locis Evangelium docuiſſent, reverſi ſunt
Lyſtram, & Iconium & Antiochiam, *confirmantes animas diſcipulorum exhortan-*
Galat.5.1. *teſq́.*, vt permanerent in fide. Act.14. Ad Galatas ſcribit Paulus: *State, & nolite*
iterum iugo ſeruitutis alligari. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini,
Philip.4.1. *Chriſtus vobis nihil proderit.* Galat.5.1. Ad Philip. 4.1. *Itaque fratres mei chariſſi-*
mi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate *in Domino chariſſimi.* Sic
2.Theſſ.2.15. 2.Theſſ.2.15. *Itaque fratres* ſtate, *& tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſer-*
2.Timoth.3.14. *monem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Et ad Timoth. *Tu verò* permane *in his, quæ di-*
diciſti, & quæ credita ſunt tibi. Hæc denique dicit filius Dei in Apocalypſi Iohan-
Apoc.2.10. nis, cap.2.v.10. *Eſto fidelis vſque ad* mortem *& dabo tibi coronam vitæ.* Et verſ.25.
Ibid.v.25. *Id, quod habetis* tenete *donec veniam, & qui vicerit, & cuſtodierit, vſque in finem*
Apoc.3.11. *opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, &c.* Et cap.3. verſ. 11.12. Tene, *quod*
habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo
Dei mei, & foràs non egredietur ampliùs.

2. Vnde donum perſeverantiæ. Sed *vnde* perſeverantię donum? Nõ ex nobis, ſed ex Domino. Sicut enim
fides ex nobis non eſt, ita nec fidei ſtabilitas & firmitudo: verùm, ſicut Do-
minus

Digitized by Google

minus in Templo ſuo habitans, omnibus Eccleſiæ incolis, omnem gratiam & benignitatem, & cum his etiam fidem largitur, ſic eandem omnibus, qui non Eccleſiâ deſertâ ſolum vertunt, conſtantem vult ſtabilem & invictam conſervare. *Quoniam enim lucta nobis eſt, non adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus mundi Dominos, tenebrarum ſeculi huius rectores, adverſus ſpirituales pravitates in cœleſtibus:* nos certè ad reſiſtendum tàm potentibus, à fraudibus & dolis inſtructiſſimis hoſtibus, nimium abiecti & imbecilles & fracti eſſemus. Sed *Dominus eſt, qui, quod cœpit in nobis, bonum opus, perficit vſq; in diem Ieſu Chriſti.* Dominus eſt, *qui ſuſtentat*, hoc eſt, firmat & tuetur *ſortem noſtram*, Pſalm. 16. 5. Vnde Petrus ait: *nos virtute Dei cuſtodiri per fidem*, 1. Pet. 1. 5. Quæ cuſtodia multò fidelior & certior eſt, quàm ſi noſtris viribus commiſſa fuiſſet. Epheſ. 6. 12. Philip. 1. 6. 1. Petr. 1. 5.

Qui fit autem, quòd, cùm omnis Fidei & perſeverantię cuſtodia in Deo poſita eſt, multi tamen, qui fidem habent, eandem amittunt & pereunt? Nunquid verò Deus vel προσωποληψίας vel negligentiæ accuſabitur? *Abſit.* Dives enim & fidelis eſt Dominus in omnes, & ſicuti omnibus fidem offerens, ad fidei & veritatis agnitionem pervenire exoptat omnes, ſic omnibus, qui fidem gratiâ Dei conſequuti ſunt, eandem illam firmatam vult, & cuſtoditam. Hæc enim dicit Filius Dei, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas, hæc dicit ſanctus & verus: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, Apocal. 2. 18. & 3. v. 1. 7. 11. *Nec dormitat, qui cuſtodit Iſraël.* Pſal. 121. 4. Sed *fidelis eſt Dominus, qui ſtabiliet vos & cuſtodiet à malo*, 2. Theſſ. 3. 3. Quòd igitur fidem quidam amittunt, non in Deo, ſed in ijs culpa hæret, qui cuſtodiri ſe in fide ipſi non patiuntur. Nam Deus, adſpectante noſtro Propheta, cum omni gloria & maieſtate ſua in *Templum* ingreditur, in *Templo & Eccleſia* ſua habitat, in Eccleſia perſeverantes, in fide & ſalute cuſtodit, corroborat, munit, & adverſus omnes Diaboli inſultus, ſalvos & incolumes conſervat: *haud aliter* atq; Paſtor oves ſuas intra ſepta manentes tutas præſtat: erumpentes verò & per invia divagantes, lupo prædam fieri nihil admirationis habet. Ita in fidei firmitate & perſeverantia illi fidelium cuſtodiuntur, qui Eccleſiæ & fidei ſeptis claudi ſeſe & cuſtodiri patiuntur, in ſanctitatis & pietatis nunquam intermiſſo exercitio perſeverantes: qui verò ruptis pietatis aggeribus, per deſerta & vaſtitates mundi, carnis cupiditates & deſideria ſequuntur, quid admirationis habeat, ſi in poteſtatem & laqueos incidant Diaboli? Qua de re Paulus ad Timotheum. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam, quâ repulſâ, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt*, 1. Timoth. 1. verſ. 18. Peccatis nimirùm contra conſcientiam admiſſis, & conſcientia læditur, & fides tanquam naufragio facto amittitur. Quemadmodum igitur vt ad exoptatum portum veniamus, velis remiſq; annitendum eſt, & tantò attentius intentiusque laborandum, quantò procellarum turbines ſunt ſęviores: ita pio & fideli cuivis, omni ſtudio diligentiaque eò eſt elaborandum, vt nihil quicquam in ſe vnquam admittat, quod pietatem lædere, conſcientiam rodere, fidei navem confringere, & ipſum perditionis mari mergere & ſuffocare poſſit. Illa ſunt opera carnis, quæ tum alijs pluribus, tùm maximè verò, Galat. 5. recitantur, quæ, qui facit, inhabitantem Spiritum ſanctum eijcit, fidem amittit, atq; ex fideli & Filio Dei fit infidelis & triſte mancipium Satanæ. Cuius miſeriæ, non Deus, quaſi non ſatis fideliter & paternè excubias ageret, cauſa eſt, ſed, quæ omnis diſciplinæ & cuſtodiæ frænum excutiunt & murum ſalutis funditus evertunt, indomitæ ſecuri hominis cupiditates.

3. Cur non omnes perſeverent?

Simile. De ovibus manentibus intrà ſepta.

Peccatis contra conſcientiam admiſſis, amittitur FIDES.

Quiſquis igitur mala hæc devitare, & in fidei conſtantiâ & firmitate perſeverare voluerit, *primùm* prophanitatem & iniquitates, quæ conſcientiam lædunt, fugiat: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem re-*

Perſeverantia Media. 1. Scelera fugiẽda.

demptionis, Epheſ.4.30. Et Petrus 1.Pet.2.11. *Dilecti obſecro, vt abſtineatis à carnalibus concupiſcentijs, quæ militant adverſus animam.*
II. Exerceri in ſtudio pietatis. *Secundò* exerceat ſeipſum in pietate, & exuſcitet dona, quæ Deus in quemq; fidelium contulit. *Commonefacio te*, ſcribit Paulus ad Timotheum, *vt exuſcites donum Dei, quod in te eſt.*
2. Timoth.1.6. Vbi
Ἀναζωπυρεῖν. Græcus Textus habet verbum ἀναζωπυρεῖν, quod eſt excitare & vivificare, ſicut flatu ſuſcitatur & animatur tenuis favilla ſive igniculus in cineribus latens, eleganti à prunis ſumptâ Metàphorâ, qua dona Dei, vel per Baptiſmum nobis, vel per auditum verbi collata inſtar favillarum ignis eſſe docet, quæ vel ſtudioſo flatu inflammantem ignem ſuſcitari, vel affuſa frigida aut inſtratis cineribus extingui poſſunt. Ita dona Dei & ipſe Spiritus ſanctus, vel fidei pietatisque exercitio, conſervantur & augmentantur, vel iniquitatum ſcelerumque cœno ſuffocantur. Memento igitur, quiſquis Fidem perdere formidas, vt dona Dei, quæ in te ſunt, exuſcites, ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, quod fit audiendo, legendo, meditando verbũ: orando: pœnitentiæ partes quotidie renovando, carnis cupiditatibus repugnando, & Spiritus ſancti dictamini obſequendo.
III. Reſiſtere Diabolo. *Tertiò* ſingulis momentis expeditus ſit in armis, & tota πανοπλία, qua Paulus
Epheſ.6.10. Apoſtolus, militem Chriſtianum diligentiſſimè inſtruxit, ita ſcribens ad Epheſiôs: *Quod ſupereſt fratres mei, ſitis fortes in Domino, & in potentia roboris illius. Induite totam armaturam Dei, vt poſſitis ſtare adverſus inſultus Diaboli. Quoniam non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, &c. Quapropter aſſumite univerſam illam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in tempore malo & omnibus effectis ſtare. State igitur lumbis circumcinctis veritate, & induti Thoracem iuſtitiæ, & calceati pedibus in præparationem Evangelij pacis. Super omnia aſſumpto ſcuto Fidei, quo poſſitis omnia ignita tela nequiſſimi extinguere.* Ad Timotheum ſcribit: *Egregium depoſitum* (τὴν καλὴν παρακαταθήκην) *cuſtodito per Spiritum ſanctum, qui inhabitat in nobis.* Illud autem depoſitum eſt fides, & per fidem omnis Evangelica gratia: hanc cuſtodire iubemur per Spiritum ſanctum. Quia enim opus hoc ſupra vires humanas, & planè divinum eſt, ſicut iam in præcedentibus dictum, ideò fieri docet per Spiritum ſanctum inhabitantem in cordibus noſtris, qui per verbum nos erudit, mentes cognitione, amore & timore Dei illuminat, ab impietatis nequitia revocat, ad pietatis exercitia inflammat, adverſus hoſtiles Sathanæ impetus roborat, & vbique deducit in via veritatis.
IV. Indeſinenter ORARE. *Quartò.* Maximè verò, qui perſeverantiam à Deo impetrare volunt, in precibus perſeverent neceſſe eſt. Hiſce enim & adverſa omnia declinamus, & gratiam Dei, quæ in nobis eſt, confirmamus. *Orate, vt non intretis in tentationem*, Matth.26.41. Luc.22.v.40.46. Addita certa promiſſione exauditionis. *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Iohan.16.23. Quin verò ipſius etiam Servatoris exemplum habemus, qui pro fide & converſione Petri rogans, & exauditus, exemplum quod imitemur: nullum autem quin & noſtræ in eodem Argumento fuſæ preces & ipſæ efficaces futuræ ſint dubium nobis reliquit, Luc.22.32. *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat Fides tua: Tu igitur aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Licet igitur graviſſimè lapſus ſit Petrus, Chriſti tamen *precibus*, vt ad pœnitentiam & fidem converteretur, impetratum eſt. Ipſum hoc etiam Apoſtoli imitati ſunt: Sic enim Paulus ad Corinth. *Gratias ago Deo meo, ſemper pro vobis ſuper gratia Dei, quæ data eſt vobis, &c. Expectantibus revelationem Domini no-*
1. Corinth.1.v.4. &c. *ſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos vſq; in finem irreprehenſibiles, in die adventus*
Philip.1.v.3. *Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et ad Philip.1.v.3.& ſeqq. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri (ſemper in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens) ſuper communione veſtra in Evangelio, à prima die vſq; nunc. Confidens in hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſq; in diem Ieſu Chriſti.* Vbi videmus, Apoſtolum orationes ſuas & deprecationes ad Deum fundere, hâc ſpe & fiduciâ ſuffultum, quòd Deus, bonum opus, quod in Philippenſibus cœpiſſet, in ijſdem ad finem vſque perfecturus eſſet. Eâdem elegantiâ & fiduciâ

Digitized by Google

ciā Petrus Apoſtolus, electos & credentes ad conſtantiam & perſeverantiam erigit & ſolatur omnes, preces pro illis & vota ardentiſſima Deo offerens: dum in hæc verba ſcribit: *Sobrij eſtote, vigilate, quoniam adverſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem devoret. Cui reſiſtite fortes (ſolidi) in fide, ſcientes eaſdem afflictiones, à veſtra, quæ in mundo eſt, fraternitate impleri. Cæterum Deus, omnis gratiæ, qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum afflictos, idem inſtauret vos, fulciat, roboret, ſtabiliat. Ipſi gloria, & imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.* 1. Pet. 5. v. 8. 9. 10. 11. Hanc perſeverantiæ Methodum, Chriſtus & Apoſtoli obſervant, ſuiſque exemplis, quid & nobis omnibusq; fidelibus obſervandum imitandumque ſit, nos edocuerunt. Quæ ſi fecerimus, perſeverantiæ & conſtantiæ, nec periculum, nec dubium vllum ſupereſſe poteſt. Hæc de *victoria, firmitate & certitudine* fidelium, quam in Chriſto præſentem, certam, claram & exploratiſſimam habent.

1. Petr. 5. v. 8. & ſeqq.

III. Vſus. Cognoſcentes gloriam & dignitatem noſtram, piè ſanctéq; vivamus.

1. Templum Dei ne polluamus.

Tertius contemplationis noſtræ vſus eſt, vt pij & fideles, dignitatem, gloriam & maieſtatem noſtram admirando meditantes, dignam eadem converſationem & vitam inſtituamus ac ducamus. 1. Gloria Domini nobiſcum habitat, adeoque nos Domus & Templum Domini ſumus, & habitaculum ſacroſanctæ Trinitatis: Cavendum igitur, ne vel Templum hoc polluamus, vel in conſpectu tanti hoſpitis vllum in nos dedecus admittamus, vel quod periculoſiſſimum eſt, noſtra intemperie aut furoribus, tàm nobilem atque præſtantem hoſpitem vel invitum abigamus. *Sacrilegium* enim *eſt prophanare & polluere rem ſacram.* Quas igitur impietatis ſuæ rationes reddituri ſunt, qui ſanctificata Templa Trinitatis carnalium cupiditatum pollutionibus prophanant? *An neſcitis*, inquit Paulus, *quod corpus veſtrum Templum ſit, inhabitantis in vobis Spiritus ſancti, & non eſtis* (iuris) *veſtri*, 1. Corinth. 6. *Sancti eſtote*, multoties Dominus & vbique populo ſuo, inculcat, *quia & ego ſanctus ſum*, Levit. 11. v. 44. 45. & 19. 2. & 20. 26. & 21. 8. Et repetit Iohannes, 1. Iohan. 3. 3. *Quiſquis ſpem habet* (quod Filius Dei, & olim Deo ſimilis futurus ſit) *ſanctificat ſeipſum, ſicut & ipſe ſanctus eſt.* Dic quæſo: Quis tam proiecti & deſperati pudoris ſit, qui in frequētiſſima concione & congregatione ſanctorum, in præſentia millies millium Angelorum, in conſpectu vultuq; ſacroſanctæ Trinitatis, nefarium ſcelus publicè admittere auſit? Attende! Quiſquis pius & fidelis es, Templum es ſacroſanctæ Trinitatis, à qua Myriades Angelorum (caſtiſſimorum & ſanctiſſimorum Spirituum abeſſe nunquam poſſunt: in horum igitur, Deiq; conſpectu, quomodo quicquam turpitudinis ſceleriſve committas? Hinc illa Domini vox ad Abrahamum: *Ego ſum Dominus omnipotens, ambula* coram me, & *eſto perfectus.* Et illud ſanctitatis exemplar, Henoch: *vixit Henoch cum Deo*, hoc eſt, non mundi pravas impietates, ſed Domini voluntatē & mandata ſequutus eſt, pijs omnibus ad ſanctitatis imitationem ſit commendatiſſimū. Hic enim ſanctiſſimi Dei ſanctus æmulus, hominum turbis ſubtractus, & beato Dei contubernio viuus illatus eſt. *Contra* qui Deum, in ſe, tanquā in Templo ſuo habitantē, peccatis & ſceleribus admittendis indignè habent, eundem & graviter offendunt, & ſumma cum ingratitudine & perditionis detrimento, habitaculo & Templo ſuo eijciunt, quam triſtē Trinitatis emigrationē, nil niſi rerū omnium deplorata miſeria, & æterna damnatio ſubſequi poteſt. *Nolite contriſtare Spiritū S. Dei, quo obſignati eſtis in diem Redemptionis*, Eph. 4. 30. Nolite contriſtare Deū, inhabitantem in vobis, cuius vos Domus & Templum eſtis, quotquot pij & fideles eſtis. Hactenus πῳδ ὦν ſpiritualis ex præſentia Dei in Templo ſuo. Sed dignitatis & gloriæ piorum plura reſtant capita.

1. Cor. 6. 19.

Geneſ. 17. 1.

Geneſ. 5. 22.

2. In λόγῳ Filio Dei (qui CARNEM noſtram in perſonæ unitatem adſumpſit) nobilitati, omnia terrena deſpiciamus.

Secundò igitur, λόγος Filius Dei, ita nobiſcum eſt in Templo, vt carnem de carne noſtra aſſumēdo, eiuſdem nobiſcū naturæ ſit particeps factus, & hinc noſtra caro, vna cum filio Dei perſona facta, omni diuinâ gloriâ & maieſtate donata eſt, eamque ob cauſam ad dextram Dei ſedens, ab Angelis & Archangelis honoratur & adoratur. In eadem etiam Filius Dei venturus eſt, vivos

& mor-

& mortuos iudicaturus. Quæ divina & ineffabilis planè naturæ noſtræ dignitas, omnium rerum humanarum contemptum, & cœleſtis illius ſublimitatis profundam nobis admirationem ingenerare debet. Quid enim nos mortalia miramur? quid terreſtribus inhiamus? quorum natura, iam ſuper omnia terreſtria & cœleſtia exaltata, Filio Dei vnita, & vnionis illius beneficio, omnibus divinitatis divitijs ditata eſt. *Licet enim* λόγος vnicum duntaxat, Mariæ Filium in perſonæ vnitatem & tantæ maieſtatis gloriam aſſumpſerit, quia tamen eiuſdem ille nobiſcum naturæ eſt, in ipſo illo veluti in primitijs, tota natura noſtra nobilitata eſt. Naturam enim humanam, non Angelorum aſſumpſit: quâ re ipſis Angelis ſuperiores ſumus, quod & ipſi ſatis agnoſcunt, & nobis tantâ dignitate propter Chriſtum & in Chriſto præeminentibus, certantibus ſuis ſtudijs libenter famulantur. Quam ob cauſam *adminiſtratorij Spiritus dicuntur, in miniſterium emiſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*, Hebr. 1. verſ. 14. Quàm indignum igitur eſt homine Chriſtiano, qui de tanta dignitate ſuâ, ſine mentis exceſſu vix cogitare quidem poſſit, ad res caducas, viles & turpes, in quibus brutæ pecudes volutantur, præſtantiam ſuam abijcere ſummo cum ſcelere ingratitudinis? *Regiam mentem, regia decet ſuſcipere conſilia & meditationes.* Nos ergò, qui in Chriſto, fratre noſtro, longè ſupra angelicam dignitatem evecti ſumus, abiectis rebus iſtis humilibus, quę dignitatem noſtram obſcurant, de ſpiritualibus, cœleſtibus & Angelicis bonis meditemur: hæc ſola amemus, diligamus, ardeamus, hiſce ſolis ſtudeamus, hiſce delectemur vnicè, donec omnibus terrenæ neceſſitatis vinculis liberati, puri ſimus, quales futuros olim iam in fide ſperamus. Qua de re Paulus: Coloſſ. 3. 1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Quæ porrò ſit illa cœleſtis ſublimitas, ad quam adſpirare, quæ abiecta iſthæc tellus, quam deſpicere & vitare debeamus, mox in ſequentibus Apoſtolus explicat, dicens: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*, εἰδωλολατρεία. *Deponite iram, indignationem, malitiam, maledicentiam turpiloquentiam*, αἰσχρολογίαν. *Nolite mentiri invicem exuentes veterem hominem, & induentes novum, qui renovatur ad agnitionem & imaginem eius, qui condidit illum.*

Coloſſ. 3. 4.

3. Chriſtum caput Sponſum, & Dominum noſtrum honoremus, colamus, timeamus.

Chriſtus ita nobiſcum eſt, vt ſit caput noſtrum & ſponſus noſter, nos verò membra & ſponſa Chriſti. Gratias igitur agamus Chriſto Capiti & Sponſo lectiſſimo, pro honore & beneficijs, quibus ipſo Authore & fonte quotidie fruimur. A Capite vita & virtus omnis nobis communicatur. *De plenitudine eius accipimus omnes gratiam pro gratia*, Iohan. 1. v. 16. *Et qui filium nobis donavit, quomodo cum illo non omnia nobis donaſſet?* Roman. 8. 32. Sponſus autem ita nos diligit, vt & vitam & gloriam nobis omnem impenderit, vnde omnia habemus, quæ ad vitam & felicitatem nobis opus ſunt. Operam demus, vt *corpora noſtra*, quæ Chriſto capite nobilitata ſunt, dignè & honeſtè habeamus, in caput namque redundat, quæ membris infertur ignominia. *Neſcitis*, inquit Paulus, *quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Tollam ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit*, 1. Corinth. 6. 15. Et rurſus: *Vnuſquiſq; veſtrum ſciat vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*, 1. Theſſal. 4. 3. Sponſo autem noſtro accommodemus obſequia noſtra. *Audi filia & vide, inclina aurem tuam: obliviſcere populum tuum & domum patris tui. Et concupiſcat Rex pulcritudinem tuam, quoniam ipſe eſt Dominus tuus* & adorabis eum, Pſalm. 45. 12. Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum: Sponſa diligit, & obſequio ſuo veneratur Sponſum. Si igitur Dominus, Pater & Sponſus noſter Chriſtus eſt, vbi timor, vbi honos, vbi obſequium?

4. In Chriſto divinæ conſortes Naturæ, eam dignitatem ſtudioſè tueamur.

Ita nobiſcum eſt Chriſtus, vt meritorum ſuorum nos participes reddens, divinæ nos reddat conſortes naturæ. Noſtras enim tollens miſerias, & multi-

plices

plices delens iniquitates, ſuâ nos gratiâ, iuſtitiâ, ſanctitate & gloriâ donat. Quibus ornati donis, ex filijs iræ & tenebrarum, filij gratiæ & lucis facti, in Dei conſpectu, divinæ quaſi gloriæ radijs coruſcamus. *Hæc* (inquit Paulus ad Corinthios) *quidam fuiſtis*, peccatores & ſcelerati, *ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine Domini Ieſu, & in Spiritu Dei noſtri.* Summa igitur diligentiâ & ſtudio enitendum, ne dignitate & gloria, qua divina coronati ſumus, per cupiditates & deſideria carnis excidamus, & ex filijs Dei, quod Maximus Optimus clementer prohibeat, filij Belial & divinæ conſortes naturę, Diabolorum conſortes efficiamur. Quo malo in omnibus omnium æternitatum ſeculis, nullum aliud magis miſerum, nullum deploratum magis, inveniri aut excogitari poteſt. Nam fuiſſe quidem peccatorem, ſed per fidem in Chriſtum ablûtum eſſe, ſanctificatum & iuſtificatum eſſe, id beatum eſt: Sed Filium Dei FVISSE, divinæ conſortem FVISSE naturæ, & in Filium atque Naturam Diaboli *degeneraſſe*, id verò miſerum, deploratum & deſperatum eſt. Qui enim Domino adhæret, vnus cum illo Spiritus eſt, qui carnis cupiditates & deſideria ſectans, Diabolo adhæret, vnus Spiritus eſt cum illo, & vnius cum eodem conſors damnationis. *Memor* igitur dignitatis tuæ, ô Homo fidelis, eandem tueri & ornare, per Spiritum S. inhabitantem tibi, nunquam ceſſa: & divinæ conſors naturæ divinam tranſigere huius ævi vitam ſtudeto ſemper.

Impii vnus Spiritus cum Diabolo.

Dignitatem hanc noſtram, mutuò agnoſcentes, mutuò & invicem nos diligamus, amemus, veneremur, ita nobiſcum cogitantes, ecce hic frater tuus, hæc ſoror tua, membrum Chriſti eſt, ſponſa Chriſti eſt, Habitaculum & Templum ſacroſanctæ Trinitatis eſt, quin igitur diligis & honoras, quem Deus tanto honore dignatur, tantas illi tribuens dignitates? Nunquid ſi cum Iacobo, *Machanaim*, hoc eſt, caſtra Angelorum obviam haberes, vel cum Eliſeo caſtrametantes videres in vicino monte, vel cum Paſtoribus Bethlehemiticis videres & audires multitudinem militiæ cœleſtis, cantantes & celebrantes Dominum: nunquid, aio, ſummâ animi reverentiâ & cultu cœleſtes Spiritus revereréris? Ita puto: ſi non ipſa mens tua exceſſum patiatur. Quid igitur, non etiam quemvis pium & fidelem, eodem honore colis? vt quem gratia Salvatoris, ſui ipſius corporis membrum, & ſponſam ſuam eſſe voluerit, ad quam dignitatem, nullus Angelorum neque adſpiravit, nec adſpiraturus eſt vnquam. In quam ſententiam Paulus ita ſcribit: *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt charitate fraterna, vos invicem ex animo proſequamini*, honore invicem prævenientes, Roman. 12. verſ. 1. 10. Neque enim hîc perſonarum reſpectus vllus locum habet. Fæmina ſit an maſculus, pauper an dives, iuvenis vel ſenex. Si fidelis eſt, eo ipſo membrum Chriſti, & habitaculum Spiritus ſancti eſt, quem diligere, amare, venerari & revereri, propter Chriſtum officio & pietate teneris. Eodem pertinent Salvatoris verba: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit*, Matth. 10. verſ. 40. Et illa: *Amen dico vobis, quicquid feciſtis* (ἐφ' ὅσον, quantum vel quatenus) *vni de his fratrib. meis minimis*, mihi *feciſtis*, Matth. 25. 40. Et rurſus: *Amen dico vobis: Quicquid non feciſtis vni de minimis his, nec mihi feciſtis*, Matth. 25. 45. Dic ergò per *fidē & amorem* tuū, quo Chriſtū Salvatorem tuū proſequeris, dic inquam, ſi illum in via obvium, in itinere comitem, ſi domi tuæ hoſpitem haberes, in rebus iucundis ſi gratulantem, in adverſis condolentem, dic quo affectu, quibus oſculis fixis, quibus lacrumis fuſis, quo honore, quâ reverentiâ illum proſequereris? Age ſis, ergò, ſi fidem habes Servatori, ſi veritatem credis Servatorem, quia ipſum oculis tuis conſpicuum non habes, quemcunque fratrem illius, quemcunque pium & fidelem hominem ipſius nomine, & in ipſum vergente cultu & obſequio, honora & venerare, ſemper inſonante auribus tuis hac voce Salvatoris: *Amen dico vobis, quicquid feciſtis vni de fratribus meis minimis, MIHI feciſtis*: MIHI MIHI feciſtis. Et contrà. *Neminem*

5. Fideles mutuæ dignitatis memores, invicem nos diligamus & honoremus.

Machanaim. Geneſ. 32. 2.

Equites ignei. 2. Reg. 6. 17.

Multitudo militiæ cœleſtis. Luc. 2. 13.

Rom. 12. 1.

Matth. 10. 40.

Matth. 25. 40.

Matth. 25. 45.

HONOS LEGATORUM.

Neminem quotidianæ conſuetudinis exempla latere poſſunt, quibus Principis *Fratri*, vel *Legato* etiam non minus honoris & officiorum, ac ipſi præſtatur. Cur igitur in ſolis Salvatoris noſtri fratribus honorandis, adeò negligentes & ſtupidi ſumus, cùm hinc, quàm ex vllis alijs ſtudijs, plus commodi & vtilitatis in obſequentes ſit proventurum? Et ſi vllibi verum eſt, quo honor honorantis eſſe dicitur, hic certè quàm eſt veriſſimum, tàm liberaliter promittente & compenſante Salvatore.

6. Hoſtes Fidelium dignitatem: eorundemq; vindicem & vltorem Deum, exhorreſcant.

Sed ex eodem Argumento, piorum etiam hoſtes & inimici diſciplinam capiant. Nihil enim ipſis dubij eſſe poteſt, niſi ſenſum & intellectum omnem exuerint, Dominum Deum clementem & omnipotentem, qui in ſanctis ſuis habitat, eoſdem eſſe contra ipſorum furores potenter defenſurum; Chriſtum fratres ſuos & membra ſua, adverſus omnes iniurias protecturum, & ſeveriſſimè vindicaturum lædentes: *Nam ſicut oculi pupillam, tutatur ſuos*, Deut.32.10. Pſalm.17.8. Et *qui tangit illos, tangit pupillam oculi.* Zachar.2.8. Putas ergò, omnipotentem oculos læſum, vel occalluiſſe, vel pedes manusque revinctum aut paralyticum, vel cum Poëtæ Polyphemo iam lumine caſſum, vt vel non ſentiat dolores, vel iniurias vlciſci non poſſit. Attende omnipotentem cum Abrahamo omnium fidelium parente, & cum omnibus eiuſdem filijs ita loquentem: *Tu eris benedictio, benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam*, Geneſ.12.3. Et Davidem, qui ita de Domino: *Cum bono bonus eris, & cum viro innocente innocens eris, cum puro purus eris, & cum perverſo eluctaberis*, hoc eſt, virum bonum & integrum ſceleris, fortiter defendes ac tutaberis: Impium verò perſequendo, puniendo & vlciſcendo non citiùs finem facies, quàm totum illum deviceris, everteris, Luc.18. verſ.26.27. Chriſtus Salvator ita loquitur: *Audite, quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faceret vindictam Electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, etiam patientiam habens cum illis* (hoc eſt, certiſſimam vindictam facturus eſt Dominus in Electorum hoſtes, licet patientiam habens, modico tempore pœnas differat. Sed dilatio pœnarum non eſt ablatio) *Dico autem vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Intelligite* igitur *Reges & erudimini, qui iudicatis terram. Oſculamini filium, oſculamini fratres, ne quando iraſcatur, & pereatis in via*, Pſalm.2.10. Non enim permittit Dominus opprimi ſuos, ſed increpat pro eis Reges: *Nolite tangere Chriſtos meos, & Prophetis meis nolite inferre malum*, 1.Paral.16. v.21.22. Et cœlitùs perſequutorem inclamans Salvator, hiſce verbis eſt vſus: *Saule, Saule, quid ME perſequeris: durum tibi contra ſtimulum calcitrare.* Actor.9.v.4.5. Ad ſe referens, quiquid fidelibus inferebatur iniuriarum.

Deut.32.10. *Pſalm.17.8.* *Zachar.2.8.* *Geneſ.12.3.* *Luc.18.v.6.&c* *Pſalm.2.10.* *1.Paral.16.v.21.* *Act.9.v.4.5.*

DE OMNIPRÆSENTIA CHRISTI.

Hactenus de Eccleſiæ & fidelium gloria, quam ex *præſentia Domini* omnium nobiliſſimam & præſtantiſſimam poſſident. Sed antea, quàm ad alia meditationum membra tranſeamus, illa quoque delibanda hic venit, in Scholis Theologicis valde nobilis & maximi momenti quæſtio, quam Satan ex virulento veritatis odio, conficto novo *vbiquitatis* nomine deformare ſolet. Quia namque audimus, Dominum, adeoq; Chriſtum Salvatorem noſtrum, in Eccleſia ſua præſentem eſſe. Quæritur: vtrum hæc præſentia, ſolius τοῦ λόγου; an verò totius Chriſti qui *vtraq; natura* eſt, ſit definienda *præſentia*? Deinde: Si Chriſtus in Eccleſia præſens, annon etiam extra Eccleſiam? Sed illâ ex Scripturarum fundamentis definitâ, hæc poſterior, ampliori explicatione nihil opus habebit.

Calviniani dicũt, λόγον in infinitis locis eſſe EXTRA aſſumptam naturam humanam.

De *priori quæſtione* ita ſtatuunt Calviniani Doctores, Chriſti divinam quidem naturam, ſeu λόγον, vbique eſſe, humanam autem naturam eſſe in vnico certo cœli loco. Inde conſequi, quod λόγος *in vnico illo loco* ſit *in* humana natura, in alijs autem infinitis & omnibus locis, idem λόγος ſit *extra* humanam naturam.

Ita namque ſcribit *Ieronymus Zanchius* de natura Dei lib.2.cap.6. *Eſt divina*

(natura)

Digitized by Google

(natura) *tota IN humana: & TOTA etiam EXTRA humanam.* Et paulò poſt: *Verum eſt, alicubi, imò infinitis in locis eſſe λόγον, in quibus non ſit humana natura. Quid ita? Quia totus etiam eſt EXTRA humanam naturam: latius enim extenditur ille, quàm hæc.*

Zacharias Vrſinus, in Commentarijs ſuis Catecheticis, p. 99. ita quærit: *An verò iſto pacto, duæ naturæ in Chriſto non divelluntur, ſi non ſit natura humana, ubicunq; eſt divina?* Minimè: *Nam cum divinitas comprehendi non queat, & omni loco præſens ſit: neceſſariò conſequitur, eſſe eam quidem EXTRA naturam humanam, quam aſſumpſit, ſed nihilominus tamen eſſe in eadem, eiq; perſonaliter unitam permanere.* Hæc ille.

Similitudines Calviniſtarum.

Hinc varijs vtuntur *ſimilitudinibus*, quibus demonſtrare nituntur, humanam Chriſti naturam in vno quidem loco manentem, nihilominus cum λόγῳ Filio Dei, qui vbiq; eſt, perſonaliter vnitam eſſe. Quemadmodum, inquiunt, *Antvuerpia* Oceano adiacet, qui totum ambit orbem: Aut *gemma* annulo incluſa eſt, qui digitum cingit, aut *orbi* ſuo planeta infixus hæret, nequaquam tamen Antverpia, cum Oceano, gemma cum annulo, ſtella cum orbe, qui multò amplioris eſt ambitus, extenditur.

De Energetica præſentia.

Quando verò de præſentiâ quadam energeticâ Chriſti hominis commentari velle videri volunt non aliam illi in terris præſentiam concedunt, quàm vel mens humana, in corpore manens, cogitationibus per omnes orbis partes peregrinari poteſt, aut Sol ſive Luna, aut alia quævis ſtella in cœlo manens, radijs ſuis terram illuminat. Verba *Zvuingly* contra Lutheri Confeſſionem ita habent: *Imperatoris mens & animus Mediolani peregrinatur, cum ipſe interim corpore ſuo agat in Hiſpanijs: nec tamen idcirco Imperatorem hominem non eſſe dicemus. Solis Corpus in circulo ſuo cœleſti volvitur: nec vllus ſolaris radius vel fulgor in vniverſo terrarum orbe eſt, qui non ex ipſo ſole originem ducat, imò ipſe quoque iuxta vulgi conſuetudinem Solis nomen plerunq; accipit: Interim tamen ipſum Solis Corpus, nequaquam in terris eſt. Atqui hâc ratione fieri poteſt, vt Solis virtus, fulgor & radius vbique terrarum diffundatur, cum interim Solis corpus non vbique, ſed in vno duntaxat cœli loco exiſtat. Simili ratione divina quoque eſſentia vbique eſt, & vbicunq; dicere poſſumus, En hîc Deus eſt, ibidem illud etiam dicere licebit En hic DEVS eſt, qui homo eſt.* Hæc ibi. Ex quibus apparet, *Zvuinglium* Energeticam præſentiam, nullam aliam Chriſto Homini in terris concedere, quàm eſt vel *peregrinatio mentis* humanæ, vel *influentia lucis* & virtutis corporum cœleſtium in res terrenas.

Zvuingl. Tom. 2. fol. 401. b.

Chriſtum Hominem vbiq; præſentem eſſe, Rés impoſſibilis eſt Calvinianis.

Et ne verbis in hoc Argumento vlbis opus ſit, Zvvingliani & Calviniani Doctores, Corpus Chriſti ſimul & ſemel in duobus aut pluribus locis, nedum vbique præſens eſſe poſſe, rem ſimpliciter impoſſibilem eſſe aperto ore pronunciant. Sic enim *Zvuinglius* dicto loco: fol. 469. b. *Adhæc*, ait, *tam impoſſibile eſſe fatemur, vt humana natura vbiq; locorum ſit ſubſtantialiter, quàm impoſſibile eſt plures eſſe DEOS. Hæc enim ſolius Dei vera & interna proprietas eſt, quod ſolus ipſe vbiq; locorum ſit. Et ſi creatura vbiq; eſſet, iam Deus ipſe illa eſſet, & proinde dij quoq; eſſent plures.*

Idem *Zvuinglius* in Sermone primo Bernæ habito Tom. 2. operum, fol. 528. a. *Porro nec in hominem, nec in aliquam creaturarum illud cadere poteſt, vt vno & eodem temporis momento, vbique locorum ſit: quare cum Chriſti Humanitas creatura ſit, fieri nequit, vt illa multis in locis ſimul aut vbiq; ſit.*

In Petri *Martyris* Dialogo de duabus naturis Chriſti, Pantachus ita loquitur: *Ad illud me refero, quod paulo ante dicebam. Quod naturâ ſua Corpori Chriſti non conceditur, illi tribuendum eſſe* vi & poteſtate *divina.* Reſpondet Orothetes. *Ego vero econtra tibi affirmo,* NVLLA VI *fieri poſſe, vt res creata ſit vbique.*

Huic conſentit etiam *Theodorus Beza*, in defenſione contra Selneccerum, Volum. 2. Theologic. tractationum, pag. 445. *Concludimus ergo, Chriſtum non*

modo nolle, *verùm etiam non* poſſe velle *corpus illud ſuum verum & περιγραπτὸν multis ſimul in locis ſiſtere.*

Fortunatus Crellius in Iſagoge ſuâ Logicâ, pag. 464. & 465. ita rugit: *Iſtæ duæ* (Enunciationes) *Corpus Chriſti adſpectabile eſt: Corpus Chriſti adſpectabile non eſt: ſine fine pugnant: quas* DEVS *neq; modo huius, neq; modo alterius ſeculi, neq; naturali, neq; perſonali* VERAS *vnquam* faciet.

Bartholomæus Keckermannus in Syſtemate Logico pag. 42. *Vbiquitatem* humanæ carnis, vocat *Ens fictum, impoſſibile, quod ne* DEVS *quidem producere poſſit.*

Hæc eſt mens & ſententia, vel opinio potius Calvinianorum, de præſentiâ Chriſti hominis, in terrâ, quam præſentiam, illi non tantùm negant, Chriſtum hominem in certum cœli locum relegantes, ſed quòd vno momento, in pluribus, adeoq; in omnibus locis præſens adeſſe poſſit, id verò rem ipſi etiam *Omnipotentiæ* divinæ factu productuque impoſſibilem eſſe blaſphemant: ſicuti ex citatis ipſorum verbis, ſole meridiano clariùs patet.

NOS totum Chriſtum docemus omnipræſentem.

Nos *econtrà* ex viſione noſtrâ Propheticâ, quâ Ezechiel noſter, Dominum Deum noſtrum, hoc eſt, totam Trinitatem (vnde Chriſti humanitas, quam λόγος ſecunda perſona Trinitatis, in perſonæ vnitatem aſſumpſit, non poteſt excludi) in Templum ſuum adventare conſpexit, & ex conſenſu totius ſcripturæ ſacræ, credimus, docemus & profitemur, Chriſtum non tantùm ſecundum divinitatem, qua ab æterno vbiq; eſt, ſed iam poſt incarnationem etiam ſecundum aſſumptam humanitatem, nobiſcum eſſe, hoc eſt, totum Chriſtum, qui non tantùm Deus, ſed etiam homo eſt, ſeu *vtramque Chriſti naturam*, divinitatem & perſonaliter vnitam humanitatem nobiſcum eſſe: Chriſtus enim nihil aliud eſt, quàm ambæ perſonaliter vnitæ naturæ.

I. *Ex myſterio incarnationis & vnionis perſonalis.*

Hanc Confeſſionem noſtram, de omnipræſentiâ Chriſti Salvatoris, probamus primùm *ex myſterio incarnationis* & vnionis perſonalis. Nam verbum caro factum eſt. λόγος σὰρξ ἐγένετο, Iohan. 1. 14. hoc eſt, λόγος Filius Dei in perſonæ ſuæ vnitatem, hominem ex Maria Virgine aſſumpſit, ita quidem, vt perſona τοῦ λόγου perſonaverit aſſumptam carnem, quæ per ſe nunquam fuit, neque futura eſt vnquam ſingularis perſona: ſed ipſa hypoſtaſis Dei verbi facta eſt carni hypoſtaſis, vt Damaſcenus loquitur. *Primitias enim noſtræ maſſæ aſſumpſit, non quæ ſecundum ſeipſam ſubſiſteret, & individuum prius eſſet, & ſic ab ipſo aſſumpta, ſed quæ in eius hypoſtaſi ſubſiſteret. Nam ipſa hypoſtaſis Dei verbi facta eſt carni hypoſtaſis.*

Damaſcenus de orthodoxa fid. lib. 3. cap. 11.

Græca Damaſceni ita habent: Ἀπαρχὴν γὰρ ἀνέλαβε τοῦ ἡμετέρου φυράματος οὐ καθ' ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν καὶ ἄτομον χρηματίσασαν πρότερον, καὶ οὕτως ὑπ' αὐτοῦ προσληφθεῖσαν, ἀλλ' ἐν τῇ αὐτοῦ ὑποστάσει ὑπάρξασαν. αὐτὴ γὰρ ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ λόγου ἐγένετο τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. Damaſcenus de orthodox. fid. libr. 3. cap. 11. Et hac ratione, quia Deus λόγος in perſonæ ſuæ vnitatem adſumpſit & intimè adunivit hominem ex Maria virgine, ideò non ſunt duo Filij, alter Dei, alter hominis, ſed vnicus Filius, Dei & hominis, Angelo ſic pronunciante: *Quod NASCETVR ſanctum, Filius Dei vocabitur.* Secundum hoc igitur, vt ibidem Damaſcenus loquitur, *verbum caro factum eſt inconvertibiliter ſcilicet, & caro verbum, intranſmutabiliter, & Deus homo, Deus enim verbum, & homo Deus, propter vnionem ſecundum hypoſtaſin.* Hoc enim eſt, de duarum naturarum in Chriſto vnione perſonali, quæ omnium intima, arctiſſima, pleniſſima, perfectiſſima, & indiſſolubilis eſt.

Luc. 1. 35.

Vnio perſonalis non facta eſt ſecundum partes.

Inde iam amplius intelligitur, iſtam vnionem non factam eſſe ſecundum partes. Siquidem Deus λόγος aſſumens hominem, partem extra partem non habet, ſed Spiritus exiſtens (Spiritus enim eſt Deus, Ioh. 4. 24.) eſt ὅλως ὅλον in, nullas partes dividuum. Homo igitur aſſumptus, & perſonaliter vnitus, non eſt vnitus cum *parte aliqua* λόγου, quam nullam habet, vt dictum eſt, ſed cum toto λόγῳ. Neq; pars verbi caro facta eſt, ſed VERBVM (quod impartibile eſt) caro factum eſt. Et homo adſumptus in Deum.

Præterea

Digitized by Google

Præterea ſicuti λόγος, Deus & Spiritus, dividuus non eſt, ita neque localis eſt, ſed IN SEIPSO vbique eſt TOTVS, vt Auguſtinus ad Dardanum ſcribit: Homo igitur aſſumptus, qui per ſe nunquam fuit individuum ſive perſona, aſſumptus eſt non in locum, ſed in λόγον illocalem, cui illocali perſonaliter vbiq; vnitus eſt.

Neq. LOCALITER.
Auguſtinus Epiſtol. 57.

Adhæc, vnio illa perſonalis, ſine naturarum & earundum proprietatum vera & reali communicatione neque facta eſt, nec fingi poteſt, ſed λόγος in Hypoſtaſεως vnitatem hominem aſſumendo, omnes divinæ ſuæ naturæ divitias atque Theſauros, quos ipſe ex natura habet, homini aſſumpto communicavit & donavit ex gratia. Nam Hypoſtaſin ſive perſonam ſuam communicando (qua ſine communicatione, hic homo nec fuit nec erit) omnem etiam gloriam & maieſtatem ſuam divinam illi communicavit, vtpote quæ ab illa realiter non differt. Aut igitur omnem divinam gloriam & maieſtatem, homini aſſumpto communicatam eſſe oportet, aut ipſa quoq; perſona τοῦ λόγου, homini aſſumpto communicata non eſt. Hoc eſt, aut donata eſt divina gloria aſſumpto homini, aut in perſonæ vnitatem τοῦ λόγου non eſt aſſumptus.

Vnio perſonalis: ſine naturarum & proprietatum communicatione ne FINGI quidem poteſt.

Perpetuum igitur, immotum & æternum Axioma Theologicum in hoc Myſterio hoc habeamus: quòd *Negata communicatione Idiomatum, ipſa perſonalis vnio negata ſit: adeoq́ communicatione Idiomatum negata, totus Chriſtus ſit exciſus:* Chriſtus enim nihil aliud eſt, quàm duæ (divina & humana) perſonaliter vnitæ naturæ.

AXIOMA Theologicum.

Sed vt hoc *Axioma* clariùs luceat, & Calviniani Doctores & Ieſuitæ minus habeant, quod agganire poſſint, communicatio naturarum in Chriſto, hoc loco preſſius atq; diligentius conſideranda eſt, quam demonſtratam, Idiomatum communicatio tantò dilucidius & firmius eſt conſequutura. In confeſſo igitur omnium eſt, duas in Chriſto eſſe naturas: *Divinam* τοῦ λόγου, ſeu λόγον aſſumentem (nam φύσιν τοῦ λόγου λέγοντες, αὐτὸν τὸν λόγον σημαίνομεν, vti Damaſcenus loquitur) & *Humanam*, in temporis plenitudine ex Maria Virgine aſſumptam. Vnde *prima* iam *quæſtio* oritur, vtrum aliqua inter has duas perſonaliter vnitas naturas, vera & realis ſit *communicatio*. Ad quam quæſtionem ex myſterio vnionis perſonalis, & fundamentis ſcripturarum clarè & dilucidè *reſpondemus*, inter duas illas in Chriſto perſonaliter vnitas naturas, *longè omnium maximam, intimam, pleniſſimam & perfectiſſimam eſſe communionem*, adeò quidem, vt in tota rerum vniverſitate, nullum ſimilis plenitudinis aut perfectionis exemplum reperire liceat: Nam hoc vnicum & ſolum novum eſt ſub ſole: hoc Myſterium eſt μονότροπον καὶ ἐξαίρετον. Quænam igitur eſt illa communicatio naturarum? Eſt, inquam illa nova & inaudita, quòd λόγος Filius Dei ſuam ipſius ὑπόστασιν communicavit naturæ aſſumptæ. Hæc enim nullam propriam, in ſe, & per ſe, hypoſtaſin habet, ſed in Hypoſtaſi τοῦ λόγου, naturæ aſſumentis *perſonatur*: Hypoſtaſis enim τοῦ λόγου, ipſi carni facta eſt Hypoſtaſis. Adeoque τοῦ λόγου ὑπόστασις, quæ ante incarnationem *ſimplex* fuit, in ſuæ vnitatem naturam alteram aſſumens, ſua ipſius communicatione, *compoſita quaſi* facta eſt.

I. DE COMMVNICATIONE NATVRARVM in Chriſto.
Vtrùm inter duas Chriſti naturas ſit COMMVNIO?
1. Affirmatur.
2. Qualis illa ſit, explicatur.

Vnde *primùm*, ſine omni contradictione intelligitur, vnionem perſonalem, non eſſe nudam ſine communicatione, naturarum vnionem, ſive coniunctionem. Niſi enim λόγος, natura aſſumens, ſuam hypoſtaſin, noſtræ aſſumptæ communicaſſet, ita vt hæc in naturæ aſſumentis communicatâ hypoſtaſi perſonata ſubſiſteret, alterutrum ſequeretur, naturam humanam vel propriam habere perſonam, quod eſt cum Neſtorio, perſonæ vnitatem dividere, & alium Filium Dei, alium Filium hominis facere vel eandem omninò non ſubſiſtere. Nam propria perſonalitate non ſubſiſtit, ergò niſi à λόγῳ communicata perſonatio concedatur, omninò non ſubſiſtit, quod eſt Chriſtum radi-

Vnio perſonalis non eſt nuda coniunctio.

Digitized by Google

In Calviniſmo præſentiſſimum periculum Chriſtianiſmi.

citùs exſcindere. Reſtat igitur, vnionem perſonalem non eſſe nudam duntaxat & ſimplicem naturarum vnionem, ſed mutuam earundem, & intimam, & ſine alio in totâ rerum vniverſitate exemplo, pleniſſimam & perfectiſſimam naturarum communicationem. *Id quod* in limine huius Myſterij demonſtrandum fuit. Atque hoc contra hodiernos Neſtorios, Doctores Calvinianos, perpetuò vrgendum eſt. Quamdiu enim vnionem perſonalem ſine naturarum communicatione factam eſſe nugantur, adeoq; communicationem nihil aliud eſſe, quàm vnionem, citra vllam aliam naturarum communicationem, id quod vno ore, publicè & privatim, faciunt omnes; tàm diu ſacroſanctum & adorandum vnionis perſonalis Myſterium Neſtorianâ impietate ſolvunt, & intolerabili crudelitate, mundo ſurripiunt SALVATOREM. Hic enim Aheneus, & omnibus Calvinianorum caſtris inſuperabilis murus eſt: Si λόγος aſſumens natura, humanæ naturæ aſſumptæ, ſuam hypoſtaſin non communicavit: ſicuti Calviniani, duarum in Chriſto naturarum vnionem, citra vllam aliam, tàm naturarum, quàm earundem proprietatum communicationem factam eſſe fingunt: Ergò aſſumpta humana natura vel propria perſonalitate ſubſiſtit, vel omninò non ſubſiſtit. Quas abſurditatum Charybdes non citiùs evitabunt Calviniani, quàm Neſtorianum dogma ſuum, de negatâ naturarum communicatione alto mari demerſerint. *Hoc vnum eſt.*

II. DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

Sequitur *alterum myſterium.* Poſteaquam enim naturarum communicatio iam demonſtrata eſt, eandem proprietatum quoque communicatio ſponte ſua ſubſequitur. Nam naturam τοῦ λόγου, aſſumptæ humanitati perſonaliter communicari, ſine tamen Idiomatum communicatione, id vel fingere impoſſibile eſt: cùm λόγος & proprietates λόγου realiter non differant. Cui igitur ſe λόγος perſonaliter communicavit, eidem omnes quoq; proprietates ſuas idem communicavit.

NB. Naturarum & proprietatum earundem communicatio, & negatio, mutuò ſe ponunt & tollunt.

Naturarum enim & proprietatum earundem, καθ᾽ ὑπόστασιν communicatio, & eiuſdem negatio ſeſe mutuò & ſubſequuntur & tollunt: Hoc eſt, qui perſonalem naturarum communicationem concedit (quam omninò concedendam & ſtatuendam eſſe ex præcedenti demonſtratione irrefragabiliter conſtat) eum proprietatum quoque communicationem concedere neceſſe eſt: Et hanc qui negat, eundem naturarum quoque communicationem, & per conſequens, ipſam etiam vnionem perſonalem negare neceſſe eſt. *Eodem* igitur res redit, ſive haturarum, ſive proprietatum communicationem neges. Vtrumque cùm faciant Calviniani, ex vtroque quòd myſterium vnionis perſonalis convellant, adeoque Chriſti perſonam diſſolvant & annihilent, omnibus Chriſti amatoribus *dilucidiſſimè* patet.

Ne quicquam tamen præter meritum affingere illis videamur, vnicum & alterum Teſtimonium, ex illorum ſcriptis citatum, hoc loco ſufficiat.

Calvinianis communicatio nihil aliud eſt, quàm VNIO.

Theodor. Beza, ad Acta Colloquij Mompelgartenſis, Reſp. 1. Antitheſ. 8. & 9. *Itaque communicationem realem, id eſt,* vnionem *naturarum admittimus, in quâ manent ſingulæ naturæ per ſe, etiam vnione ſuis proprietatibus diſtinctæ, CITRA VLLAM ALIAM COMMVNICATIONEM.* In quibus Bezæ verbis, id quoque, quod omnibus Calvinianis ſolenne, eſt obſervandum venit, quòd videlicet communicationis voce, magno quidem cum apparatu vtuntur, nihil autem aliud, quàm VNIONEM, CITRA VLLAM ALIAM COMMVNICATIONEM intelligunt. Sic enim & alij, atque cum primis etiam *Amandus Polanus*, qui in Diſputatione ſua de vnione perſonali Theſ. 1. ita ſtatuit: *Vnio perſonalis duarum naturarum in Chriſto à ſanctis Patribus* (etiam) κοινωνία, *communicatio appellatur, adverſus Paulum Samoſatenum, qui contendebat*, τὰς δύο φύσεις πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι, hoc eſt, *naturas omni modo incommunicabiles, id eſt, INVNIBILES (Sic enim*

intelligi

Digitized by Google

intelligi oportet) eſſe. Hæc Polanus, quo cum omnes Calviniani conſentiunt, per vocabulum communicationis, nihil aliud, quam naturarum vnitionem intelligendam eſſe: Incommunicabiles, id eſt, INVNIBILES, ſic enim intelligi oportet, ait Polanus. Atqui per hoc, omnes Calvinianos, Samoſatenianos eſſe, apertè conſtat. Ille enim τὰς δύο φύσεις πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι contendebat. Sed idem planè omnes Calviniani quoque contendunt. Ergò.

Calviniani Samoſateniani.

Nam *Beza* citato loco pag. 121. amplius ita contendit: *Provoco ad meæ Antitheſeωs contextum, vbi nullam talem ſubdolam interpretationem invenies, Chriſtiane Lector, ſed hæc duo invenies, NOS EANDEM PROPRIETATVM, quam ipſarum NATVRARVM* κοινωνίαν *realem, id eſt, VNITIONEM, non autem VLLAM ALIAM admittere.* Clara hæc ſunt & perſpicua Bezæ verba, quòd Calviniani Doctores, & proprietatum & naturarum in Chriſto *eandem* planè rationem habeant: & quam proprietatum, eandem etiam naturarum concedant communicationem, hoc eſt, NVLLAM. Licet enim κοινωνίας vocabulo vtantur, per illud tamen, vt hoc loco BEZA denuò repetit, VNITIONEM, nec VLLAM ALIAM communicationem intelligunt.

Calviniani VNITIONEM, nec VLLAM aliam communicationem, ſeu naturarum ſeu proprietatum earundem intelligunt.

Idem ibidem, pag. 179. *Quod centies iam inculcavi iterùm inculco, omnium Orthodoxorum Patrum conſenſu, & ratione ipſa, & veritatis ipſius teſtimonio fretus, quum NATVRAE, & ESSENTIALES earum tùm PROPRIETATES, tùm voluntates, tùm Actiones* inſeparabiliter *cohæreant, NON ALITER illas poſſe, quàm vna eademq́ vnitione hypoſtatica COMMVNICARI, id eſt, VNIRI.*

Hieronym. Zanch. de Natur. Dei lib. 2. cap. 1. Theſ. 3. *Natura Dei, hoc eſt, Eſſentiales naturalesq́ Dei proprietates ſeu attributa, nulla rei creatæ COMMVNICARI poſſunt.* Hæc ille. Nihil autem τῷ λόγῳ Filio Dei, tàm naturale atq; eſſentiale eſt, quàm ſua hypoſtaſis, & quæ ab eadem ſeparari non poſſunt, naturales proprietates. Ergò ſecundum hunc etiam, hypoſtaſis τοῦ λόγου, carni aſſumptæ, quæ omnium Confeſſione creatura eſt, communicari non potuit.

NB. Secundum Calvinianos ὑπόστασις τοῦ λόγου carni aſſumptæ non potuit communicari.

Ne tamen privatorum tantùm Teſtimonijs agere videamur, agite illud conſideremus, quod Calviniana Gens in publica ſua confeſſione, libro nimirùm cui titulus eſt *Orthodoxus Conſenſus*, publicè poſuerunt. Ibi namque pag. 123. ita confitentur. *Cùm itaque proprietates, in hac earum* κοινωνίᾳ *& communicatione, à naturis* ſeparari *planè non poſſint, NVLLA AVTEM NATVRARVM INTER SE COMMVNICATIO, ſed vtriusq́ tamen in vna hypoſtaſi* κοινωνία *& coniunctio ſit: neq́ etiam VLLA PROPRIETATVM in naturis COMVNICATIO ESSE POTEST.* Sic ibi:

Confeſſio publica Calvinianorum NVLLAM ESSE NATVRARVM COMMVNICATIONEM.

Hæc plana eſt, dilucida & perſpicua Calvinianorum confeſſio, NVLLAM eſſe neq; NATVRARVM in Chriſto, neq; naturalium PROPRIETATVM in illis COMMVNICATIONEM. Vnde manifeſtum eſt, ad hæc Calviniana dogmata de vnione perſonali, & negatam communicationem idiomatum, omnia iſthæc abſurda conſequi, de quibus paulò antè tractavimus. Convelli nimirùm & ſolvi vnionem hypoſtaticam, adeoq; *Chriſtum totum* annihilari: quo cum & omnis ſimul omnium hominum ſalus, & TOTVS Chriſtianiſmus in nihilum redigitur. Quo ex vngue qui Leonem noviſſe noluerit, propria certè is culpa ſua cæcutiverit.

Periculum ſub Calviniſmo latens.

Iam ad Argumentum & quæſtionem noſtram propoſitam propius accedimus, vtrum videlicet Chriſtus in duabus naturis conſtans, tantum ſecundum divinam naturam, an verò etiam ſecundũ humanam, hoc eſt, vtrum λόγος tantum, an verò etiam aſſumpta humana natura nobis ſit præſens. Quorum hoc ex prædemonſtratis, firmiter omninò & irrefutabiliter concluditur.

I. DEMONSTRATIO Chriſtum, ſecundum vtramq́ naturam omnipræſentem eſſe ex myſterio vnionis.

Quia enim λόγος, ſeu natura aſſumens, *Spiritus eſt*, nec partem extra partem habet, ideò aſſumptá natura, non in partem λόγου (quam nullam habet) ſed in totum λόγον aſſumpta eſt: hoc eſt, non pars aliqua λόγου, ſed totus λόγος eſt incarnatus.

1. Quia TOTVS λόγος eſt incarnatus, non PARS λόγου.

carnatus. Nam totam ſuam ὑπόστασιν aſſumptæ carni communicavit. Vnde ſequitur, nullibi locorum ne fingi quidem poſſe λόγον, quin perſonaliter vnitam carnem vbique ſecum habeat. Quomodo enim non præſentem & intimè vnitam haberet, cui ſuam ipſius propriam ὑπόστασιν communicavit: λόγος σὰρξ ἐγένετο, hoc eſt, λόγου ὑπόστασις facta eſt carni hypoſtaſis. Si autem alicubi monſtrari poſſet λόγος, vbi non eſſet perſonaliter vnita caro, alterutrum ſequeretur, vel λόγον per partes eſſe diuidium, cuius vna pars incarnata, reliquæ omnes non incarnatæ eſſent. Nam incarnatum eſſe nihil aliud eſt, quàm perſonaliter vnitum eſſe: vel ſequeretur eundem ipſum λόγον, qui nullas partes habet & incarnatum eſſe, & non eſſe incarnatum. Nam vbi cum carne perſonaliter vnitus eſſet, ibi incarnatus eſſet, vbi non eſſet vnitus, neque eſſet incarnatus. Quod & contradictionem implicat, & toti ſcripturæ ſacræ adverſum eſt. Nam quod dictum eſt, Verbum caro factum eſt, hoc eſt, Filius Dei factus eſt homo, in perſonæ vnitatem naturam humanam aſſumendo, hoc, inquam, myſterium de λόγῳ enunciatum vbique verum eſt, ſine omni locorum cœleſtium aut terreſtrium diſcrimine. Vbicunque enim credis λόγον eſſe, ibidem eundem illum incarnatum eſſe, hoc eſt, in ſuæ ὑποστάσεως vnitate aſſumptam habere carnem credendum eſt. Facta namque vnione perſonali, vt NVNQVAM, ita NVSQVAM & NVLLIBI illa amplius diſſolvitur.

Abſurda contraria opinionis.

2. Quia vnio perſonalis facta eſt ***INDISTANTER:***

Quamobcauſam ſyncera antiquitas & probata Eccleſiæ Concilia, vnionem perſonalem duarum in Chriſto naturarum, ita factam eſſe confeſſi ſunt, vt nullis locorum intervallis vnquam ſeparentur aut ſegregentur, ſed ſemper & vbiq;, indiſtanter, inſeperabiliter & indiviſè vnitæ manerent: ἀχωρίστως nimirum, ἀδιαιρέτως & ἀδιαστάτως.

CANON Concilii Chalcedonenſis.

Sic enim habet Concilium Chalcedonenſe, mihi Tomo 1. Concil. pag. 884. 885. *Sequentes ſanctos Patres, vnum & ipſum confiteri Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, perfectum ipſum in Deitate, & perfectum ipſum in humanitate, Deum verè & verè hominem, &c.* Et mox: *Vnum & ipſum Ieſum Chriſtum Dominum vnigenitum, in duabus naturis, inconfuſibiliter, inconvertibiliter, indiviſibiliter, inſeperabiliter cognoſcendum,* ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως.

Damaſcenus.

Idem planè habet *Damaſcenus* de Orthodoxa Fide lib. 3. cap. 3. circa medium: *Ex duabus perfectis naturis, divina & humana, dicimus vnionem factam eſſe, non ſecundum maſſam, aut confuſionem, aut mixtionem, &c. Sed ſecundum compoſitionem, id eſt, ſecundum Hypoſtaſin, incõvertibiliter, inconfuſè, inalternatè, indiviſe & indiſtanter. Græcè:* οὐ κατὰ φυρμὸν, ἢ σύγχυσιν, ἢ σύγκρασιν, ἢ ἀνάκρασιν, &c. ἀλλὰ κατὰ σύνθεσιν, ἤγουν καθ' ὑπόστασιν, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀδιαστάτως.

Quoniam igitur ex myſterio vnionis perſonalis patet, humanam Chriſti naturam in ὑπόστασιν τοῦ λόγου, qui individuus & impartibilis Spiritus eſt, intimâ & vnitiſſimâ (vt ita loquar) & indiſſolubili vnione extra omnem localitatem, inſeparabiliter & indiſtanter vnitam eſſe: ideò irrefragabiliter ſequitur, *vbicunque* λόγος *eſt, ibidem etiam eſſe, perſonaliter vnitam humanitatem.* Quia ὑπόστασις τοῦ λόγου in quam natura humana aſſumpta eſt, vnica eſt, individua eſt, neque per locorum intervalla extenſiva, ſed in SE vbique TOTA. Quiſquis igitur dixerit, alicubi eſſe λόγον, vbi natura humana non ſit, vel quod idem eſt, quiſquis dixerit, λόγον vno in loco eſſe *in* aſſumptâ humanâ naturâ, in reliquis omnibus locis eſſe *extra* humanam naturam, id quod cum Ieſuitis, omnes Calviniani faciunt, (vtpote verba illorum in ſuperioribus citata ſunt) illi non tantùm de myſterio vnionis perſonalis, nihil quicquam intelligunt, ſed perſonalem vnionem ſolvunt & Chriſtum evacuant.

Porrò

Digitized by Google

Porrò cùm totum hoc myſterium *Lutherus* p.m. & elegantiſſimis verbis explicuerit, & rationibus ſimul irrefutabilibus confirmarit, pium & vtile eſt, vt meditationes illas, cum noſtris hiſce Propheticis, repetendo & applaudendo coniungamus. Sic autem habet ille in Confeſſione ſua de Cœna Domini. Tom. 3. Ienenſi fol. 458. a. b.

Elegans Lutheri locus de vnione perſonali, & conſequenti maieſtati aſſumptæ humanitatis.

Poſteaquam in præcedentibus triplicem alicubi Eſſendi modum explicuiſſet, quorum *Primus* localis eſt & circumſcriptivus; quo omnia naturalia corpora in vno & certo ſuo loco ſunt. *Secundus* modus eſt definitivus; Angelis & glorificatorum corporibus conveniens, qui ſine phyſica localitate alicubi ſunt. *Tertius* eſt repletivus & planè divinus, SOLI DEO congruens, qui ſine diffuſione in cœlo & in terra & vbique in ſeipſo totus eſt. Hiſce præmiſſis & copioſiùs explicatis, tandem hæc ſubijcit Lutherus:

Atque vt ad propoſitum meum accedam, quia ſecundum fidem noſtram, Chriſtus verus Deus & homo eſt, & duæ naturæ vna perſona, poteſt ſanè modo locali, & circumſcriptivo ſe videndum exhibere, vbicunque vult, ſicuti poſt reſurrectionem fecit, & facturus eſt die vltimo. Sed præter hunc modum, etiam altero definitivo vti poteſt, ſicuti ex hiſtoria Evangelica, de ſepulcro & ianuis clauſis probavimus. Quia verò talis ille homo eſt, qui præter naturam, vna cum Deo eſt perſona, & extra hunc hominem, Deus (λόγος) *non eſt, neceſſariò ſequitur, quòd (homo Chriſtus) etiam ſecundum tertium repletivum modum SIT & ESSE POSSIT, vbicunque Deus eſt, adeoque omnia vbiq; Chriſti plena ſint, etiam ſecundum HVMANITATEM, non ſanè modo primo locali & corporali, ſeu circumſcriptivo, ſed modo hyperphyſico, repletivo, & divino. Confiteri enim te oportet, vbicunque Chriſtus eſt ſecundum divinitatem; ibi vera divina perſona eſt, verè etiam & perſonaliter ibi eſt, id quod cōceptio eius in vtero materno ſatis evidenter probat. Si enim (Chriſtus) filius Dei eſſe debuit, hunc certè verè & perſonaliter in vtero matris eſſe, & hominē fieri oportuit. Quod ſi igitur verè & perſonaliter eſt, vbi eſt, ibidem etiam illum hominem eſſe oportet. Non enim duæ diviſæ perſonæ ſunt, ſed vnica perſona, vbicunque eſt, ibi eadem illa ipſa vnica indiviſa perſona eſt: Et vbi dicere potes, hîc eſt Deus, ibidem te dicere oportet, ergò Chriſtus homo etiam adeſt.*

Et vbi locum monſtrare poſſis, vbi Deus, & non homo, iam perſona diviſa foret; quia tunc verè dicere poſſem, hic eſt Deus, qui non eſt homo, nec vnquam homo fuit. Ego verò talem Deum habere nolim: Hinc equidem ſequeretur, locum & intervalla duas (in Chriſto) naturas ſeparare, & perſonam dividere poſſe, cùm tamen neque Mors, neque omnes Diabolorum thurmæ diuidere illam aut dilacerare potuerint. Et vilis certè atque perexiguus Chriſtus maneret, qui in vnico duntaxat loco, divina & humana natura καθ' ὑπόστασιν *conſtaret, in reliquis autem omnibus locis, nudus tantùm & ſimplex, ſeparatusq; Deus, & divina perſona eſſet ſine humanitate. Nihil minus; bone vir: Sed vbicunque Deum locas, ibidem quoque humanitatem collocare neceſſe eſt. Neque enim ſeparari ſeſe, aut dividi (duæ in Chriſto naturæ) patiuntur. Vna perſona eſt, neque humanitatem deponit, vt quivis noſtrûm, ad ſomnum profecturus exuit & deponit ſuas veſtes.* Hæc ibi. Germanica vt magis illuſtria & emphatica, ita habent:

Vnd daß ich auff mein Sachen komme / weil vnſer Glaub helt / das Chriſtus Gott vnd Menſch iſt / vnd die zwo Naturen ein Perſon iſt / alſo das dieſelbige Perſon nicht mag zutrennet werden / ſo kan er freylich nach der leiblichen begreifflichen weiſe ſich erzeigen / an welchem ort er wil / wie er nach der Aufferſtehung thät / vnd am Jüngſten Tag thun würdt. Aber vber dieſe weiſe / kan er auch der andern vnbegreifflichen weiſe brauchen / wie wir auß dem Euangelio beweiſet haben / im Grabe vnd verſchloſſener Thür.

Nun er aber ein ſolch Menſch iſt / der vbernatürlich mit Gott ein Perſon iſt / vnd auſſer dieſem Menſchen kein Gott iſt / ſo muß volgen / daß er auch nach der dritten vbernatürlicher weiſe ſey vnd ſein möge / allenthalben wo Gott iſt / vnd alles durch vnd durch vol Chriſtus ſey / auch nach der

Menſchheit / nicht nach der erſten leiblichen begreifflichen weiſe / ſondern nach der vbernatürlichen Göttlichen weiſe. Dann hie muſtu ſtehen vnd ſagen/ Chriſtus nach der Gottheit / wo er iſt / da iſt er ein natürliche Göttliche Perſon vnd iſt auch natürlich vnd perſönlich daſelbs/ wie das wol beweiſet ſein Empfängnus in Muter Leibe. Dann ſolte er Gottes Sohn ſein/ ſo müſte er naturlich vnd perſönlich in Mutter Leibe ſein/ vnd Menſch werden. Iſt er aber nun natürlich vnd perſönlich wo er iſt / ſo muß er daſelbs Menſch ſein. Dann es ſeind nicht zwo zertrennete Perſonen/ ſondern ein einige Perſon/ wo ſie iſt/ da iſt ſie die einige vnzertrennete Perſon / vnd wo du kanſt ſagen / hie iſt Gott / da muſtu auch ſagen / ſo iſt Chriſtus der Menſch auch da.

Vnd wo du einen Ort zeigen würdeſt / da Gott were vnd nicht der Menſch / ſo were die Perſon ſchon zertrennet/ weil ich als dann mit der Warheit künd ſagen / hie iſt GOtt / der nicht Menſch iſt / vnd noch nie Menſch ward. Mir aber des Gottes nicht/ dann hierauß wolt volgen/ das raum vnd ſtette/ die zwo Naturen von einander ſönderten/ vnd die Perſon zurtreñeten/ ſo doch der Tod vnd alle Teuffel ſie nicht köndten trennen noch von einander reiſſen. Vnd es ſolt mir ein ſchlechter Chriſtus bleiben / der nicht mehr/ dañ an einem einzehlen ort zu gleich ein Göttliche Menſchliche Perſon were/ vnd an allen andern orten müſte er allein ein bloſſer abgeſonderter Gott vnd Göttliche Perſon ſein/ ohn Menſchheit/ Nein Geſelle/ wo du mir Gott hinſetzeſt/ da muſtu mir die Menſchheit mit einſetzen / ſie laſſen ſich nicht ſöndern vñ von einander treñen/ es iſt ein Perſon worden/ vnd ſcheidet die Menſchheit nicht ſo von ſich/ wie Meiſter Hans ſein Rock außzeucht vnd von ſich legt/ wann er ſchlaffen gehet.

Tres modi corporis Chriſti alicubi eſſendi.

Idem *Lutherus* ibidem fol. 459. b. & 460. a. *Vnicum igitur Chriſti corpus tres alicubi eſſendi modos habet.* Primùm, *modum localem & corporalem, ſicuti in terris localiter & corporaliter verſatus eſt. Quo modo etiamnum vti poteſt, quandocunque vult, ſicuti poteſt, Reſurrectionem fecit, & in vltimo die vſurus eſt, &c.* Secundò *modum definitivum & illocalem, quo vſus eſt per lapidem ſepulcri exiens, & per clauſam ianuam intrans, &c.* Tertiò *divinum habet & cæleſtem modum, quo cum Deo vna perſona eſt, ſecundum quem certè, omnes illi creaturas multò plus permeabiles & præſentes eſſe oportet, quàm ſunt modo ſecundo. Quoniam enim ſecundum alterum illum modum ita IN & cum creaturis eſſe poteſt, vt illum neque ſentiant, tangant, metiantur aut comprehendant, quanto magis ſecundum hunc ſublimem tertium modum, ratione magis miraculoſâ in omnibus creaturis aderit, vt illum tamen neque metiantur neque comprehendant, ſed magis ita, vt ipſe illas ſibi præſentes habeat, metiantur & comprehendat. Nam hoc eſſe Chriſti (Hominis) quo cum Deo vna Perſona eſt, longiſſimè ſeu procul procul extra omnes creaturas locare te oportet, quàm procul nimirùm Deus extra illas eſt. Et viciſſim tàm profundè & intimè in creaturis immergere, quàm Deus in illis eſt, quia vna indiuidua perſona eſt cùm Deo, vbi Deus eſt, ibidem & illum (Hominem aſſumptum) eſſe oportet, aut vana eſt fides noſtra.*

Tom. 3. Ilenenſ. fol. 459. b.

Germanica Lutheri ſic habent: So hat nun Chriſtus einiger Leibe/ dreyerley Weſen/ oder alle drey weiſe etwa zu ſein. Erſtlich/ die begreiffliche leibliche weiſe / wie er auff Erden leiblich gieng/ da er Raum nam vnd gab/ nach ſeiner gröſſe. Solche weiſe/ kan er noch brauchen/ wann er wil/ wie er nach der Aufferſtehung thet / vnd am Jüngſten Tag brauchen würdt/ ꝛc.

Vnd bald fol. 460. a. Zum Andern / die vnbegreiffliche geiſtliche weiſe/ da er keinen raum nimpt noch gibt / ſondern durch alle Creaturen feret/ ꝛc. Solcher weiſe hat er gebraucht / da er auß verſchloſſenem Grabe fuhr/ vnd durch verſchloſſene Thür kam/ ꝛc.

Zum

Digitized by Google

Zum Dritten/ die Göttliche Himmeliſche weiſe/ da er mit Gott ein Perſon iſt/ nach welcher freylich alle Creaturen jhm gar viel durchleufftiger vnd gegenwertiger ſein müſſen/ dann ſie ſeind nach der andern weiſe. Dann ſo er nach derſelbigen andern weiſe/ kan alſo ſein in vnd bey den Creaturen/ daß ſie jhn nicht fühlen/ rühren/ meſſen noch begreiffen/ wie viel mehr würde er nach dieſer hohen dritten weiſe/ in allen Creaturen wunderlicher ſein/ daß ſie jhn nicht meſſen noch begreiffen/ ſondern viel mehr/ daß er ſie für ſich hat gegenwertig/ miſſet vnd begreiffet? Dann du muſt diß Weſen Chriſti/ ſo er mit Gott ein Perſon iſt/ gar weit weit auſſer den Creaturen ſetzen/ ſo weit als Gott drauſſen iſt/ widerumb ſo tieff vnd nahe in alle Creaturen ſetzen/ als Gott drinnen iſt/ dann er iſt ein vnzertrennte Perſon mit Gott/ wo Gott iſt/ da muß er auch ſein/ oder vnſer Glaube iſt falſch. Hactenus Lutherus.

Horum omnium ſumma huc redit: Corpus Chriſti tripliciter debere conſiderari. *Primò*, vt *corpus phyſicum* & naturale, quali in diebus carnis ſuæ, inter homines converſatus eſt, de loco in locum mutatus, & tandem in crucem actus atque ſepultus. Et hoc reſpectu, corpus Chriſti, in vnico duntaxat ſemper fuit loco: Iam in ſtabulo Bethlehemitico, iam in Ægypto Exul, nunc in Galilæa, nunc Hieroſolymis. Hoc reſpectu dicit Chriſtus: *Gaudeo, quoniam non eram ibi*, (in Bethania nimirùm, vbi mortuus erat Lazarus) *ſed eamus ad eum.* Iohan. 11. 15. Et Martha: *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Ibidem verſ. 21. *Corpus Chriſti tripliciter conſideratur.* *I. Vt Phyſicum.*

Secundò conſiderandum eſt corpus Chriſti, vt *corpus glorioſum*, quale poſt Reſurrectionem nactus eſt, cui noſtra quoque corpora, olim in iuſtorum reſurrectione, ſervatis donorum gradibus, conformabuntur. Ita loquente Apoſtolo, Philip. 3. 21. *Chriſtus transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. Quæ συμμόρφωσις gloriæ quidem & formæ illius nobiliſſimæ & præſtantiſſimæ ſimilitudo quædam futura eſt, non tamen in eodem gradu, ſed qualitate conformata. *II. Vt Glorioſum.*

Qualis autem & quanta præſtantiſſima dignitas & nobilitas ſit glorioſorum corporum, id nobis quidem tantò difficiliùs explicatu eſt, quantò minus de illa cognovimus: Scriptura tamen aliquibus in locis ea de re aliquid nobis aperuit: Fore nimirùm corpora *incorruptibilia*, eaque ab omni phyſici corporis, quod plurimis naturæ ſuſtentandæ præſidijs opus habebat, neceſſitate & imbecillitate liberata, & ſpiritualibus privilegiis decorata. Nam Paulus Apoſtolus 1. Corinth. 15. 42. Poſteaquam glorioſi corporis aliquot dignitates recenſuiſſet, tandem addit, *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus SPIRITVALE*, σῶμα πνευματικόν, hoc eſt, corpus quidem futurum eſt corpus glorioſum, ſed idem Spiritus conditionibus nobilitatum, atq; omnibus phyſicis qualitatibus & accidentibus exemptum futurum. *Privilegio* & nobilitate huius corporis, Chriſtus per lapidem ſepulcri egreſſus, & per ianuas clauſas ad diſcipulos ingreſſus eſt. *Nobilitate* huius corporis, poſt reſurrectionem Chriſti, multi ſanctorum, qui cum Chriſto ſurrexerant, civitatem ſanctā ingreſſi, apparuerunt multis. Matth. 27. 53. *Non omnibus.* Sicut enim corpora glorioſa phyſicè locata non ſunt (niſi per diſpenſationem) ita nec phyſicè colorata vel aſpectabilia ſunt, ideò non videntur ab omnibus, ſed quibus per diſpenſationem apparere placuerit. Quanquam autem Chriſti corpus, per reſurrectionem ad omnimodam huius gloriæ vſurpationem pervenit, nihilominus tamen etiam antea, in ſtatu exinanitionis, quoties & quandocunque placuit, iiſdem glorioſi corporis privilegiis eſt vſus, vt quando Iudæi lapides tulerunt, vt obruerent illum, ipſe abſcondit ſe & exivit è Templo, per medium illorum tranſiens: ἐκρύβη καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως. Iohannis 8. verſ. 59. *Dignitas glorioſorum corporum* *Corpora glorioſa non niſi per diſpenſationem apparent.*

Item

Item quando ſuper aquas ambulavit, alia eiuſmodi præſtitit, quæ corporis phyſici naturam, in talibus excedunt, Matth. 14. 25. Marc. 6. 48. Ioh. 6. 19.

III. VT DIVINVM ſiue perſonaliter unitum cum λόγῳ Filio Dei.

Tertiò conſiderandus eſt Chriſtus homo, vt cū λόγῳ filio Dei perſonaliter vnitus, qui videlicet non ſeipſo, aut propria perſonalitate, ſed in hypoſtaſi τοῦ λόγου ſubſiſtit. Reſpectu cuius vnionis, hic aſſumptus homo longè ſuprà & extra omnes creaturas, in perſonalitate Dei, conſiderandus, admirandus & ſtupendus eſt. Qui E S S E N D I modus, tanto intervallo omnes creaturas ſuperat & excedit, quanto illas ipſe Deus excedit & ſuperat. Neq; .n. aliud ſublimius aut excellentius cogitari poteſt, quā vnam eſſe cum Deo perſonam. Hic deficit & ſtupet omnis natura: Ex hoc myſterio vnionis perſonalis, cum omnipræſentiam aſſumpti hominis, firmiter ſatis & irrefutabiliter concluſerimus; in illo myſterio, quod nullius hominis ratio aſſequi aut perſcrutari poterit, nos piè acquieſcamus, hoc fundamentum immobile tenentes: Filius Dei λόγος vbique eſt. Ergò etiam perſonaliter aſſumptus homo. Et, ſi λόγος eſt extra illum hominem. Ergò iam perſonalis vnio eſt ſoluta.

Demonſtratur, poſt incarnationis myſterium, λόγον nunquam & nuſquam eſſe EXTRA carnem.

Ex hiſce iam vanitas & error eorum patet, quæ ſupra in Calvinianorum opinionibus recitata ſunt, vt quod dicunt λόγον totum eſſe I N humana natura, ibi nimirùm, vbi eam in cœlis, vnico in loco localem fingunt. Et totum eſſe EXTRA humanam naturam, in reliquis nimirum locis omnibus, præter vnicum illum, vbi intra eſſe concedunt. Quiſquis enim vnionis perſonalis myſterium, ſecundum ſcripturas & veritatem ipſam ſcrutatur, facilè intelligit, λόγον qui perſonaliter cum aſſumpta humanitate vnitus eſt, extra illam qua cum eſt perſonaliter vnitus, nunquam E S S E poſſe. Nam perſonalis vnio ita facta eſt, quòd *verbum factum eſt Caro*, hoc eſt, Hypoſtaſis & perſona verbi, facta eſt carni hypoſtaſis. Quomodo igitur hypoſtaſis τοῦ λόγου, quæ vna & ſimplex eſt, poteſt eſſe extra carnem, cui eſt hypoſtaſis. Aut ſi eſt EXTRA carnem, quomodo eſt carni hypoſtaſis. Impoſſibile eſt, eſſe extra carnem, & carni eſſe hypoſtaſin: Et contra, impoſſibile eſt, eſſe carni hypoſtaſin & eſſe extra carnem. *Deinde* vnio perſonalis ita facta eſt, vt hypoſtaſis τοῦ λόγου, quæ ante incarnationem ſimplex fuit, iam poſt incarnationem, aſſumptione humanitatis, facta ſit quaſi compoſita. Quomodo autem compoſitus eſt λόγος, qui totus eſt extra carnem. *Præterea* Paulus incarnationis myſterium deſcribens, dicit filium Dei factum eſſe ex muliere. Gal. 4. Sed λόγος, qui eſt extra carnem, non factus eſt ex muliere. *Adhæc* λόγος in carne, eſt λόγος incarnatus. Ideò namque λόγος incarnatus dicitur, & eſt, quia carnē in perſonæ vnitatem aſſumpſit. Sed λόγος extra carnem non eſt incarnatus. Quod ſi igitur verum eſt, λόγον eſſe I N carne, & λόγον eſſe *extra* carnem. Ergo λόγος incarnatus eſt, & non eſt incarnatus. *Tandem* vnio perſonalis ab Apoſtolo, per inhabitationem totius plenitudinis Deitatis τοῦ λόγου in aſſumpta carne deſcribitur. Sed λόγος extra carnem, non I N H A B I T A T in carne. Ergò λόγος extra carnem non eſt perſonaliter vnitus carni. *Quibus omnibus* contra Calvinianos concluditur, quòd quotieſcunque dicunt, λόγον extra carnem eſſe, toties ſolvant vnionem perſonalem.

1. Quia λόγου hypoſtaſis eſt carni hypoſtaſis.

2. Quia λόγος iam quaſi compoſitus.

3. Quia λόγος extra carnē, non eſt ex muliere.

4. Quia λόγος extra carnem non eſt incarnatus.

5. Quia λόγος extra carnem, non inhabitat in carne.

Coloſſ. 2. 9.

Calviniani ſolvunt vnionem perſonalem.

Exceptiones Calvinianorum de præſentia Dei in creaturis.

Quod ſi excipiant Calviniani dicentes: Deum etiam in nobis eſſe, atque in omnibus creaturis, & eundem ipſum tamen etiam eſſe *extra* omnes creaturas, idem igitur ſi etiam de λόγῳ & aſſumpto homine ſtatuatur, nihil abſurdi eſſe. Ad id reſpondemus, inſtantiam toto genere diverſam eſſe. Neque enim vel nos, vel vlla alia creatura (excepto mulieris ſemine) cum Deo *vna hypoſtaſis* eſt: longè igitur aliud eſt, quòd Deus divinitate & infinitate, eſſentiæ ſuæ & extra omnes, & intra omnes eſt creaturas: Et toto genere aliud eſt, novo & ſolo miraculo ſub ſole, quòd λόγος aſſumptæ humanitati, *ſuam ipſius hypoſtaſin* communicavit. Non magis igitur, factâ vnione, extra aſſumptam ſuam humanitatem eſſe poteſt λόγος, quam extra ſuam ipſius hypoſtaſin eſſe poteſt, in huius

huius namque vnitatem vnione prorſus admirabili, & in æternum indiſſolubili humanam naturam ſibi aſſociavit. Id quod de nullo alio vel homine, vel creaturâ, vel dicere, vel fingere licet. *Eadem eſt reſponſio* ad id, ſi dicatur: Nos quoque in Deo eſſe. *In ipſo namque vivimus, movemur & ſumus:* Apoſtolo teſte. Act.17.28. Nec tamen in Deo ſumus vbiq; Licet enim in omnipotentis, vbique præſentis, atque omnia foventis, tuentis & moderantis Dei, tutelâ & moderamine, ſingulis momentis omnes ſuſtentemur & foveamur (hoc enim eſt IN Deo eſſe) nemo tamen noſtrûm VNA cum Deo perſona eſt, ſicuti eſt aſſumpta caro, vna hypoſtaſis cum λόγῳ aſſumente. Cuius vnionis nullum aliud ſimile exemplum vllibi reperire licet. *Fallunt igitur & falluntur* Calviniani turpiter: quando ex Dei, vel generali vel gratioſa præſentia contra vnionem hypoſtaticam, quicquam concludere fruſtraneo conatu fruſtrà attentant.

Multò autem ſtolidius in eò errant Calviniani; quod ſimilitudinibus ſuis, de *Antvverpiâ* adiacente Oceano, de *gemmâ* annulo inditâ, de *Planeta* infixo ſuo orbi, & ſi quas alias habent nugas, ſtolidas ſuas & craſſiſſimas de ipſo Deo imaginationes, puériliter produnt: imò verò apertis verbis eloquuntur, dum λόγον aſſumentem, quàm naturam humanam aſſumptam, *latius patere, latiuſque extendi* pueriliter effutiunt. Quaſi verò Deus λόγος inſtar alutæ alicuius, vel tenuis auræ aut nebulæ inſtar, per orbem cœloſque diffuſus pateat, extendaturque, cuius pars aliqua Antvverpiam, gemmam aut ſtellam tangat, reliquâ omni amplitudine circa circum diffuſâ. Quid rudere & furere eſt in Articulo de Deo, ſi hoc non eſt? *Patentem*, videlicet, & localiter extenſam Deo magnitudinem affingere, quam brevior minorque aſſumpta humanitas, exiguitate ſua adæquare non poſſit. Ipſis *cæcis gentilibus* indigna ſint hæc Phantaſmata, nedum acutis ſcilicet Doctoribus Calvinianis. *Nos* ſanctis ſcripturis inſtituti iam dudum novimus, nihil adeò magnum eſſe; quin Deus multò ſit maior: nil adeò parvum, quin ille multò ſit minor: nullum locum tàm amplum, quin illi anguſtus ſit: nullum punctum adeò minutum, quin illi orbis amplitudinem exuperet. Hæc enim dicit Dominus: *cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Eſa.66.1. Et rurſus: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo metitus? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera?* Eſa.40.12. Et mox: *Ecce, gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi pulviſculus ſtateræ reputatæ ſunt: Ecce inſulæ, quaſi pulvis exiguus,* verſ.15. & verſ.17. *Omnes gentes quaſi* nihil *ſunt coram illo, & minus, quàm nihil aut inanitas reputantur.* Sie ſind weniger dann nichts. Quibus quæſo verbis, magnitudo Dei vnquam clarius amplificari poſſit? Quæ tamen ſine omni phyſica & locali quantitate, quam Calviniani ſtolidè ſomniant, intelligenda eſt: Non enim magis extenditur Deus, cum tribus digitis cœlos metitur, quàm cùm ſtellam vnam, aut vnicum punctum. Non magis extenditur Deus, cùm cœlis inſidet, & ſcabellum pedibus ſubdit terram, quàm cùm λόγος in Mariæ vtero perſonaliter aſſumit humanitatem. *Stulta* ſunt phantaſmata, de quacunque *diffuſione*, aut *extenſione* divinitatis concepta. Magnus enim eſt Deus in ſeipſo, nulla quantitate, diffuſione aut extenſione vel Phyſica vel quacunque imaginariâ. *Stulta* igitur & furioſa ſunt ſomnia Calvinianorum, quòd Divinitas λόγου *latius extendatur*, quàm aſſumpta humanitas: *ſtultæ* & febriles ſunt ſimilitudines, quas de Oceano, de Annulo, & Planetæ orbe pueriliter comminiſcuntur, quibus ineptius aut abſurdius nihil quicquam vnquam vel dici vel fingi poteſt. Removeant igitur, & procul atque longiſſimè removeant Calviniani Doctores omnes illas & vaniſſimas de extenſione & dilatatione divinitatis imaginationes. Nihil enim, neque de DEO, in hoc puncto, neque de myſterio vnionis perſonalis, rectè vel perceperint, vel

Stoliditas Calvinianorum, quam ſuis ſimilitudinibus produnt.

Deus non extenditur.

Deus ſine quantitate magnus eſt.

Prædicamentum quantitatis & vbi excæcant Calvinianos.

Digitized by Google

vel alios docuerint, niſi prædicamenta *quantitatis & vbi*, quibus, vt neque reliquis, Deus MINIME ſubiectus eſt, procul ab animis & cogitationibus ſuis ablegaverint, & veluti res prophanas, ab hiſce myſterijs divinis æternùm proſcripſerint.

II. Chriſtum omnipræſentem eſſe demonſtratur ex communicatione idiomatum.

Hactenus omnipræſentiam Chriſti hominis ex myſterio *vnionis* demonſtravimus, ſed eadem non minus firmiter, ex conſequuta *communicatione idiomatum* demonſtratur. Ex ſuperioribus enim certum eſt, nec ſine naturarum, nec ſine idiomatum communicatione vnionem perſonalem ſtare poſſe. Nam λόγος in hypoſtaſεως vnitatem naturam humanam aſſumens, eidem aſſumptæ, omnem ſuam gloriam & maieſtatem, quam ipſe, vt filius Dei ex naturâ & ab æterno habet, per vnionis perſonalis gratiam donando communicavit. Id quod Apoſtolus hiſce verbis expreſſit: Coloſſ. 2. 9. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Ex quâ certè plenitudine, omnipræſentiæ maieſtas excludi nullâ ratione poteſt.

III. Ex Seſſione ad Dexteram Dei.

Tertiò idem ex Seſſione Chriſti hominis ad dexteram Dei concluditur. Quæ non certus locus; ſed ipſa æterna & infinita Dei maieſtas eſt. Ad quam ſedens Chriſtus homo, omnipotens & omnipræſens vbique glorioſè regnat. Coloſſ. 3. 1. Rom. 8. 34.

IV. Ex clariſſimis ſcripturæ teſtimonijs.

Quartò idem tandem evincunt, certa ſcripturarum teſtimonia, quæ omnipræſentiam Chriſti, vel pollicentur, vel facto ipſo probant. Matth. 18. 20. *Vbi duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Epheſ. 4. 10. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Id quod non tantùm de vaticiniorum impletione, nec de beneficijs tantùm in Eccleſiam collatis, ſed de perſonæ Chriſti vbique regnantis præſentiâ intelligendum. 1. Corinth. 15. 25. Oportet illum regnare. Et Marc. 16. 20. *Diſcipuli profecti prædicaverunt* vbique, *Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Quæ non tantùm de omnipræſentia λόγου, ſed totius Chriſti, etiam ſecundum humanam naturam accipienda ſunt. Totus enim Chriſtus, qui Deus & homo eſt loquitur, qui ſecundum humanam naturam omnem poteſtatem à Patre accepit, Matth. 28. 18. Qui ſecundum humanitatem *receptus eſt in cœlos, & collocatus ad dexteram Dei.* Marc. 16. 19. Et ſcitum omninò atque

Apoc. 1. 13. & 2. 1.

elegans eſt, quod Iohannes in Apocalypſi ſua, non tantùm videt *filium hominis in medio candelabrorũ aureorum*, hoc eſt, in medio Eccleſiæ ſuæ ambulare, ſed eundem tenere ſeptem ſtellas in dextera ſua. Hoc enim non tantùm Chriſti in Eccleſia ſua præſentiam, ſed eiuſdem quoque præſentis, dominium & gubernationem explicat. Sed de *Adventu Domini* in Templum ſatis, quem vidit Propheta noſter Ezechiel cap. 43. 2.

Adventus Domini eſt Orientalis.

II. *Proximum* eſt, vt obſervemus, *unde* Dominus & quâ *viâ* venerit, de eo ſic Propheta noſter Ezechiel. 43. 2. *Et ecce gloria Dei ingrediebatur per viam orientalem.* Et rurſus v. 4. *Maieſtas Domini ingreſſa eſt templum, per viam portæ quæ reſpiciebat ad orientem.* Deductus fuit Propheta noſter ad portam Orientalem: Iam ibidem via Orientali videt Dominum adventare, *Adventus nimirùm* Domini totus eſt gratioſus, nullius noſtrûm operibus aut meritis debitus. Ex mera namque ſua bonitate Deus nos *creavit*: Mera gratia & miſericordia ſua

Omnia Dei dona gratuita ſunt.

per filium *redemit*: Hominum amator Chriſtus, ex ardenti & plus quàm fraterna dilectione ſua, vitam & ſeipſum totum nobis impendit: Gratiâ nempe divinâ ſumus, quicquid ſumus, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Luc. 1. 78. Sicuti enim Sol & reliqua ſidera, *ſine merito*

Luc. 1. 78.

Simile.

noſtro exoriuntur, illuminant & fovent terram, ita ſine meritorum & operum noſtrorum dignitate aut reſpectu vllo, gratia & ſalus exorta eſt. *Gratia*

Epheſ. 2. 8.

enim ſalvati eſtis, per fidem & hoc non ex vobis: Dei donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Epheſ. 2. 8. *Præterea* ſicuti ſol omnibus hominibus abſq; reſpectu

perſona-

Digitized by Google

perſonarum exoritur, tàm pauperi quàm diviti, tàm deſpecto, & miſero, quàm diffluenti honoribus: ita gratia Dei ſalutifera, ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σωτήριος, apparuit omnibus hominibus. Tit. 2. 11. *Sicut* etiam exorto ſole, tenebrarum operas deponendum, & in clara diei luce, piè, ſanctè, iuſtè & caſtè in omnium oculis vivendum eſt, ſic exorta gratia Domini, omnibus tenebrarum operibus renunciandum. & pietati ac ſanctitati, omnibus hominibus ſtudendum. *Erudit enim nos gratia Dei ſalutifera, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, modeſtè & iuſtè & piè vivamus, in hoc ſeculo.* σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς. Tit. 2. 12.

Tit. 2. 11.
Tit. 2. 12.

ADVENTVS Domini cum ſonitu Aquarum multarum.

III. Exponit, Propheta, qua Maieſtate Dominus venerit, *cum ſonitu* nimirùm *aquarum multarum*, & cum ſplendore, omnem illuminante terram. Ezech. 43. v. 2. *Vox erat ei, quaſi vox aquarum multarum, & terra ſplendebat à maieſtate eius.* Per aquæ ſonitum, natura, vis & efficacia doctrinæ Evangelicæ exprimitur, quam Salvator è ſinu patris nobis revelavit. Quemadmodum enim aquarum multarum impetum, nulla vis inhibere poteſt, neque fluctuū ſonitum nemo prohibere: Sic Evangelica doctrina nemine curſum impediente, totum orbem pervadit, & ſonitu ſuo replet omnes terras. Nec magis Tyranni, Diabolus & Antichriſtus, Evangelij prædicationem conſopire poſſunt, quā fluctuum maris, aut aliorū & altiſſimorum & rapidiſſimorum fluminum, poſſunt ſedare fragores. Eadem de Chriſto leguntur Apoc. 1. 15.

Evangelii curſum nemo inhibere poteſt.

Adventus Domini cum ſplendore.

IV. Ad maieſtatis *ſplendorem* quod attinet, oſtendit ille, Chriſtum non tātum eſſe lucem illam æternam & verum Deum, ſed lucem etiam gratioſam, *illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioh. 1. 9. *Lumen ad revelationem gentium.* Luc. 2. 32. Inde *iuſtitiæ ſol* appellatur. Malach. 4. 2. *Sicut* autem ſol oriens, illuminat totum mundum, ſi qui tamen ſplendorem illius vel refugiunt, in tenebrarum latibula ſe recipientes; vel ex oculorum vitio, adverſus illum magis cæcutiunt, in ipſis tenebrarum cauſa eſt, non in ſolariū radiorum claritate. Ita Chriſti ſalutaris cognitio, per Evangelij prędicationem, vniverſę quidem creaturæ proponitur, ſi qui autem in rationis humanæ latebris tenebricoſi pereunt, ſuo ipſorum vitio, non negati luminis cauſa pereunt. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioh. 1. 5. *Et hoc eſt iudicium, quod lux venit in mūdum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem,* Ioh. 3. 19. *Quod ſi etiam opertum eſt, Euangelium noſtrum, in his, qui pereunt, opertum eſt, in quibus Deus huius ſeculi excæcavit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* 2. Cor. 4. 3.

Chriſtus lux mundi.
Iohan. 1. 9.
Malach. 4. 2.
Cauſa cur non omnes illuminentur.
Iohan. 1. 5.
Iohan. 3. 19.
2. Corinth. 4. 3.

Adventantem Dominum Propheta adorat.

V. Propheta videns Maieſtatem Domini, in *faciem pronus* cadit, eamque reverenter adorat. Ezech. 43. 3. *Cecidi ſuper faciem meam.* Locus & meditatio ſpiritualis eſt, de reverentia & pietate noſtra erga Salvatorē, venientem ad ſanctū Templum ſuum. Proijciamus videlicet nos, & omnia merita noſtra, ad pedes Salvatoris. *Oſculamini Filium, ne iraſcatur & pereatis in via.* Ideo enim ad nos peccatores venit Dominus, non vt in peccatis nos obſtinatos redderet, ſed vt *redimeret nos ab omni* iniquitate, *& mundaret ſibi populum, peculiarem, Zelotem bonorum operum.* Tit. 2. 14.

Adoremus Salvatorem.

Adventus ſimilis priori diſceſſui.

VI. *Poſtremò*, Propheta noſter Ezechiel, in deſcriptione adventus Domini ad Templum ſuum, meminit de eiuſdem *diſceſſu*, quem Propheta viderat, ante ruinam vrbis, deſerentis templum & vrbem, capit. 9. 3. & 10. verſ. 1. 4. 16. Sic enim ait Propheta Ezech. 43. 3. *Similis erat ſpecies huius viſionis, quam videbam prorſus viſioni illi, quam videram veniens ad perdendum civitatem,* annunciatum videlicet veniens vrbis perditionem. Locus & *meditatio ſpiritualis* eſt, de non fatali immutabilitate gratiæ divinæ, quam Calviniani Doctores, Stoicam omninò & in certos quoſdam homines ſimpliciter immutabilem ſomniant. Vidit enim Propheta noſter antea Dominum diſcedentem à

Exploditur Stoico-Calvinianum fatum.

Templo ſuo: Iam eundem ad Templum videt redeuntem. Deſerit nimirùm Dominus populum, ſeu hominem quemvis, impium, idololatricum & in peccatis pertinacem atque obſtinatum, ſed ad eundem pœnitentiam

Dominus pœnitentiam agentes recipit in gratiam.

agentem, gratiâ & favore ſuo revertitur. *Nam vivo ego, dicit Dominus Deus, non delector morte impij, ſed vt convertatur impius à via ſua & vivat.* Ezechiel. 33. verſ. 11. Et apud Ieremiam capite 18. verſ. 7. *Repente loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, vt eradicem & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi vt facerem ei.* Exemplo ſunt *Ninivitæ*, qui cum ad Prophetæ concionem pœnitentiam egiſſent, Dominus, quod per Prophetam denunciaverat malum, clementer ab illis avertit. *Vidit Deus opera illorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & pœnituit Deum ſuper malo, quod loquutus fuerat, vt*

Vtrum Ninivitarum pœnitentia Domini voluntas immutata fuerit? Dominus deficientes, à gratia reiicit.

faceret eis, & non fecit. Ionæ. 3. verſ. 10. Ninivitæ tamen, pœnitentiam agendo, voluntatem Dei non reddiderunt mutabilem. Iſta namque hypotheſis, ſi pœnitentiam agerent, ſervatum iri, divinæ voluntati iam antea incluſa erat. Et *viciſſim,* licet gratiâ & favore complexus ſit aliquem Dominus, ſi tamen deficiat ad impietatem, gratia & miſericordia Domini ipſum deſeret

Ierem. 18. 9.

atque deficiet. *Subitò loquar* (inquit Dominus) *de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod loquutus ſum, vt facerem ei.* Ieremiæ 18. verſ. 9. Et apud Ezechielem capite 33. verſ. 13. *Etiamſi dixero iuſto, quòd vita vivat, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem: omnes iuſtitiæ eius oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam, &c. omnia peccata eius, quæ peccaverit, non imputabuntur ei, iudicium & iuſtitiam fecit, vita vi-*

AXIOMA De deſerentibus iuſtitiam, & agentibus pœnitentiam. Rom. 11. 22.

vet. Vtrumque igitur firmum & indubitatum eſt. *Qui pius* à pietate defecerit, illum deſerit Dominus. *Qui impius* ab impietate ſua redierit, ad illum gratia ſua redibit Dominus. Id quod Paulus illo valde illuſtri exemplo reiectionis Iudæorum, aſſumptionis gentium graviſſimè illuſtravit. *Vide*, inquiens, *bonitatem & ſeveritatem Dei. In Iudæos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem: in te autem* (gentili) *bonitatem, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excinderis. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.* Roman. 11. 22. Ex quibus ſole meridiano clarius apparet, abiici à Deo, qui prius fuerunt in gratia, quàm primùm in incredulitatem & impietatem fuerint prolapſi. Et *viciſſim*, recipi in gratiam à Deo, qui priùs abiecti, fracti & damnati fuerant, quàm primùm pœnitentiâ actâ ad

Filius Dei, filius diaboli fieri poteſt, & contra.

Deum & fidem redierint. *Hinc fieri poteſt*, & fit, proh dolor, quotidiè, vt qui hodiè eſt filius Dei, cras per peccatum & incredulitatem fiat filius Diaboli. Vt ſunt omnes, qui Baptiſmi & verbi Evangelici gratiâ neglectâ, in peccata & ſcelera ruunt, atque in illis ſine pœnitentiâ æternùm pereunt. Et *viciſſim*, qui hodie eſt Diaboli filius & Gehennæ mancipium, pœnitentiâ actâ fieri poteſt filius Dei & vitæ æternæ hæres. *Quotquot enim receperunt Chriſtum, illis dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Iohannis 1. verſ. 12. Tales ſunt omnes pœnitentes peccatores, qui per peccata, gratiâ divinâ exciderant, ſed per fidem & reſipiſcentiam revertuntur: cuiuſmodi ſunt, *David, Manaſſes, Petrus, Paulus, Thomas*, incredulus, *filius perditus, Mulier peccatrix, alter latronum, &* infiniti alii, quibus omnibus pereundum fuiſſet, niſi per pœnitentiam ad Deum & ſalutem reverſi fuiſſent.

Exceptio Calviniſtarum, fidem veram nunquam extingui.

Neque hic locum habet, vana Calviniſtarum exceptio, quâ dicunt, in illis, qui tandem ſalvantur, gratiam Dei nunquam totam extingui, adeoque Davidem adulterum & homicidam, gratiâ Dei non excidiſſe, ſed fidem ipſius quaſi

Digitized by Google

quaſi ſub cineribus igniculum, ſepultam & fotam fuiſſe. Idem illis de Petro, de latrone, de Paulo perſequutore, & omnibus, qui ſalutem tandem conſequuntur iudicium eſt, *Sed* quàm inanis & nugatoria ſit hæc imaginatio, ex omnibus citatis & teſtimonijs & exemplis conſtare poteſt. Dominus enim apud Ezechielem de illis loquitur, qui actu moriuntur & pereunt. Non delector morte *morientis, revertimini & vivetis.* Ezechiel. 18. 33. Audis Dominum de illis loqui, qui moriuntur, hoſce ad pœnitentiam, fidem & vitam invitat. Revertimini & vivetis. Audis, quod revertentes vivunt, & non revertentes moriuntur. Et ipſi illi, qui moriuntur & pereunt, ex voluntate & beneplacito Dei, reverti debuiſſent & vivere. Ita capite 33. v. 11. *Vivo ego nolo mortẽ impij, ſed vt convertatur impius à via ſua & vivat, convertimini, conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël.* Audis, quòd Deus non delectatur morte impij, qui in impietate ſua moritur & æternùm perit. Hic, qui reprobus iam & damnatus eſt, pœnitentiam agere, & per fidem vivere debuiſſet. Ita Chriſtus de filio perdito: *Hic mortuus erat, & revixit, perierat & inventus eſt.* Luc. 15. 32. Maximè omnium autem illuſtre eſt exemplum Hebræorum, qui ſunt *reiecti* à Deo. Roman. 11. 15. *Sunt rami fracti ex oliva.* verſ. 17. 19. Sunt *increduli.* verſ. 20. 23. *ceciderunt.* verſ. 22. Sunt *exciſi.* verſ. 22. Sunt *cæci.* verſ. 25. Hos tamen *rurſus* reconciliari, olivæ inſeri, ad fidem converti, erigi, illuminari, miſericordiam conſequi, & ſalvari poſſe, Paulus elegantiſſimis & graviſſimis verbis conteſtatur, Roman. 11. à verſ. 14. vſque ad capitis finem. *Vanum* igitur eſt, tantùm illos converti ad pœnitentiam, qui Calviniano ſtoica electione, in numero electorum ſint, & nunquam divina gratia excidant. *Perſpicuum* enim & planum, & irrefutabile eſt, exciſos & incredulos Iudæos, per pœnitentiam rurſus inſeri & ſalvari poſſe. *Potens* enim *eſt Deus, iterum inſerere illos.* Roman. 11. 23. *Et miniſterium meum honorificabo* (inquit Paulus) *ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſaluos faciam* aliquos *ex illis.* Hæc doctrina confirmatur & illuſtratur per viſionem noſtram Propheticam: Ezechiel namque Dominum vidit & recedentem & redeuntem. Vniverſa autem hæc è diametro contraria ſunt imaginationibus & ſomnijs Stoico-Calvinianis, quæ neutiquam concedunt, hominem abſoluto, æterno, præciſo & ſimplici decreto ad vitam electum, gratiâ illâ excidere, fidem amittere & perire poſſe. Et viciſſim ſomnia illa Stoico-Calviniana neutiquam concedunt, hominem præciſo & abſoluto decreto, *quod fingunt*, reprobatum, vnquam veram pœnitentiam agere, aut ſalvari poſſe. Quibus figmentis, tota ſcriptura ſacra adverſatur.

II.

DE TEMPLI LEGIBVS, PRIVILEgiis, ſacrificiis, & omni religioſo cultu.

Leges Templi generales.

TEmpli gloriam & maieſtatem vidimus, proximum eſt, vt de *Templi cultu* meditemur. Hic enim Templorum primarius finis & vſus eſt. Haſce autem Templi leges Propheta noſter cap. 43. deſcripſit, quas breviter repetituri, & meditationes noſtras ſpirituales ſubiecturi ſumus.

LEX. I. De Dei rerumq; divinarum cognitione.

I. Prima & principalis Lex eſt, rerum divinarum & ſpiritualium cognitio. Sic enim Propheta noſter. cap. 43. 10. *Tu fili hominis, indica domus Iſraël, domum iſtam, &c. vt metiantur exemplar.* Et v. ſeq. 11. *Formam domus & conſtitutionem eius, exitus eius, & aditus eius, & omnes formas eius, omniaq; ſtatuta eius, cum omnibus formis omnibusq; ſtatutis eius, & omnibus legibus eius notas facies, & deſcribe ante oculos eorum. Hæc eſt lex ipſius domus, &c.* Primam nimirum & principem legem dicimus, vt in Eccleſia novi Teſtamenti, Dei, rerumque divinarum, & omnis religioſi cultus, notitia & cognitio vigeat. Hoc enim illud eſt, quod Prophetæ

 noſtro

noſtro, tanto cum ſtudio & diligentiâ iterùm & iterùm atque tertiùm repetitis verbis mandatur & inculcatur, vt hanc domum, cum omnibus partibus, figuris, formis, legibus & ſtatutis ſuis, omnibus Iſraëlitis, hoc eſt, omnibus fidelibus & Eccleſię membris demonſtret. Maior ſiquidem lux in N. T. orta eſt, quàm patres V. Teſt. viderunt. *Nunc enim propior eſt ſalus noſtra, quàm cùm credidimus. Nox abſceſſit dies, aũt appropinquauit*. Rom. 13. 12. Qua de re Dominus, apud Ieremiam: *Non docebit vltra vir proximũ ſuum & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum, vſque ad maximum: ait Dominus.* Ierem. 31. 34. Et apud Eſ. 54. 13. Quod Chriſtus citat Ioh. 6. 45. *Scriptum eſt*, inquiens, *in Prophetis, erunt omnes filij tui docti à Domino*. Et Paulus ad Corinthios: *vſq; in hodiernum diem, cum legitur Moſes, velamen poſitũ eſt ſuper cor Hebræorum, &c. Nos verò omnes revelatâ facie, gloriam Domini, tanquam in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.* 2. Cor. 3. v. 15. 18. Quæ cùm omnia de luce, claritate & perſpicuitate doctrinæ Evangelicæ dicta ſint, meritò ad maiorem diligentiam, & ſtudium omnes excitamur, vt omnia, quæ nobis revelata ſunt, quantum in hac vita fieri poteſt, exactâ cognitione aſſequamur. *Indica domui Iſraël, domum iſtam, vt metiantur exemplar*, inquit Dominus apud Prophetam noſtrum. *Formam & conſtitutionem domus, omnes aditus, exitus, figuras, omnia ſtatuta & leges eius, notas fac eis.* Vnde Chriſtus nos exhortatur: *Scrutamini ſcripturas, quia putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Ioh. 5. 39. & Ioh. 17. 3. In cognitione Evangelica vitam æternam poſitam eſſe, idem Salvator graviſſimis conteſtatur. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et Paulus ad Timotheũ: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* 1. Tim. 4. 13. Et rurſus v. 16. *Attende tibi & doctrinæ, perſta in illis, Hoc enim faciens & teipſum ſalvũ facies, & eos, qui te audiũt.* A doctoribus igitur, & ſimul ab auditoribus Evangelicis, ſummum, inflammatum & ardens, atque perſeverantiſſimum diſcendi & cognoſcendi res divinas, ſtudium, hac prima lege requiritur. *Beatus* enim, *cuius in lege Domini voluptas eius eſt, & qui in lege eius die ac nocte* felici cum profectu *meditabitur.* Infelices autem & terq; quaterq; infelices, qui varijs ſuis deſiderijs circumducti vel nihil diſcũt, vel ſemper diſcentes, nunquam ad veritatis ſcientiam perveniũt. 1. Tim. 3. v. 6. 7. Hęc prima lex eſto.

LEX II.
De doctrina Evangelica puritate.

Secunda lex, eſt de doctrinæ, in qua nos ſtudium & diligentiam noſtram ponere debemus, conſervandâ *puritate.* Sic enim Propheta noſter Ezechiel c. 43. v. 7. 8. *Domus Iſraëlis, nomen ſanctitatis meæ non contaminaturi ſunt ampliùs, apponendo limẽ ſuum limini meo, & poſtem ſuum ad poſtem meum*, hoc eſt, veri mei cultores, & vera membra Eccleſiæ meæ, ad domum meam, quæ eſt Eccleſia, nihil ſuarum factionum aut traditionum humanarum, appoſituri, ſed domus meæ incolæ patris familiâs vocẽ vbiq; audituri & obſervaturi ſunt. Vbi primũ oĩm obſervandum eſt, quid ſint *traditiones* humanæ: *Appoſitio nimirum liminis ad limẽ Domini & poſtis ad poſtem Domini.* Quicquid humana confingit ratio, non ad Eccleſiam pertinet, ſed Eccleſiæ tanquã παραβλάστημα adhæret, non exornans aut protegens, ſed conſpurcans & contaminans domum Domini. Proinde nihil tale cuiquam audendum. Nihil enim verbo Domini addendum, nihil detrahendum eſt. Sic edicente Moſe: *Nihil addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo vt cuſtodiatis mãdata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Deut. 4. 2. Similia vide. Deut. 5. 32. & 6. 2. & 7. 11. Notanter autem Deut. 12. 32. *Omne verbum, quod* ego *præcipio vobis illud cuſtodietis vt faciatis: Nõ addes ſuper illud, neq; diminues ex illo.* Et prov. 30. v. 5. 6. *Omnis ſermo Dei purgatiſſimus clypeus eſt recipientibus ſe ad ipſum. Ne adijcito ad verba eius, ne corripiat te, & ſis, mendax.* Eſa. 30. 21. *Aures tuæ audient verbum poſt tergũm monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis, neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram.* Hãc eandem legem Chriſtus Apoſtolis ſuis repetijt, dicens: *Euntes, docete oẽs gẽtes, docentes eos ſeruare oĩa* (non quæ vobis videbuntur ſed) *quæcũq; mãdaui vobis.* Et Paul. ad Tim. *Attẽde lectioni.* Et 2. Tim. 4. 2.

Traditiones quid ſint.

1. Timoth. 4. 13.

Prædica

prædica verbum. Et Tit. 2. v. 1. *Loquere, quæ decent ſanam doctrinam.* Et Petrus 1. Petr. 4. v. 11. *Si quis loquitur, quaſi ſermonem Dei loquatur.* Denique conſiderandum, quid eiuſmodi Architecti, qui ſua limina divinis liminibus apponunt, lucri tandem & vtilitatis habituri ſunt. Primùm enim illæ ſuperfluitates & additiones ſupervacaneæ (Schwalben vnd Storcken Neſter) auferentur. Nam *omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Matth. 15. verſ. 13. Et, *qui lignum, fœnum & ſtipulam ſuperædificauerit*, hoc eſt, traditiones & opiniones humanas, *vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit, & quale ſit ignis probabit.* 1. Corinth. 3. verſ. 12. 13. Non autem limina appoſita, deſtructa peribunt tantùm, ſed & ipſi falſi doctores, qui doctrinæ impuritate alios ſeduxerunt, pœnas ſeductionis, cùm ſeductis æternas luent. *Cæcus* enim, *ſi cæcò ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Matth. 15. 14. *Et ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas, ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet* Deus partem eius de libro vitæ, & de civitate ſancta. Apocal. 22. v. 18. 19.

LEX III. *De beneficiis & privilegiis Eccleſiæ.*

Tertia Lex eſt de *beneficiis ſeu privilegiis* Domus. Illa verò, tùm Altaris, tùm ſacrificiorum deſcriptione nobis deſignantur. Ezechiel. cap. 43. à v. 13. vſque ad finem.

1. Diſcrimen ſacrificiorum Veteris & Novi Teſtamenti.

In iſthac ſacrificiorum deſcriptione, *primùm* obſervandum eſt diſcrimen ſacrificiorum legis, & ſacrificiorum domus viſionis noſtræ Propheticæ, hoc eſt ſacrificiorum Vet. & ſacrificiorum Novi Teſtamenti. Nam legis expiatorium requirebat duos arietes. Exod. 29. v. 15. 19. Expiatorium autem noſtræ domus, *Arietem & Hircum* deſignat. Ezech. 43. v. 22. 23. 25. In reliquis etiam ſacrificijs, plura diſcrimina occurrunt. Hinc manifeſtum evadit, legis *ceremonialia*, in N. Teſt. fuiſſe *antiquanda.* Licet enim N. Teſtam. ſacrificia, viſio noſtra Prophetica, verbis & ritibus Vet. Teſtamenti deſcribat: illa ipſa tamen differens varietas, ceremonialis legis finem in Chriſto defigit, in quem omnes illæ ceremoniales leges reſpexerunt, vt pote, qui eſt *finis & perfectio legis.* Rom. 10. 4. *Lex & omnes Prophetæ vſque ad Iohannem.* Matth. 11. 13. *Lex pædagogus fuit in Chriſtum.* Galat. 3. 24. Hoc eſt, *lex vmbram habuit futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Hebr. 10. 1. Hanc antiquationem legis obſervare poſſent, ac debebant *Hebræi* in Ezechiele noſtro, niſi ante oculos ipſorum velamen poſitum eſſet, id ipſum verò ab oculis noſtris remotum eſſe, gratis in Deum animis, & agnoſcamus & celebremus.

Ceremoniales leges Veteris Teſtamenti ſunt antiquatæ.

Iudæorum cæcitas.

2. Beneficia Novi Teſtamenti & merita Salvatoris.

Deinde ipſum Altare, & ſacrificia expiatoria, beneficia Novi Teſtamenti nobis deſcribunt: Miſericordiam videlicet Dei patris, remiſſionem peccatorũ, iuſtitiam, gratiam, & omnia merita Chriſti, per Chriſtũ gratuita, perfectiſſima & abſolutiſſima. *Ipſe* enim *eſt* ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis noſtris.* 1. Iohan. 2. 2. Ille *ſeipſum dedit* ἀντίλυτρον *redemptionis pretium, pro omnibus. Vt pote, quem Deus propoſuit* ἱλαστήριον *propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Rom. 3. 25. *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio,* ἀπολύτρωσις. 1. Cor. 1. 29. *Hæc quidam fuiſtis,* ſcribit Paulus ad Corinthios, homines videlicet peccatores & ſcelerati, *ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini Ieſu, & in ſpiritum Dei noſtri.* 1. Cor. 6. 11. Sed quia de hiſce omnibus, in contemplatione & meditationibus Altaris, qui Chriſtus eſt, Hebr. 13. 10. copioſè diximus, brevitatis ſtudio, illuc remittimus ſtudioſos lectores. Vide ſupr. pag. 206. & ſeqq.

3. Beneficia Chriſti ſunt univerſalia.

Tertiò hoc vnum etiam attingere libet, quòd ſanguis expiatorij ſacrificij, quatuor Altaris cornibus, & quatuor angulis proiecturæ, circumquaque inſpergendus præcipitur. Ezechiel. 43. v. 20. Ea namque re gratiæ divinæ, ſicut etiam meriti & beneficiorum Chriſti *univerſalitas*, reſpectu hominum deſignatur. Cornua namque Altaris, quâ apprehendi poſſit, in quatuor Altaris angulis erecta conſpiciuntur, & ne quis *ſine expiationis & reconciliationis fructu* prehendat, omnibus quatuor cornibus, omnibusque Altaris angulis,

Digitized by Google

expiatorius ſanguis inſpergendus eſt. Hinc emicat *miſericordia* Dei patris, *qui nō vult quemquam perire, ſed omnes homines ad agnitionem veritatis peruenire & ſaluari.* 1. Timoth. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. *Qui* mundum *dilexit*, *eiq́; miſit filium Saluatorem.* Ioh. 3. 16. *Cuius ſalutifera gratia apparuit* omnibus hominib. Tit. 2. 11. Oſtentant hęc quatuor, expiatorio ſanguine inſperſa, & in quatuor mundi plagas directa cornua, Chriſti Salvatoris, toti mundo expiationis parta beneficia. *Hic enim ſeipſum dedit pretium redemptionis pro* omnibus. 1. Timoth. 2. 6. *Hic propitiatio eſt, non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi peccatis.* 1. Ioh. 2. 2. Quâ de re ſimiliter, copioſiùs in meditationibus Altaris.

4. De vſu ſalis.

Tandem in ſacrificijs deſcribendis, viſio noſtra Prophetica ſpecialiter mentionem facit *ſalis*. Ezech. 43. 24. *Vbi obtuleris coràm Domino, Sacerdotes injicient ſalem, & offerent holocauſtum Domino.* Et vniverſalem ſanè legem de ſacrificijs *ſale* condiendis, in Levitico legimus. Levit. 2. 13. *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, neque auferes* ſal *fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione offeres* ſal. Id quod Chriſtus Marc. 9. 49. repetijt: *Omnis victima* ſale *ſalietur.* Huius ſalis vſum, viſio noſtra Prophetica, etiam in Novo Teſtamento, vult eſſe frequentiſſimum. Meritò igitur *ſalis præſtantiam* nonnihil meditamur. Homerus ſalem divinum nominat: vnde hoc ille, neſcio, niſi fortè, quòd olim mos fuerit, vt divini gentilium reſponſuri, ex ſuperſtitione fabam & ſalem proponerent. Et *hodie* quibuſdam ſuperſtitioſis, *pane & ſale*, diabolum pelli poſſe, perſuaſum eſt; quemadmodum etiam ſagarum convivales apparatus ſine *pane & ſale* celebrari referuntur. Nos ſalem inde divinum appellare poſſumus, quòd & in Veteri, & in Novo Teſtamento ſacrificijs adhibendus, lege divina Moſis cautum, & viſione noſtra Propheticâ revelatum eſt. Cur autem hoc, diſpiciendum nobis. Primùm, quia ſal, tàm in ſcripturis ſanctis, quàm apud gentiles Ethnicos, *ſapientiæ ſymbolum eſt*. Hinc Salvator de Apoſtolis: *Vos eſtis* ſal terræ. *Quòd ſi ſal infatuatus fuerit, in quo ſalietur.* Hoc eſt, vos, in ſcientia & cognitione rerum divinarum, mundum ſalietis & condietis. Quod niſi vos & alij Doctores feceritis, quis tandem homines ſapientiam docebit? Si enim alios docturus, ſapientiâ vacuus eſt, quid alijs communicabit? Et apud omnes ſcriptores vſitatum eſt, vt orationem doctam & elegantem, rerum & verbòrum ponderibus refertam, politam & *conditam*, viciſſim orationem indoctam & abiectam, agreſtem & *inconditam* dicamus. Nam ſal & acetum pro ingenij acumine, ſubtilitate & ſapientiâ ſumuntur, Perſius, *Mordaci lotus aceto.* In Veteri autem & novo Teſtamento, ſumma patris ſapientia Chriſtus eſt. Hic enim à Deo factus eſt nobis ſapientia. 1. Corinth. 1. v. 29. In huius cognitione conſiſtit omnis ſapientia. Qui Chriſtum didicit verè ſapit, qui Chriſtum neſcit, vbique deſipit.

Sal Homero divinus.

1. Sal ſapientiæ Symbolum. Matth. 5. 13.

Maxima ſapientia Chriſtus.

Si Chriſtum diſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis.
Si Chriſtum neſcis, nihil eſt, ſi cætera diſcis.

Sal omnium condimentorum præſtantiſſimum.

Sine Chriſto, nemo Deo placet.

Sine ſale nihil ſacrificandum.

Deinde ſalem omnibus *cibis* condiendis adhibemus, quò ſine omnes inſipidi & ingrati ſunt, adeoque ſal condimentum eſt condimentorum omnium. *Sine* Chriſto nimirùm vero ſapientiæ ſale, Deo patri nihil gratum aut acceptum eſt. Hic α eſt & ω principium & finis, omnis ſalutis noſtræ & gratiæ apud Patrem. Nam *in filio ſuo dilecto & gratioſo, Deus nos gratioſos reddidit.* Epheſ. 1. 6. *Sine me nihil poteſtis facere.* Iohan. 15. verſ. 5. *Nec aliud nomen eſt datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 4. 12. Quicquid igitur ſacrificaverimus, ſemper cum ſale, hoc eſt, quicquid ſalutis noſtræ ſperaverimus,

quicquid

Digitized by Google

quicquid patrem precati fuerimus, *omnia in nomine Chriſti* Salvatoris, Ioh.14. v.13.14. & 16.23. *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et Paulus: *Omne, quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu, gratias agentes Deo & patri per ipſum.* *Præterea* Sal corruptionem & putredinem pellit, & conſervat atq; tuetur, quicquid occupaverit. Chriſtus nimirùm verbumq; ipſius ſapientiæ vitæq; ſal, vbi hominis cor occupaverit, & peccatum & peccati conſequens, mortem, atque putredinem abigit. *Omnis enim qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*, 1 Ioh.3.3. Et mox v.6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat*, Et v.9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* *Adhæc* ſal amicitiæ ſymbolum eſt: Sale namq; & pane, adeoq; menſæ vitæq; conſuetudine, amicitia & contrahitur & confirmatur. Hinc Origines de Iuda, Chriſti proditore meminit, quòd *ſalem & menſam ſit prætergreſſus*: Item, *quòd neq; ſalis eiuſdem, neq; menſæ, neq; panis communicati meminerit.* Id quòd Chriſtus hiſce verbis expreſſit: *Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcaneum ſuum.* Quæ verba in Pſalmo, vnde deſumpta ſunt, ita habent: *vir pacis meæ, in quo confidebam, edens panem meum, ſuſtulit adverſus me calcem.* Pſalm.41.10: *Quemadmodum* igitur amicitiæ ius & menſæ communis hoſpitium, ſemper ſanctiſſimum fuit, ita ſalem Chriſtianum præterire, quo ſine nullum ſacrificium offerri poteſt, hoc eſt, *dilectionem & charitatem fraternam lædere*, graviſſimum inter Chriſtianos peccatum eſt. Hinc Chriſtus Salvator, Marc.9.50. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos*, ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. Et Paulus: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis, quomodo oporteat vos vnicuiq; reſpondere*: Coloſſ.4.6. Nam charitatis & amicitiæ lex, ad honeſtatem, ſanctitatem; proximi vtilitatem & ædificationem, omnia meditatur, loquitur, facit. Quod condimentorum genus, omnem ciborum, etiam regiam pretioſitatem & apparatum longiſſimè ſuperat. Quemadmodum è contrà Paulus omnem ſermonem ſpurcum & putridum graviſſimè prohibuit: omnis ſermo ſpurcus (πᾶς λόγος σαπρὸς) ex ore veſtro non procedat; Epheſ.4:29. Sicut enim putredo naribus moleſta eſt, & omnia corrumpit, ita ſermonum ſpurcities pijs omnibus adverſa eſt, & bonos corrumpit mores, 1. Cor.15:33. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* *Sicut* etiam ſal à corporibus emortuis, putrefactionem arcet, & *anima* quaſi vice fungitur: ita pietatis & charitatis divinus ſal; omnia contra corruptionem & interitum præſervat. Pietas & fraternus amor, *anima* eſt honeſtæ converſationis. Pietas ad omnia eſt vtilis, 1. Timoth.4.8. *Tandem* ſal temperantiæ quoq; frugalitatis & αὐταρκείας Symbolum eſt. Nam ſalis nomine paſſim frugalitas innuitur, vt apud *Horatium* in odis:

Coloſſ.3.17.
2. SAL putredinem pellit.
3. SAL amicitiæ Symbolum.
Origenes de Iuda proditore.
Iohan.13.18.
Salem Chriſtianum præterire.
Marc.9.50.
Sermo ſale conditus.
Coloſſ.4.6.
Sermo ſpurcus & putridus.
4. Sal inſtar animæ.
5. SAL Αὐταρκείας ſymbolum.

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet, in menſa tenui, ſalinum:

Et in ſermonibus:

Modò mihi ſit menſa tripes, &
Concha ſalis puri:

Hinc qui maximè inter ſe familiares & amici ſunt, & in congreſſibus ſuis, nullos ciborum apparatus aut ſumptus requirunt, *ſalem & cuminum cœnare* dicuntur. Vnde iocus Octavij Cæſaris, qui cum à quodam invitatus, convivio admodum parco & frugali acceptus eſſet, dixiſſe fertur: *Neſciebam me tibi eſſe tàm familiarem.* Familiares igitur tenui ſale, cumino, pane & caſeo contenti ſunt. *At qui Chriſtum habet*, verum ſapientiæ & felicitatis ſalem, is cum ipſo poteſt ac debet maximè contentus vivere. *Quid enim ad te mihi Domine, in cœlo & in terra.* Pſalm.73. verſ. 25. *Quæſtus magnus eſt pietas, cùm animo ſua ſorte contento.*

Salem & Cuminum cœnare.
Octavius Cæſar.

Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his ſimus contenti. 1. Tim. 6. 6. Thom. Morus. *Nudus in hanc terram veni, nudus quoque abibo. Quid fruſtra ſudo, funera nuda videns.*

LEX IV. *De integritate & ſanctitate morum.*

Quarta Lex Templi eſt de morum ſanctitate & iuſtitia piorum ac fidelium. Sic enim Propheta noſter. Ezechiel. cap. 43. v. 7. *Fili hominis, neq; locum ſoli mei, neq; locum plantarum pedum meorum, vbi habitaturus ſum inter filios Iſraëlis in ſeculum, neq; nomen ſanctitatis meæ contaminaturi ſunt Domus Iſraël. Nec ipſi, nec Reges ipſorum, in fornicationibus ſuis, in cadaveribus Regum ſuorum, & in excelſis.* Et verſ. 8. *Apponendo murum ſeu parietem inter me & ipſos.* Vbi *primum* omnium graviſſimum ſanctitatis præceptum obſervandum: Nulla debet eſſe inter Chriſtianos morum pollutio, nulla impietas, nulla Idololatria. 2. *Cauſæ ſanctitatis* obſerventur. Eccleſia namque Domus Dei ſancta eſt. In ſancta igitur Domo, ſanctè converſandum. In Eccleſia, Domo ſancta, Dominus, qui omnium ſanctiſſimus eſt, nobiſcum habitat: In illius igitur conſpectu, ſanctè converſemur. 3. *Præcepti univerſitas* notetur. Non enim aliquibus tantùm ſanctitas præcipitur, reliquis peccandi libertate conceſſâ. Sed tàm *Regibus*, quàm *populo*, ſanctitas edicitur. Nec ipſi, nec Reges, polluent ſanctitatem meam. Nullum igitur Magnates, Principes & Reges, præ ſubditis, peccandi privilegium habent, ſed quantò, cæteris dignitate illi præminent, tantò pietatis etiam & virtutum laudibus alijs præcellant. Non enim, qui alijs prælati ſunt, ipſis tranſgreſſionibus tantùm, ſed plus exemplis peccant: Cùm Regis ad exemplum totus componatur orbis. Et:

1. Sanctè vivendum.

2. In ſancta Domo.

3. OMNIBVS.

NB. Magnates nullam habent peccandi licentiam.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior, qui peccat habetur.

Hinc Magnates & Magiſtratus, non tantùm *primi* puniuntur, Num. 25. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende illos Domino contra ſolem, in patibulis, vt avertatur furor meus ab Iſraël.* Sed *gravius* etiam puniuntur, quàm reliqui, quos exemplis ſuis corruperunt, & ad imitandum ſeduxerunt. *Exiguo namq; miſericordia conceditur: potentes autem potenter tormenta patientur.* Sapient. 6. 7. Minimùm igitur lubere debet, quibus vulgò plurimum licitum eſſe, falsò perſuaſum eſt. 4. *In hac eadem* Lege, natura, vis, & gravitas peccatorum obſervanda eſt. Dicit enim Dominus peccata eſſe *murum ſive parietem inter ipſum & homines.* Quod ipſum illud eſt, quod Eſaias habet: *Iniquitates veſtræ, diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret,* Eſa. 59. 2. O igitur nefaſtum parietem, & exitioſum murum, qui homines non tantum in hac vita, à gratia & miſericordia divina ſeparat, ſed à conſpectu quoque & fruitione vitæ æternæ excludit. Hoc enim eſt *chaos illud, quod inter vitam & mortem, inter cœlum & infernum firmatum eſt,* Luc. 16. Et *foris ſanè ſunt canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium,* Apocal. 22. 15. Quiſquis igitur impœnitens peccata cumulat, ad murum excluſionis & damnationis ſuæ æternæ, congerit cæmenta. O nefarias operas, æterna pœnitudine deplorandas.

4. Peccata ſunt murus inter Deum & homines.

LEX V. *De converſione Iudæorum.*

V. In hoc legum Catalogo, quæ ad Eccleſiam Novi Teſtam. ſpectant, mentio quoque fit converſionis Iudæorum. Ezechiel. 43. v. 10. *Fili hominis, indica Domui Iſraëlis domum iſtam, cùm pudore ſuffuſi fuerint propter iniquitates ſuas, &c.* Et verſ. 11. *Cùm pudore ſuffuſi fuerint, propter omnia, quæ fecerunt.* Ex quibus colligimus tempore Novi Teſtamenti (*hæc enim eſt Domus illa noſtra Prophetica*) aliquos Hebræorum ad agnitionem Dei & Chriſti Salvatoris converſum iri. Qua de re Paulus in Epiſtola ad Roman. ſollicitè ſcripſit. *Dico ergò: Nunquid Deus repulit populum ſuum. Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum, &c. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Hoc eſt, licet magna Hebræorum pars, Chriſtum reijciat & averſetur

Digitized by Google

averſetur, & inde à facie gratiaq; Domini reprobata ſit: non tamen in vniverſum totus populus reprobatus, alioquin & ego Paulus reprobatus eſſem. Quam ipſam ſententiam Dominus apud Ieremiam eſt eloquutus. Ier.31.v.37. *Hæc dicit Dominus: ſi menſurari potuerint cœli ſurſum & inveſtigari fundamenta terræ deorſum; & ego abijciam vniuerſum ſemen Iſraël, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus.* Et rurſum Paulus: Rom.11.13. *Ego miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.* Ergo nec abſolutè, nec omnes Iudæi abiecti ſunt. Et tertiò Paulus: Rom.11.25. *Nolo vos ignorare fratres, myſterium hoc, ne ſitis elato animo, quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret.* Quod ipſum Paulus ex Eſaia probat: *Sicut ſcriptum eſt*, inquiens, *veniet ex Sion, qui eripiat & avertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me Teſtamentum, cùm abſtulero, peccata eorum.* Eſai.59.20. Myſterium hoc, nos, qui iam ſumus in Eccleſia & Domo Domini, non leviter, aut obiter perpendamus. Quemadmodum enim vaticinia de vocatione gentium (*quæ non minùs admirationis habuerunt, quàm Iudæorum converſio*) in temporis plenitudine exactiſſimè completa fuerunt, ita promiſſiones & vaticinia de Hebræorum converſione, non minus certitudinis & veritatis habent. *Quæ meditatio* nos admonere & informare debet, ne gentem Hebræam, vt fieri ſolet, abominemur: ſed promiſſiones divinas, de ipſorum converſione, animis recolentes, ſynceræ συμπαθείας affectu, miſeriam cæcitatis deploremus, converſionem autem ad Chriſtum, ex promiſſis divinis & ſperemus firmiter, & eadem vt maturetur totis animis comprecemur. *Quia non tantùm ſalus ex Iudæis eſt*, Chriſto teſte, Iohan.4.22. Sed *qui propter incredulitatem fracti ſunt, per fidem rurſus inſeri poſſunt, potens enim eſt Deus rurſus inſerere illos.* Roman.11.verſ.23. Graviter igitur peccant Magiſtratus, qui Iudæis non ideò hoſpitia præbent, vt ad converſionem & fidem illos alliciant, ſed cùm avaritiæ & iniquitatis ſuæ technis, ſubditos ſuos emunxerint, & totos exhauſerint, ipſos illi ceu repletas aquâ ſpongias, in proprium commodum exprimant, neque de ſubditorum ſalute, neque de Iudæorum converſione nihil quicquam ſolliciti. Qua in re, vtrum Iudæi ſubditorum expilatores & exuctores, an verò Magiſtratus, ſpoliorum Hebræorum inhiatores, graviùs peccent, non difficile eſt definire. Nota equidem eſt Regula: *Quod quis per alium facit, per ſe feciſſe putandus.* Quin id potius operam dent Magiſtratus, vt ex honeſtis laboribus victum habeant Hebræi, & quibus fieri poteſt rationibus ad Meſſiæ & paratæ ſalutis notitiam alliciantur, promoveantur, adducantur. *Negari* equidem non poteſt, multis privilegijs Hebræos, nobis gentilibus antecellere. *Hebræis* enim promiſſus & exhibitus eſt Salvator: Ex *Hebræis* exorta ſalus: *Hebræo* ſanguine & familia prognatus eſt Meſſias. *Hebræis* primùm concredita ſunt *Teſtamenta, Prophetæ, cultus & verbum* divinum: Ipſi *Bibliothecarij* noſtri fuerunt, atq; adeò ſanè fideles & diligentes, vt Canonica & Prophetica ſcripta non fideliter tantùm & ſtudiosè cuſtodierint, ſed ſingulas quoq; divinę ſcripturę literas numerarint. Qua de re in manu ſunt τετράστιχα Hebræa Rabbi Sedaiæ, hominis in ſcripturis divinis & earundem integritate conſervandâ mirandùm ſtudioſi. De ſingulis enim lit. Hebraicis τετράστιχα cecinit (pauciſſimæ, vt Caph, Nun, Zade, ὀκτάστιχα requirebant) illiſq; quoties quælibet litera in ſcripturis extaret, mirando ingenij acumine, nec minore rerum ſacrarum ſtudio feliciſſimè expreſſit. *Nolo* omnia referre, ſed duas tantùm vel tres delibabo literas. *Rariſſima* omnium in tota ſcriptura ſacra eſt litera *Thet*. Hæc enim non ſæpius, quàm 11052. hoc eſt, vndecies millies quinquagies & bis legitur. *Frequentiſſima* omnium eſt litera *Mem*, hæc enim, recenſente Rabbi Sedaia 77778. hoc eſt, ſeptuagies ſepties millies, ſeptingenties, ſeptuagies octies occurrit in ſacris. *Minima* omniū Hebr. lit. *Iod*, de qua Chriſtus apud Matthæū: c.5.18. *Amen dico vobis, donec tranſeat cœlū & terra, Iota vnū aut vnus apex, nō præteribit à lege, donec omnia fiāt:* Hęc inq̄, omniū minima

NB. Hebræi nec ABSOLVTE *nec* OMNES *reiecti ſunt.*

MYSTERIVM *de converſione Hebræorum.*

Piorum affectus erga Iudæos.

Magiſtratus Iudæorum receptatores, graviter & in illos & in Hebræos peccant.

Privilegia Hebræorum.

Hebræi Bibliothecarij noſtri fideliſſimi & diligentiſſimi.

Τετράστιχα Rabbi Sedaiæ.

minima litera, Carmine Sedaiano recenſente, occurrit in ſacris 66420. hoc eſt, ſexagies ſexies millies, quadringenties, vicies. Ex hoc numero, Chriſto pronunciante, nec vnicum periturum eſt. Eadem eſt ratio & diligentia in omnibus Hebr. literis apud Rabbinum Sedaiam. Hæc autem ideò attingere volui, vt non tantùm admiranda Hebr. diligentia & ſtudium, in aſſervanda ſcripturarum integritate innoteſceret, verùm etiam, vt hanc ipſam ob cauſam, *Bibliothecarios* noſtros, ex quorum manibus, vetus Teſtamentum, tàm ſtudioſè adſervatum accepimus, diligere, & ad Meſſiæ cognitionem, qui in vet. ſcripturis promiſſus & adumbratus, in Novo autem Teſtamento exhibitus, & Evangeliſtarum, Apoſtolorumq; ſcriptis prædicatus eſt, maiori ſtudio & zelo, quàm hactenus factum, allicere atq; adducere incipiamus. *Sed* & pudorem hæc eadem nobis incutiant, quando audimus, Veteres Hebræos, tanto cum ſtudio & admirandâ diligentiâ in ſcripturis ſanctis verſatos fuiſſe, vt ſingulas etiam literas, quoties quælibet in ſacris occurreret, in numerato haberent, qua certè cum diligentiâ pauci noſtrũ certabunt. Sed Servatoris exhortationē attendamus: *Scrutamini ſcripturas, ſcrutamini, ſcrutamini Scripturas,* inquit Chriſtus. Quæ res & Hebraicæ literaturæ cognitionem, & ardens frequensq; Lectionis ſacræ ſtudium & aſſiduitatem requirit. Pudeat nos Chriſtianos, ab Hebræis, quorum tamen ante oculos velamen poſitum eſt, in ſcripturarum ſtudijs præripi palmam.

Diligamus Bibliothecarios noſtros.

Eorundemq; æmulemur diligentiam.

III.

DE CVLTORIBVS OMNIVMQVE *piorum & membrorum Eccleſiæ muneribus atque officiis.*

LEGES TEMPLI SPECIALES.

HActenus de Templi gloria, & Legibus eiuſdem generalibus: Iam, de *muneribus* & *officijs* eorum, qui in Templo vivunt, vbi in *ſpecie*, de muneribus Sacerdotum: officijs Principum: ac populi: meditandum. Sed de hiſce omnibus, tantò breviùs, quantò clariùs patent ex textu.

1. TABVLA LEGVM *quæ concernunt Sacerdotes.*

LEX I. *De indignis Eccleſiæ miniſtris.*

1. Falſi Doctores.

2. Polluti moribus.

Prima Lex eſt, de conſtituendo miniſterio, vbi primùm per remotionem oſtenditur, quinam ad miniſterium ſint inhabiles, & hoc per exprobrationem, Ezech. 44.7. *Introduxiſtis alienigenas, præputiatos corde, & præputiatos carne.* Hi ſunt, *falſi Doctores* & Pſeudoprophetæ, homines infideles animis, & corruptis moribus, hoc eſt, cordis & carnis præputium. De his grauiter Chriſtus: *Cavete vobis à Pſeudoprophetis,* Matth. 7.15. Et Paulus ad Philip. 3.2. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* Sed non tantùm illi ad verbi miniſterium non adhibendi ſunt, qui non habent ſanam doctrinam, ſed & illi, qui pollutis moribus ſanæ doctrinæ curſum inhibent & infringunt. Qui enim docent tantùm, nec faciunt, illi præceptis ſuis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cùm ipſi Preceptores, & Eccleſiæ Doctores doceant non obtemperare? *Bonum eſt recta & honeſta præcipere, ſed niſi & facias, mendacium eſt* (docentis videlicet reſpectu) *Et incongruum atq; ineptum eſt, non in pectore, ſed in labijs habere bonitatem.* Vt *Lactantius* meminit lib. 3. divin. Inſtitut. cap. 16. Qua de re Paulus: *Qui alium doces, teipſum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis, non mæchandum, mæcharis, qui abominaris Idola, ſacrilegium facis, qui de lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras,* Rom. 2.21. Cuiuſmodi, vel omninò non admittendi, vel officio removendi, vel etiam ſi pœnitentiam non egerint, ipſâ quoq;

Rom. 2.21.

Indigni miniſtri quomodo tractandi.

Digitized by Google

quoque Eccleſiâ, & communione ſanctorum eijciendi privandique fuerint, de quibus omnib. Ezechiel citato loco copioſiùs tractat: Et Salvator, Matt. 18: v. 6. *Qui ſcandalizaverit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola Aſinaria de collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis.* Scitum eſt *Senecæ* dictum in inertes Philoſophos, quod nos de indignis Theologis & Eccleſiæ miniſtris intelligere poſſumus: citat illud Lactant. lib. 3. divin. Inſt. c. 15. *Plerique,* inquit ille, *Philoſophorũ* (nos de diſſolutis Theologorũ accipimus) *diſerti ſunt in convitiũ ſuũ, quos ſi audias in avaritiã, in libidinẽ, in ambitionẽ perorãtes, in iudiciũ ſuũ putes profeſſos. Adeò redundãt in ipſos maledicta in publicũ miſſa: quos nos nõ aliter intueri decet, quàm medicos, quorũ tituli remedia habẽt, pyxides venena.* Hæc ille. Omnis igitur vita ac morib. diſſolutus verbi miniſter, graviſſimus ſui ipſius accuſator, & ſeveriſſimus Iudex eſt: redundantibus in ipſum, & reciprocantib. omnib. maledictis & pœnis, quas aliorũ vitijs & peccatis interminãtur.

Secunda Lex eſt, de vera & legitima conſtitutione miniſterij. Indignis namq; remotis, de dignis eſt diſpiciendum. Qua de re Ezechieli noſtro Dominus ita eloquitur: Ezech. 43. 19. *Qui ſunt de ſemine Tzadoc, appropinquabunt ad me, vt miniſtrent mihi.* Et c. 44. 15. *Sacerdotes Levitici, filij Tzadoc, qui obſervãt obſervationem ſanctuarij mei, &c. ipſi appropinquabunt ad me, vt miniſtrent mihi, &c.* Is nimirùm ad Eccleſiæ miniſterium legitimè vocari poteſt, qui eſt filius Tzadoc, hoc eſt, qui iuſtus & integer eſt. Nam צֶדֶק *iuſtum & rectum* ſignificat. Illa verò iuſtitia, in doctrinæ & morum ſynceritate & puritate conſiſtit. In vtraque harum, qui excellit, excellens ibidem verbi divini miniſter futurus eſt. In alterutro, qui deficit, is in legitima miniſtri qualitate, haud parum deficit. De hiſce ipſum nomen Tzadoci nos monet: Sed & eiuſdem hiſtoria mente recolenda. *Scimus* enim in extremis agente *Davide* Rege, & inſcio illo Regnum invadente Adonia, Sacerdotem Abiathar, Adoniæ Rebellantis partes ſequutum, eamq; ob cauſam à Salomone Rege, ab officio Sacerdotali remotum, & Tzadocum in locum ipſius ſubſtitutum eſſe, 2. Reg. 2. v. 26. 35. Nullus videlicet *Apoſtata* Regis Salomonis, nullus *ſeditioſus*, hoc eſt, nullus à Chriſto & fide Evangelica deſciſcens, nullus eidem repugnans, miniſterio in Eccleſia dignus eſt: ſed Chriſto fidem ſervet, Chriſto obedientiam præſtet, qui legitimus in domo ipſius, ſervus & miniſter eſſe velit. Filius igitur Tzadoc non eſt, neque *Papa*, Pontifex Romanus, qui in omnibus ferè Articulis, Regi Salomoni contradicit, & malis conciliatis artibus, eundem & Regno & officio regio abdicare, quotidiè ſtudet. *Quòd* enim invocationis & adorationis cultum ad *Sanctos*, cùm primis etiam ad D. Deiparam virginem *Mariam* dirigere docet: *Quòd* verbo divino, infinitas humanas traditiones aſſuit: *Quòd* operum meritis, gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, & vitæ æternæ præmium aſſignat: & quæ id genus alia infinita ſunt, Iſthæc omnia ſunt ſtudia ſeditioſi Sacerdotis Abiathar, qui Salomonem Regno eijcere, Chriſtum redemptionis gloria privare, & ſeipſum aut traditionum ſuarum Ioabum ſeditioſis, regio inſinuare Throno auſibus annititur. *Eadẽ* ſunt planè ſtudia Calvinianæ factionis. Hæc. n. Salomonẽ noſtrum, Chriſtũ Regẽ, omni ſua regia maieſtate & gloria exuere, totũ depauperare, & extorrẽ facere, omni conatu ſatagunt. Sed qui fuit Adoniæ, qui Ioabi, qui Sacerdotis Abiathar exitus, idẽ ſpiritualis, niſi ſeriã pœnitentiam egerint, omnibus Salomonis noſtri adverſarijs certò metuendus. Sapientiſſimus. n. eſt. Rationes inveniet ſui tuẽdi, potentiſſimus eſt: virib. nõ deficit conterendi hoſtes. Quotquot igitur non ſunt de ſemine Tzadoc, & ipſũ iuſtũ noſtrũ, laudib: & præconijs celebrantes: in doctrina non integri, nec in vita ſynceri & puri, indigni illi ſunt verbi miniſtri, cũ Abiathar removendi: & niſi pœnitentiam egerint, cũ ſeditioſis malè perdendi. Qui verò in doctrina & morib. צדיקים, h. e. iuſti, integri & ſancti fuerint, illi nõ tantum in hac vita, corã Deo noſtro, munere ſacerdotali pfungẽtur, ſed vitã functi, cũ Tzadoc, cũ omnib. Prophetis, Electis & Angelis, eundẽ in æterno beatitatis tẽplo, æternũ laudabũt & cõcelebrabũt.

LEX II. De id[illegible] & digno Eccleſiæ miniſtro.

Illi ſunt, qui in doctrina ſyn[illegible] in moribus integri ſunt.

Hiſtoria Tzadoci.

Papa non eſt Filius Tzadoc.

Calviniani Doctores non ſunt filii Tzadoc.

Tertia

LEX III. *De Principe Sacerdotum eiusq; ingreſſu per portam clauſam ſanctuarii.*

Tertia Lex eſt de ſummo Sacerdote,& eiuſdem ingreſſu per portam clauſam, quam Ezechiel.cap.44.v.1.2.hiſce verbis recitat: *Et reduxit me via portæ ſanctuarij exterioris, quæ ſpectat orientem. Et dixit ad me Dominus, porta hac clauſa eſto,non aperitor,& nemo ingrediatur per eam,quia Dominus Deus Iſraëlis ingreſſus eſt ea, eſto igitur clauſa. Præter Principem: Princeps aſſidebit ei, vt comedat panem coram Domino, &c.* Verſionem ex Hebræo horum verſuum in textu demonſtravimus, cum genuino verborum ſenſu. Iam meditamur inde meditationes ſpirituales. Mentionem facit Propheta ſanctuarij exterioris. Tres enim ſunt Templi partes. Porticus, Templum & ſanctuarium. Quorum hoc dicitur ſanctum ſanctorum, vel ſanctuarium interius. Templum verò, ſeu Templi media pars,dicitur *ſanctuarium exterius.* Propheta igitur portam ſanctuarij exterioris vidit clauſam,& accipit ſimul mandatum, nemini per eam ingredi licitum eſſe,niſi Principi Sacerdotum. De hoc enim, non de Principe populi intelligendum eſſe,in textus explicatione probavimus. Nihil igitur hîc de porta ſanctuarij interioris,ſeu ſancti ſanctorum,per quam in Veteri Teſtamento,ſoli Sacerdoti ſummo, & ſemel tantum in anno, & cum ſanguine intrare licuit. (*Hebr. 9.7.*) Illud enim Typum habuit venturi Meſſiæ, ingreſſuri per ſanguinem in ſancta. Sed hoc *Templum noſtrum*,ipſum Novum Teſtamentum eſt,non typos aut vmbras,ſed rem ipſam & veritatem habens. *Chriſtus enim ſummus Pontifex per amplius & perfectius Tabernaculum,non manufactum,hoc eſt,non huius ſtructura, neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum ,ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta,æterna redemptione inventa.* (*Hebr. 9.11.*) Nihil igitur hîc de clauſo ſancto ſanctorum, quod Chriſtus paſſione & morte ſua reſeravit, æterna redemptione inventa.

MISSA *Idololatrica.*

Quod ſanctum ſanctorum, Chriſti ſanguine recluſum,clauſum & obſeratum fingunt *Pontificij* Miſſatici, quoties in Miſſa ſua Idololatrica,Chriſtum vt ipſi quidem ſomniant,ſed in rei veritate, nihil aliud, quam panem & vinum,pro vivorum & mortuorum peccatis,ſacrificium propitiatorium offerunt.In quo dogmate,tot ferè Idololatriæ & blaſphemiæ latent, in vnicum & perfectiſſimum Chriſti Salvatoris expiatorium,quot ſyllabæ ſunt & apices. Nihil igitur, inquam,hîc de clauſo ſancto ſanctorum, ſed de clauſo oſtio, ſanctuarij *exterioris*,hoc eſt Templi,ſeu partis mediæ, Ædis ſacræ. Hanc portam dicit Dominus, debere clauſam eſſe, & nemini per eam ingredi licere, niſi Principi Sacerdotum,addita ratione,quia Dominus per illam ingreſſus ſit, hoc eſt, locum propter Domini præſentiam, reverendum, ſanctum & inviolabilem eſſe.

Chriſtus ſolus Eccleſiæ oſtium.

Hic Princeps eſt Chriſtus Salvator.Hic enim vnus & ſolus eſt ſummus Novi Teſtamenti Sacerdos & Pontifex. Hic vnus & ſolus Eccleſiæ ſuæ fundator,director,& caput eſt. Extra hunc neminem alium,Eccleſiæ Principem, Sacerdotem & caput,fingere vel intromittere licet. Non enim *alius Salvator, nec aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri, quam nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Actor.4.12. *Ego ſum via,veritas,& vita*,inquit Salvator, *nemo venit ad patrem,niſi per me*, Iohan.14.6.

Per ſolum Chriſtum acceſſum habemus ad Patrem.

Certa igitur ſalus eſt,& abſolutiſſimum Redemptionis opus,quod Chriſtus ingreſſu ſuo in ſanctum ſanctorum, æterna inventa redemptione,perfecit (vt paulò ante meminimus) *Verùm*,vt impetratis beneficijs frui poſſimus,non alium habemus *aditum*, quam per ipſum illum ſummum noſtrum Pontificem, & Principem Sacerdotum, Chriſtum Dominum noſtrum Salvatorem,per hunc venire oportet ad patrem, quicunque venire voluerit. *Hinc iam* iudicare licet, quam graviter hoc Domini mandatum violent,quicunq; privilegium, ſoli Sacerdotum Principi conceſſum, quaqua ratione contaminare præſumpſerint.

VIOLATORES I. *Pontificii hanc legem multipliciter tranſgrediuntur.*

Cuius generis divini mandati violatores ſunt, qui præter Chriſtum, fide apprehendendum,alios ingreſſus, & præter Dominicum verbum,per quod hic Princeps Sacerdotum, in Eccleſia ſua dominatur, alias hominum traditiones, vanas illas & phanaticas ſibi imaginantur. Quorum in Catalogo ſunt omnes Pontificij & Ieſuitici Do-

ctores,

Digitized by Google

ctores,qui præter fidem ſalvificam,multiplices introitus fabricantur, & Principi noſtro Sacerdotum,retrò & antè, & vtrumque claudentem latus ingentem ſatellitum catervam,vbique adiungunt. Has copias ſi luſtrare lubeat,omnes monaſticos & moniales ordines, omnia traditionum humanarum merita, omnia peregrinationum ad divos, omnia precationum, ieiuniorum omnia,diurna nocturna exercitia, & labores, ipſos denique ipſius purgatorij ignis flammas,atque incendia luſtrare atque examinare neceſſum fuerit: Hoſce enim & plures alios leviſſimos & vaniſſimos calones, Chriſto Sacerdotum Principi, in Eccleſiæ regnique cœlorum introitu comites adiungunt. Quid autem ad mandatum hoc: *Præter Sacerdotum Principem,nemo ingrediatur*, olim reſpondere velint, maturè ipſis eſt deliberandũ. *Porro* hoc ipſum quoq; mandatum haud levius violant, qui in Ædem ſacrã irruentes, & Principi Sacerdotum,quomodo in Templo ſuo regnare debeat, & leges præſcribunt, & ne quid contra falſos Doctores in Eccleſia duriùs pronuncietur,magna cum Authoritate prohibere tyrannicè præſumunt. Hi ſcilicet Magiſtratus,quos Deus populi Principes conſtituit, ſeipſos non tantùm Sacerdotum quoq; Principes faciunt, & cum vero Principe, qui vnus & ſolus eſt Eccleſiæ ſuæ Dominus,in Ædem ſacram,contra *expreſſum Domini edictum*, perrumpũt, verùm eidem,quid contra priores & dudum promulgatas leges, ſtatuendum, mutandumq; ſit,nefarijs auſibus dictitant. Licet enim Politico Magiſtratui,vnà cum ſecunda Decalogi Tabula,etiam primæ cuſtodia demandata ſit: Præcipere tamen,vt illius annunciatio,& declaratio,ad hominis arbitrium, & privatorum affectuum complacentiam fiat: id verò in Principum & Magiſtratuum poteſtate ſitum NEQVAQVAM eſt. Sed quicunq; hæc præſumere auſi fuerint, illi ſe contra Domini mandatum ſeditioſoſ,& reverentiæ terminos prætergreſſos eſſe,atq; in portam ſibi clauſam,temerè irruere noverint. *Quouſq;* autem Principi accedere liceat,infra ſuo loco Lex loquutura eſt peculiaris.

Adiungentes Principi Sacerdotum magnam calonum catervam.

II. Magiſtratus,qui falſos Doctores taxandi verbi miniſtris frena inijcere præſumunt.

IV. Conſtituto Sacerdotali ordine, & monſtrato Principis Sacerdotis privilegio. In reliquo cap.44. Ezechielis, à verſ.17. nimirùm vſq; ad finem capitis recitantur,de officio vita & moribus Sacerdotum Leges & Regulæ ſingulares, quas breviter videbimus.

LEX IV. Regulas vitæ exponit quas verbi Eccleſiaq; miniſtri obſervent.

Prima eſt de veſtium cultu & habitu Sacerdotali: Illas lineas & mundas eſſe oportet: ne quicquam vel ſudoris vel immunditiei adhæreſcat. Mandæ quoque ſunt illæ veſtes Sacerdotales, quoties illi ex loco ſacro ad populum egrediuntur,verſ.17.19. Miniſtri videlicet rerum divinarum,res ſacras tractantes,ſacrâ ſemper ſanctitate, puritate & gravitate ſplendeant: nec vllâ vel verborum,vel morum levitate aut ſpurcitiâ,rerum ſacrarum ſanctitatem & cultum contaminent:neq; etiam veſtes ſacras,publico vſu prophanent. Vtrumque igitur Eccleſiæ miniſtro attendendum: tùm vt in rebus ſacris peragendis, decenti cum gravitate & ſanctitate verſetur,tùm vt ad populum egrediens, veſtes ſacras mutet,hoc eſt,res ſacras prophano vſu non faciat communes. Quam legem illi notanto, qui in concionibus dandis, res ludicras & nugatorias proponunt,Theatro ſcenico magis,quàm Cathedrâ Templi ſancti dignas. Deinde & illi,qui ſacræ ſcripturæ,& Spiritus ſancti Axiomata, inter pocula & jocos ceu ludicra & iucunda Emblemata admiſcent,aut quacunq; alia ratione,divino nomine abutuntur. Hiſce enim dicit Dominus: *Cur recitas ſtatuta mea, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum.*

REGVLA I. Miniſtri Eccleſiæ res ſacras ſacrâ Religione tractanto.

Abuſus nominis divini.

Regula ſecunda,de cultu corporis diſponit,v.20. Sacerdotes nec radere debent,nec calvum reddere caput ſuum, nec immoderatam alere Cæſariem, *cultum videlicet* & habitum corporis Sacerdotum, honeſtum & moderatum eſſe decet,& cum primis vitandum,ne cum mobili vulgo,quod indies aliquid novi invenit, inconſtanti Levitate circumrotetur. Antiquis temporibus calvitium fuit,& vltra mediocritatem promiſſa Cæſaries. Eadem hodie vitia

REGVLA II. Cultus corporis Eccleſiæ miniſtrorum gravis eſto.

Multorum Levitas & inconſtantia.

regnant:& multi noſtrûm damnatâ κακοζηλίᾳ, vulgi levitatem perversè æmulantur:Iam crines cincinnatos,criſpatos,intortos,retortos,promiſſos,& cervice dependulos: Iam thoraces,iam caligas , iam calceos , iam pileos,iam ſinuoſa volumina colli,iam aliquid aliud. Quæ inconſtantia, *divina huic legi* non tantùm è diametro contraria eſt , ſed leves , inconſtantes , & immorigeros arguit animos: quibus, quid Legiſlatori noſtro Prophetico, reſpondere olim velint, graviter meditandum relinquitur. Auguſtin.in Pſalm.33. *Exultate iuſti in Domino.* De hoc Argumento ita commentatur : *Amatores ſi amatis placeant , non curant eos, quibus diſpliceant ,putantes ſibi ſufficere , quòd earum oculis placent, ad quas affectant: & plerunq; gravibus diſplicent , immò ſemper gravibus diſplicent, & meliore iudicio reprehenduntur. Non bene tonſus es, dicit vir gravis laſciuo adoleſcenti, non te decet cum talibus cincinnis incedere. Novit autem ille capillos ſuos placere, neſcio cui. Odit te reprehendentem vero indicio, & ſervat in ſe, quod placet perverſo conſilio. Inimicum te putat, quia turpitudinem demis. Fugit oculos tuos & omninò non curat quâ regulâ iuſtitiæ reprehendatur.*

Auguſtin. Tom.8. volum.210.

REGVLA III. Temperantia colitur.

Tertia Regula temperantiàm moderatur , verſ.21. *Vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt Atrium interius.* Levit.10. verſ.9. Tranſgreſſoribus pœnam capitis decernit : *Vinum & omne , quod inebriare poteſt , non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in Tabernaculum teſtimonij, ne moriamini.* Ebrietas enim in omnibus hominibus vitium eſt,in fæmineo ſexu turpitudo , in Eccleſiæ verò verbiq́ue miniſtris SCELVS.

REGVLA IV. Nuptiarum honeſtas obſervatur.

Prohibitio nuptiarum dogma Dæmoniorum.

Quarta Regula de nuptijs diſcernit: Aut virginem , aut defuncti Sacerdotis viduam ducant. Repudiatam autem, vel alius conditionis viduam, ne ducant. Ezechiel.44.verſ.22. Ex qua lege patet *primùm*, Dæmoniacum eſſe Pontificiorum dogma: qui Sacerdotibus , Monachis , monialibus, & toti clericorum ordini , nuptijs interdicunt. Quod dogma præſenti conſtitutioni, quod Novi Teſtamenti eſt,totum adverſum eſt. Quia Regula noſtra , Sacerdotibus non tantùm honeſta matrimonia concedit , ſed etiam quas vxores ducere , quas non ducere liceat expreſſis verbis definit. Quæ Legis perſpicuitas vllis cavillationum fraudibus ac technis, non magis obſcurari aut corrumpi poteſt, quàm Apoſtolica definitio, 1.Timoth.3. verſ.2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe , VNIVS vxoris virum, &c. qui domui ſuæ bene præſit, filios habentem ſubditos cum omni honeſtate.* Frivolum enim & pucrile eſt , hæc de Eccleſia interpretari velle. Epiſcopus enim non eſt Eccleſiæ *maritus*, quæ ſolius Chriſti ſponſa eſt. Neque eadem hæc Epiſcopi ſed Domini Domus eſt. Et filiorum mentionem faciens Apoſtolus,non de auditoribus , ſed de liberis Epiſcopi loquitur, qui non ex doctrina, ſed de ſanguine ipſius nati ſunt. *Deinde*, eadem Regula in ipſo matrimonio contrahendo,puritatem , ſanctitatem, honeſtatemq́ue commendat , dum virginem ducendam præcipit , non repudiatam aut pollutam. *Tandem* viduæ Sacerdotum,ſolatium hoc loco habent, quàm fideliter ipſis & peculiariter Dominus proſpiciat , dum *lege latâ* , in conciliandis Sacerdotum nuptijs, cum virginibus illas vult æquiparandas. *Virginem aut Sacerdotis viduam accipient.* Quæ peculiaris proviſio, peculiare Sacerdotum & Eccleſiæ miniſtrorum viduis ſolatium eſſe debet. Nam Dominus, qui omnium orphanorum viduarumq́ue parens eſt, pro Sacerdotum viduis, peculiares gerit paternasq́; curas.

REGVLA V. Eccleſiæ miniſtri divinam veritatem fideliter docento: falſa dogmata diligenter refutanto.

Quinta Regula de exequendis officij rationibus loquitur , Ezechiel. 44. verſ.23.24. Sacerdotes populum doceant,controverſias dirimant,& feſtorum ſolennitates obſervando Sabbatha ſanctificent. *Oportet enim Epiſcopum tenere eum, qui ſecundum doctrinam eſt , fidelem ſermonem ,vt potens ſit exhortari in doctrina ſanâ, & eos, qui contradicunt arguere* Tit.1.9. Vtrumque videlicet à fido verbi miniſtro requiritur, vt *docendo*, in ſana puraq́ue doctrina, ſuos auditores erudiat, &

confutando,

Digitized by Google

confutando, falſa & erronea dogmata refutet. Id quod Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli omnes diligenter obſervarunt. Exemplo eſt, prolixa illa & politiſſima concio Servatoris, quam in monte habuit, referente Matthæo, cap. 5. 6. 7. Vbi non tantùm falſa Hebræorum dogmata, in ipſa concione, copiosè confutavit, ſed ſub finem graviſſimam hanc & generalem exhortationem ſubiunxit: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, &c.* Matth. 7. 15. Et Paulus Epheſiorum Presbyteros Miletum evocatos, hiſce verbis exhortatur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, paſcere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit proprio ſanguine ſuo. Ego enim ſcio, quoniā intrabunt poſt diſceſſionem meam, lupi graves in vos, non parcentes gregi*, Actor. 20. 28. Et ad Philipp. cap. 3. 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* Sic 1. Iohan. 4. v. 1. *Chariſſimi, nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt, quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Iniurij igitur & violenti in Deum ſunt, qui contra haſce leges, de dirimendis controverſijs, quæ in Eccleſia ſpirituales ſunt, cohibere fideles miniſtros præſumunt, ne contrà falſos Doctores quicquam loquantur, aut perverſa dogmata refellant.

REGVLA VI. *Fidelis Eccleſiæ miniſter nullis rationibus in officio ſuo ſe impediri patitor.*

Sexta Regula ſanctificationem propter luctum in mortuos tuetur. Ezechiel. 44. verſ. 25. Non licere Sacerdotibus, vt luctui, *niſi in primo gradu*, indulgeant. *Nihil* videlicet in externis, tàm grave videri debet Eccleſiæ miniſtro, quod ipſum ab officio & ſtudio rerum ſacrarum abſtrahat. Si enim propinquorum obitus tanti ponderis eſſe non debet, quantò minus vlla reliquarum occupationum, otia rerum ſacrarum faciat. Qui enim aratro manum appoſuit, retrahere eandem non poteſt, & qui animum ſuum eò applicuit, vt diſcat legem Dei, neceſſe eſt, vt ſapientiam antiquorum Scriptorum exquirat, & in lectione Prophetarum verſetur, &c. Eccleſ. 39. 1. Scrutandum ſcripturas, attendendum Lectioni, indaganda, & firmanda veritas, profliganda falſa dogmata, viſitandi ægroti, erigendi afflicti, conſolandi triſtes, & quæ alia ſunt fidelis miniſtri officia & munera, quæ totum requirunt hominem, neque vt aliena tractet concedunt. Vnde *Gregorius* in moralib. libr. 7. cap. 27: *Qui terrena deſiderant, conſiderare ſublimia non præſumant.* Quam legem illi miniſtrorum obſervabunt, qui ſe officio ſuo probè functos exiſtimant, ſi die Dominico, ex poſtillatore aliquo, aliquid ſermocinentur, reliquum omne tempus, vel otio conſumunt, vel iucundis deambulationibus vel compotationibus, vel rei familiaris occupationibus, vel alienis deniq; ſtudijs, quibuscunque illis, nobile tempus tribuunt, quod omne, in rerum ſacrarum meditationibus & exercitijs erat inſumendum. *Perpende*, divinâ lege, neque luctui indulgere conceſſum eſſe, niſi in proximo conſanguinitatis gradu, ne videlicet in officio & miniſterio publico, quicquam negligatur aut prætermittatur. Quomodo igitur turpiſſima ſua otia, aut non neceſſarias & alienas occupationes, multi miniſtrorum, Domino Salvatori, capiti Eccleſiæ, excuſabunt.

Terrena deſiderans, cæleſtia conſiderare non poteſt.

NB.

REGVLA VII. *De Salario Sacerdotum.*

Septima & poſtrema Regula, eſt de *ſalario* & mercede Sacerdotum, Ezechiel. 44. v. 28. 29. 30. Quæ ita diſponit, nullam quidem certam portionem, in terræ diviſione, Sacerdotibus, ſicut reliquis tribubus adſignandam eſſe; ſed ex ſacrificijs & frugum primitijs illos alendos, ... ratione: *Ego enim ſum poſſeſſio eorum.* Vnde hoc *primum* patet, fideli Eccleſiæ miniſtri, hanc *poſtremam* debere curam eſſe, vt de ſalario, & mercedis quantitate ſollicitus ſit. Poſteaquam enim de *omni officio* legis fixit Dominus, iam omnium poſtremò de ſalarij & mercedis rationibus hanc poſtremam addit. Quam methodum, non pauci invertunt, & primas de ſalario curas ſuſcipiunt, de officij partibus non tantâ anxietate ſolliciti: Sed Tabularum noſtrarum leges alio ordine loquuntur, quem turbare nefas putandum eſt. *Primum omnium*

Mercedis poſtrema cura.

Ὕϛερον πρότερον.

Dignus eſt mercenarius mercede ſua.

Regnum Dei quærendum & iuſtitia eius,& cætera adijcientur. Matth.6.33. *Deinde* ex eadem Regula hoc etiam fit perſpicuum : dignos eſſe mercenarios mercede ſua. Licet enim Eccleſiæ miniſtris ſalarij curas non primas eſſe liceat, eoſdem tamen honeſtè alendos eſſe, Dominus hac ipſâ lege definitum & cautum eſſe voluit. Sacrificia namq; & primitias cedere vult in vſum Sacerdotum, quâ ratione omnes homines vult obligatos eſſe, vt quiſque pro viribus & facultatibus ſuis, Eccleſiarum ſcholarumque miniſteria, iuvent, foveant, promoveant, ornent. Triſtiſſima namque Eccleſiarum ſcholarumque facies eſt, quando miniſtri officium *cum gemitu lacrymiſq;* faciunt, Heb.13. verſ.17. Et præter illud, quod, qui *Altari ſervit, de Altari meritò vivit*, cogitabunt Auditores, quid compendij lucrique ſit, quando ipſi in ſpiritualibus erudiuntur, ſi viciſſim maximè miniſtros in carnalibus ſuſtentent. *Poſtremò* in hac Regula, omnes Eccleſiæ miniſtri, *dignitatem* & gloriam, atque *incomparabiles ſuas divitias* contemplari ijsque meditandis, non tantùm excitari in officijs ſuis, verùm contra omnes impatientiæ & turbationum impetus, inſuperabili fortitudine animari atque armari debent. Sic enim Dominus, de Sacerdotibus & Eccleſiæ ſuæ miniſtris : *Poſſeſſionem non dabitis eis, in Iſraël : EGO ENIM POSSESSIO EORVM.* O admirabiles & ſuperabundantes, fidelium miniſtrorũ divitias! O Theſauros, nulli humanæ eloquentiæ explicabiles! DOMINVS eſt POSSESSIO MINISTRORVM ECCLESIÆ. Quis quæſo mortalium, poſſeſſionem hanc vel recenſendo enumeraret? Quis definire amplitudinem? Quis magnitudinem emetiri, quis admirari dignitatem poſſit? In veritate namque admiratione dignum eſt, quòd Dominus SEIPSVM fidelibus Eccleſiæ ſuæ miniſtris, POSSESSIONEM pollicetur: EGO POSSESSIO eorum. Si domos, agros, vineas, ſi latifundia, vrbes, & Regna, ſi argentum, aurum & gemmas, ſi honores, gaudia, & longævitatem ſine omnibus offenſionum turbis, omni felicitate affluentem Eccleſiæ miniſtris Dominus pollicitus eſſet, nunquid illos, omnes vbique mortales, vnoore omnes & ſingulos, maximè omnium terq; quaterque feliciſſimos & beatiſſimos prædicarent, mirarentur, adorarent? *Ita puto.* Iam autem dic tu mihi, *amabo te*, qui veri Dei notitiâ imbutus es, quid ſunt omnes mundi Theſauri, quid florentiſſima Regna, quid divitiæ divitiarum, ſi ad DOMINVM conferantur? NIHIL ſunt, & minus, quàm NIHIL. Hîc enim Inſulæ & populoſiſſima Regna evaneſcunt, hîc aurum & argentum in paleas abeunt, Craſi divitiæ non vnicum formicularum cumulum poſſunt æquiparare.

Dignitas & divitiæ miniſtrorum verbi.

NB. DOMINVS EST POSSESSIO FIDELIVM MINISTRORVM VERBI.

SOLATIVM ET GAVDIVM fidelium Eccleſiæ miniſtrorum.

Perpende igitur tecum, quiſquis fidelis Eccleſiæ miniſter es, quas tu divitias, quos Theſauros poſſideas, qui Dominum poſſeſſionem tuam poſſides, quamcunque pauper, quamcunque abiectus & contemptus in ſtulta mundi fabula videaris. Quid deeſſe tibi poſſit, qui Dominum poſſides, qui eſt omnia in omnibus? Quid rerum humanarum patientiam tuam frangat, quoties poſſeſſionis tuæ recordaris, in qua habes omnia? Qui contemptus te fatiget, cùm ſcias poſſeſſionem tuam eſſe decus & honorem, & DEVM à myriadibus Angelorum laudatiſſimum in ſecula? Hæc quiſquis fidelis Eccleſiæ miniſter, piè ſecum meditatus fuerit, non dubito, quin miniſterij ſui dignitatem & gloriam, & POSSESSIONIS ſuæ ſuperabundantes, incomparabiles, atque inexplicabiles divitias, cum Imperij omniumque mundi Regnorum *maieſtate* non ſit commutaturus. Nam meditatio hæc, ſi debita cum gravitate, & pietate, à fidelibus verbi miniſtris ſuſcipiatur & quotidiè repetatur, per Dei gratiam omnibus pijs & fidelibus & officiorum diligentiam, & ſtudiorum alacritatem, & malorum patientiam, & ingrati mundi contemptus elatum contemptum, & futuræ æternæ beatitatis gloriæ, iucundam, beatam, conſtantem, & omnium adverſitatum victricem & ſemper exultantem

Digitized by Google

exultantem contemplationem ingenerabit. DOMINVS POSSESSIO TVA, hic eſt omnia, in hoc habes omnia, in hoc vince omnia, in hoc ſperato omnia. Hunc poſſidens poſſidet omnia, & hunc denique agnoſcens ſpernit omnia.

Deum agnoſcens ſpernit omnia.

2. *TABVLA LEGVM quæ Principem concernunt.*

HActenus Leges Sacerdotales habuimus, quibus & Sacerdotium conſtitutum eſt, & omnia Sacerdotum explicata munera: Iam ſequitur ſecunda Tabula recitans Leges *Principis*.

LEX I. De portione Principis.

Prima Lex eſt, de *portione & poſſeſſione* Principis, quæ à quadrato ſancto, hinc & hinc, ibi ad ortum, hîc ad occaſum porrigitur, ſecundum *longitudinem* portionum reliquarum tribuum, *& latitudinem* quadrati ſancti, Ezechiel. 45. verſ. 7. Qua lege Principi, ſua poſſeſſio & hæreditas aſſignatur. Sicut enim quivis mercenarius, ſuâ mercede dignus eſt, ita dignus eſt etiam Magiſtratus propter plurimos labores & moleſtias ſuas, honeſta & liberali poſſeſſione. *Reddite*, inquit Salvator, *Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei*, Matth. 22. v. 21. *Reddite*, inquit Paulus, *omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Ingrati igitur & iniurij ſunt illi ſubditorum, qui tributa & vectigalia iuſta, vel negant Magiſtratibus, vel invitò exoluunt.

LEX II. De præcedentis moderamine.

Non omnia ſunt Regis.

Secunda Lex, præcedentis privilegij *moderamen* dictat. Ezech. 45. 8. *Principi hæc portio terræ eſto in poſſeſſionem, vt non amplius opprimant Principes mei, populum meum, &c.* Et verſ. ſequente: *Satis eſto vobis Principes* (ſcilicet adſignata terræ portio) *violentiam & vaſtationem amovete.* Hæc, inquam, lex proximè præcedentis privilegij moderamen eſt. Licet enim Magiſtratui ſua portio honeſta & liberalis cedat, nequaquam tamen omnia ſunt Magiſtratus: *Alioquin* diſtinctione portionum, quæ Principi, quæ reliquis tribubus cedant, nihil opus eſſet. *Latus* etiam eſt Decalogus, qui leges habet, de non faciendo furto, de non concupiſcendis rebus alienis, latus, inquam, eſt Decalogus non tantùm ſubditis & infimæ fecis hominibus, ſed ipſis etiam Magiſtratibus, Principibus, Regibus. Contenti ſint ſua adſignata portione, contenti ſint iuſtis & ſtatis tributis, neque exugant ſive expolient vſque ad medullam ſubditos. Deus enim, qui hac Principis Lege, bonorum diſtinctionem decrevit, qui Decalogi præceptis bonorum limites poſuit, ſua decreta, ſuasque leges inviolatas vult & incontaminatas cuſtodiri. Perniciosiſſimi igitur & in ordinationem divinam iniurij Gnathones atque adulatores ſunt, qui *omnia* Principis, *omnia* Regis eſſe, turpiſſimè paraſitantur. Hiſce enim flabellis, non tantùm iniuſtiſſimarum exactionum & ſpoliorum incendia excitantur, ſed omnis etiam ordinatio, & legiſlatio divina evertitur & annihilatur. Reddant igitur ſubditi Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Cæſar, hoc eſt, omnis Magiſtratus, ſua adſignata portione, ſine vi atque violentia ſit contentus. *Domini, quod iuſtum & æquum eſt, ſervis præſtate, ſcientes, quoniam & vos Dominum habetis in cælis*, Coloſſ. 4. verſ. 1.

LEX III. De Iure gladii.

Tertia Lex adminiſtrationem gladij tradit, Ezechiel. 45. verſ. 9. *Ius & Iuſtitiam exercete.* Magiſtratus enim, nequaquam honoris duntaxat, aut voluptatum gratia conſtituti ſunt, ſed vt ius atque iuſtitiam exerceant. *Non ſine cauſa gladium portat Magiſtratus, Dei Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit*, Roman. 13. verſ. 4. Ius igitur, atque iuſtitiam adminiſtret Magiſtratus: non tamen privato ex *arbitrio*; multò minus privata ex *libidine*, *ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.* Sed ex iuſſu & voluntate Domini, cuius ſunt miniſtri.

Digitized by Google

Audite ergò Reges & intelligite, & diſcite Iudices finium terræ, &c. Quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit *opera veſtra, & cogitationes* ſcrutabitur, Sapient.6.v.2.& ſeqq. Et mox: v.6. *Iudicium duriſſimum, in his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia*, potentes *autem* potenter *tormenta patientur. Diſcite*, inquit Iſaias, *benefacere, quærite iudicium, ſubvenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam*, Eſa.1.17.

LEX IV. De cura cultuq; rerum ſacrarum.

Lex quarta commendat Principi, curam & cultum *rerum ſacrarum*. Nam Ezech.45.v.13.& ſeqq. cõſtituitur, quid & populus, & Princeps ad quotidiana & anniverſaria feſtorũ ſacra conferre debeat, cum in finem, vt ſacrificia legitima offerri, & omnis cultus ex præſcripto Domini continuari poſſit. Ac tandem concluditur conſtitutio, hiſce verbis, verſ.16. *Totus populus terræ erunt in oblatione hac, cum Principe.* Officium igitur Principis eſt, vnà cum populo in id elaborare, vt cultus verbi divini, promptus & integer propagetur. *Vbi* notatu dignum eſt, lege fixâ iniunctum eſſe Principi, vt ſingulis *Calendis*, certa ſacrificia offerat. Illâ enim lege innuitur, ſacroſanctam Magiſtratibus hanc curam eſſe debere, vt per totum anni curſum primam de cultu rerum ſacrarum curam & ſollicitudinem ſuſcipiant. Malè igitur officio ſuo funguntur Magiſtratus, qui nullâ rerum ſacrarum curâ tanguntur: Peius illi, qui non tantùm nullam cultus divini ſollicitudinem habent, ſed eundem, quibus poſſunt modis, vel impediunt, vel extirpant. Illis *Achabi* & *IeZabelis* hiſtoria mentibus fixa hærere debet: Addito hoc ἐπιφωνήματι: *Quicunq; honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, vilipendentur.* 1.Samuel.2.30.

Prima Principis cura rerum ſacrarum eſto.

LEX V. De loco Principis inter ſacrificandum.

Quinta Lex, divini cultus exercendi Principi *locum* definit, Ezechiel.46. verſ.1.2. Sic enim ait Dominus: *Porta atrij interioris, quæ ſpectat ad orientem, clauſa eſto ſex diebus operum*, hoc eſt, ſex diebus profeſtis: *die autem Sabbathi aperitor, & die novilunij aperitor. Vt adveniens Princeps, viâ veſtibuli ipſius* (hoc eſt, viâ orientali) *conſiſtat ad poſtem ipſius portæ, dum parabunt Sacerdotes holocauſta ipſius, & Euchariſtica ipſius, &c.* Præcedente lege commendatus eſt Principi cultus divinus: hac autem *limes* illi conſtituitur, quem præterire non debeat. *Conſiſtere* nimirùm debet Princeps, ad poſtem portæ atrij interioris, ipſum autem atrium, ne ingreditor. Hoc nimirùm illud eſt, de quo iam in ſuperioribus etiam mentio incidit. *Curam* videlicet & ſollicitudinem de conſervando & propagando ſyncero Dei cultu, commendatam quidem & demandatam eſſe Magiſtratui: cuſtos enim eſt, non tantùm ſecundæ, ſed etiam primæ Decalogi Tabulæ. Sed ipſum interius atrium ingredi, vbi ſecundum leges ſacrificia offeruntur, Magiſtratui non licet, hoc eſt, mutare aliquid in cultu, impedire cultum, aut abrogato priore, inſtituere novum, Magiſtratui non eſt conceſſum. *Conſiſtat Princeps ad poſtem portæ atrij interioris, nec ingreditor.* Synceritatem cultus obſervato, exerceto, propagato: *Magiſterium* autem cultus ſibi ne ſumito. Id quod illi Principes & Magiſtratus obſervabunt, qui miniſtros quidem Eccleſijs conſtituunt, ſed iiſdem, quid proponere in Cathedra, quid tacere debeant, præſcribunt, verbi gratiâ, Calvinianum Doctorem, ne nominare quidem licere, de vitijs & ſceleribus, quibus ipſe forſan Magiſtratus profundè immerſus hæret, cautè loquendum, & quæ id genus aliæ *audaces* ordinationes plures eſſe poſſunt. Hoc eſt, poſtem atrij interioris audaciter præterire, & non obſervare cultum, ſed Spiritum ſanctum, liberè in verbo loquentem, atque tàm falſos Doctores, quàm mores ſceleratos liberè redarguentem, vinculis inducere, & revulſis alarum pennis totum deplumare. **Es heiſt dem heiligen Geiſt die Flügel beſchneiden:** nec attendere velle, quid ille, generalis mundi Reformator, redarguat, Iohan.16.verſ.8. Sed quid loqui nobis debeat, blanditias illi præſcribere & adſentationes. In eodem nimirùm cenſu ſunt, hi poſtium tranſgreſſores, cum illis, quos Eſaias deſcribit cap.30.10. *Populus rebellis eſt, & filij mendaces, filij nolentes* ***audire le-***

PRINCEPS cultus divini ſynceritatem promoveto: libertatem non cohibeto.

Magiſterium Cathedræ. Dem H. Geiſt die Flügel beſchneiden.

Poſtium tranſgreſſores.

gem

gem Dei. *Qui dicunt videntibus* (id eſt Prophetis) *nolite videre, & prudentibus, nolite nobis providere, quæ recta ſunt.* Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Sed quid mercedis tandem audaces eiuſmodi poſtium tranſgreſſores habituri ſint, exemplo Azariæ vel Oziæ moneantur, qui contra mandatum & legem Domini adolere volens, lepra percuſſus fuit vſq; ad mortem. 2.Reg. 15.5.& 2.Paralip.26.v.19.& ſeqq.

LEX VI. De itione & reditione Principis.

Legem ſextam Principis, recitat Ezechiel cap.46.v.8. quæ ita ſonat. *Veniens Princeps, via veſtibuli eiuſdem portæ venito, & eâdem viâ ſuâ abito.* Hoc eſt, cùm à tribus plagis, ab ortu videlicet, Meridie & Aquilone, acceſſus pateat ad atrium interius, Princeps nec meridianâ, nec aquilonari viâ accedet aut recedet, ſed viâ orientali (*quæ eadem Sacerdotibus adſignata eſt*) & ito & redito. Ex populo verò, quiſquis viâ meridionali acceſſerit, viâ aquilonari recedat: Et cõtra, quiſquis Aquilonari via acceſſerit, recedat meridionali, de quo ſuo loco, inter leges populi.

Princeps, via Orientali, eadem cum Sacerdotibus utitor.

Sed itio & reditio Principis, viâ Orientali, communi cum Sacerdotibus, oſtendit vnam eandemque curam & ſollicitudinem, & Principis & Sacerdotum eſſe debere, in tuenda & propaganda cultus ſacri integritate & puritate.

1. Idem ſtudium rerum ſacrarum.

Quoties enim ad ſacra accedunt, viâ orientali accedant, ea tantùm acturi & promoturi, quæ iuſſerit *oriens ex alto*, hoc eſt, nullum alium cultum inſtituet, aut exercebit Princeps, niſi qui cœlitùs ſuum exortum habeat. In eodem, ac nullo alio, occupatos eſſe oportet Sacerdotes.

2. Omnia ad præſcriptum verbi divini.

Rurſus eâdem viâ Orientali, redibunt & Princeps & Sacerdotes. Ad Dei videlicet laudem & gloriam, Orientis ex alto, qui ſingulari gratiâ & miſericordiâ ſuâ, ſuam nobis in verbo voluntatem & beneplacitum revelavit, omnia referentes. Exemplo Pauli, qui Epiſtolam ad Romanos, hiſce verbis concludit: *Ei, qui potens eſt, vos confirmare ſecundum Evangelium meum, &c. ſoli ſapienti Deo, per Chriſtum Ieſum, cui gloria in ſecula, Amen.* Rom.16.verſ.25. 27. & 1.Timoth.1.verſ.17. *Regi ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.* Hanc viam Orientalem monſtrarunt Angeli, in agro Bethlehemitico cantantes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplacitum, εὐδοκία.* Luc.2.14. Et in Apocalypſi 7.12. *Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro, in ſecula, ſeculorum, Amen.*

3. Omnia ad Dei laudem & gloriam.

Tandem, *eâdem viâ*, ire & redire debent, Princeps & Sacerdotes, hoc eſt, mutuas tradere manus, mutuas operas iungere, & communi ſtudio tùm ſynceritatem religionis, tùm morum integritatem & ſanctitatem promovere. Si enim Sacerdotes ad orientem, Princeps ad occaſum tendat, hoc eſt, ſi quod præcipiunt verbi miniſtri, in Cathedra, Princeps & Magiſtratus in Curia nihil attendat, nullus ibi felix verbi profectus ſperari poteſt. Vbi autem Princeps & Sacerdotes *eâdem viâ* ambulant, ibi quod verbo Domini benè præceptum eſt, piæ datur & laudatæ exequutioni, via igitur Principis, ſit *Orientalis*, communis cum Sacerdotibus.

4. Princeps & ſacerdotes mutuas tradant operas.

LEX VII. De tempore durationis peragendi ſacra.

Septima Lex *Horas cultus* Principi definit, quando nimirùm ad res ſacras accedere, quando ab iiſdem recedere debeat. Recitat illam Ezechiel, capite 46.v.10. *Princeps in medio illorum* (ſcilicet populi) *erit, cum advenerint illi, venito, & cùm abierint, abeunto*, ipſe nimirùm & comites eius. Sententia legis eſt, debere Principem ab initio ſtatim ſacris intereſſe, nec citius, quàm eadem finita ſint, cum comitatu ſuo diſcedere.

Princeps ne exemplo peccet ſedulò caveto.

Plurimùm enim in vtramque partem valent magiſtratuum exempla, ſi ſegnem & remiſſum viderint magiſtratum ſubditi, in concionibus audiendis, in pietatis & omnibus ſanctitatis ſtudijs, ipſi ſibi licentiam ſumunt multò maiorem, & licitũ eſſe ſomniant, quicquid in exemplis viderint ſuperiorum. Idem in alijs magiſtratuum peccatis obſervare licet, ſi ebrietati, libidinibus, aut alijs vitijs dediti ſint, ſi in vanum abutantur nomine divino, omnia iſthæc in exempla trahunt ſubditi, & maiorum tranſgreſſionibus, ſuas falsò exiſtimant leniri culpas. Quâ de causâ,

Digitized by Google

omne vitium tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò maior, qui peccat habetur. Meritò igitur Princeps operam dabit, vt cum *omni comitatu* ſuo, hoc eſt, cum omnibus ſuis aulicis, alijs bono exemplo vivat, ne cùm peccaverint, & facto & exemplis dupliciter peccaſſe, & hinc geminas ſibi attraxiſſe pœnas, deprehendantur.

LEX VIII. De liberalitate Principis. Princeps frugalitatem colendo ſubditorum expilationem caveto.

Lex octava & vltima, de Principis *liberalitate* diſponit, recitante illam Ezechiel, cap. 46. v. 16. 17. 18. Sic ait Dominus Deus: *Si dederit princeps donum alicui è filijs, &c.* Quâ lege diſponitur, ne princeps nimia liberalitate vel prodigalitate potiùs, hæreditatem diſtrahat, & inde occaſionem quærat, iniuſtis exactionibus exhauriendi & opprimendi populũ. Quam legẽ illi Principes & Magiſtratus obſervanto, qui vel ſumptuoſa ædificia excitando, vel luſibus & ludicris pauperum ſudores perdẽdo, vel quotidiana Bacchanalia vivendo, vel aliis deniq; quibuſcunq; modis, nimias & immodicas impenſas faciunt, quibus illi exhauſti, mox miſeros ẽt ſubditos exhaurire magnis conatibus ſatagũt, tantâ ſeveritate & violentia, vt non rarò ad deſperationem illi adacti, & familias deſerere, & ſolum vertere extorres cogantur. Horum ante oculos & mentes ſemper verſari debet, præſens Domini lex: Ezech. 46. 18. *Non accipiat princeps de poſſeſſione populi, oppreſſione deturbando eos de iure poſſeſſionis ipſorum:* de iure ſuo poſſeſſionem tradet (princeps) filijs ſuis, *vt non diſpergatur populus meus, non vllus de iure poſſeſſionis ſuæ.* Hactenus leges principis, ſequuntur populi.

Populi ſalus ſuprema Lex eſto.

3. *TERTIA ET VLTIMA legum Tabula, recitans ſtatuta populi.*

PAuciſſimæ leges *populo* promulgantur, ſed illæ ipſæ ita comparatæ ſunt, vt omnia, quæ & ad pietatem & ad mores bonos atque laudabiles requiruntur, ſufficienter comprehendant.

LEX I. De iuſtitia commutativa.

Lex prima iuſtitiam politicam ſancit, recitante Propheta, Ezech. 45. 10. Sic ait Dominus Deus: *Lances iuſtæ, & epha iuſtum, & Bath iuſtum eſto vobis.* In vita communi, ſine iuſtitia commutativa vivere non poſſumus, hæc igitur vnica, & breviſſima lex, exquiſitas iuſtitiæ colendæ rationes preſcribit, ne quis alterum, vitioſis & deminutis ponderibus aut menſuris decipiat atque defraudet. Hac itaque lege omnibus dolis, fraudibus, deceptionibus, circumventionibus, & fucis, quibus vlla humani ingenij vis & excogitatio, imponere alteri poſſit, interdictum cautumque eſt. Hæc eſt lex de non faciendo furto, de non concupiſcendis rebus alienis, de exercenda charitate in proximum, Chriſto interprete: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex & Propheta.* Nemo eſt, qui lancibus iniuſtis, Ephâ & Batho, hoc eſt, menſuris diminutis, decipi & defraudari cupiat. Et tibi igitur lances iuſtæ ſint, & Epha iuſtum, & Bath iuſtum: Quàm etiam doloſa pondera & vitiatæ menſuræ abominabiles ſint Domino, multis ſcripturis expeditum eſſe poſſit. Proverb. 20. 10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum.* Hoc eſt, diverſa pondera, & diverſæ menſuræ, vt videlicet maiore pondere & menſura vtaris emens, minore vendens, hæc res, ait Salomon, abominatio eſt apud Deum, qui apud Prophetam Amos ita loquitur: *Audite hoc, qui deglubitis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: quando tranſibit novilunium, vt vendamus frumentum, & ſabbathum vt aperiamus frumenta, minuendo Epham, & augendo ſiclum, & pervertendo lancibus doloſis, vt poſſideamus argento tenues, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus. Iuravit Dominus per excellentiam Iacobi, ſi obliviſcar in æternum operum illorum.* Amos. 8. v. 9. & ſeqq. Et apud Micheam cap. 11. v. 9. & ſeqq. Vox Domini

Omnibus dolis & fraudibus, hominibus Chriſtianis interdictum eſt. Matth. 7. 12.

Proverb. 20. 10. Vitiata pondera & menſura Domino abominationi ſunt. Amos 8. 9. &c.

Mich. 11. 9.

Digitized by Google

mini civitati prædicat: *Nunquid iuſtificabo ſtateram im*‸*iam, & ſacelli pondera doloſa &c.* Et v.14. pœnas ſubiungit, *tu comedes & non ſaturaberis, tu ſeminabis & non metes, calcabis olivam & non vngeris oleo, & muſtum & non bibes vinum, &c.* Quæ omnia Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens, hiſce verbis complexus eſt. *Hæc eſt voluntas Dei, vt ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt de hiſce omnibus, ſicut & prædiximus vobis & teſtificati ſumus. Nolite* enim *errare, neq; fures, neq; avari, neq; rapaces, regnum Dei hæreditabunt.* Hæc eſt lex prima, omnes & iuſtitiæ partes, & munera charitatis complectēs. *1. Cor. 6. 10.*

Secunda lex *cultum ſacrum* concernit, quam Ezechiel noſter promulgat cap. 45. v. 16. *Totus populus terræ ſunto in oblatione hac cum principe in Iſraël.* Cùm enim præcedentibus verbis expoſuiſſet, quid ad cultum ſacrum cōſervandum & propagandum conferendum eſſet, iam hac lege oſtendit Propheta, ad iſtam oblationem non ſolum Principem (*de quo in præcedente legum tabula*) ſed & populum, & TOTVM populum obligatum eſſe: *Totus populus terræ ſunto in oblatione hac cum principe:* hoc eſt, vt ſublevetur Princeps in ſumptibus cultui ſacro deputatis, omnes etiam & ſinguli è populo, ſuas vires & facultates conferant. Si enim iuſtum & æquum eſt, vt conferant ſubditi neceſſarios ſumptus, in ſalarium honeſtum & liberale magiſtratus (qua de re in ſuperioribus iam dictum eſt) multò æquius & ad animæ ſalutem conducibilius eſt, vt ad cultus ſacri propagationem ſuas quoque afferant oblationes populus. Intelliguntur autem hoc loco per cultum ſacrum, *ſcholæ & Eccleſiæ*, Scholarum & Eccleſiarum conſtitutiones & ordinationes, in quibus *fovendis, ornandis, augendis & amplificandis*, omnis Reipubl. incolumitas & ſalus conſiſtit. E Scholis enim & Rerumpubl. Rectores, & Eccleſiarū Doctores prodeūt; quorum illi ſalutē, pacem & tranquillitatem publicam, hi verò verbum & voluntatem Domini explicando, æternam noſtram ſalutem promovent. Quæ bona vilipendere & negligere certum eſt eos, qui Scholarum & Eccleſiarum benè conſtituta miniſteria parvi faciunt.

LEX II. De conſervatione & propagatione cultus divini.

In Scholis & Eccleſiis fovēdis Reipub. ſita ſalus.

Tertia Lex ipſum rerum ſacrarum exercitium informat. Poſteaquam enim Dominus præcepit populo, vt vnà cum Principe ad cultum ſacrum accedant (Non enim Principes ſolùm, ſed ſubditos etiam ſalvare vult Dominus) peculiari quoque lege exprimit, quâ viâ ad cultus ſacros ire & redire debeant. De Principe audivimus, quòd via Orientali ad atrium interius accedere, & eâdem rurſus recedere debeat, viâ communi cum Sacerdotibus: Aliter verò de populo diſponitur, Ezech. 46. v. 9. *Sed cùm intrabit populus in conſpectum Domini, in ſolennitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: Qui verò ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis, non revertetur per viam portæ, per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.* Sicut igitur Principi viâ Orientis accedendum & recedendum fuit ad ſacra: ita populo accedendum & recedēdum per Templi diametrum (excepto atrio interiore) ita quidem, vt, qui ab aquilone ingreſſus eſt, per meridiem exeat, & vice verſâ. *Conſtituto* videlicet cultu divino, populus ad ſacrificia, hoc eſt, ad verbum & ſacramenta accedens, recto vitæ curſu, ſine omni vel diaboli, vel mundi, vel carnis remora, pio obſequio expediat, quicquid ex Domini verbo & divinis præceptis hauſerit. Non enim ſatis eſt audire verbum Domini, ſed ad *rectitudinem* verbi divini componenda etiam via eſt, & omnis vitæ ratio: *Semita* namq; *iuſti recta eſt.* Eſa. 26. 7. Hinc idem Propheta: Eſa. 40. 3. *vox clamantis in deſerto, parate viam Domini,* rectas *facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri, &c.* Quam concionem repetit Iohannes Baptiſta. Matth. 3. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. De impijs autem ita eloquitur Eſ. cap. 59. v. 7. 8. *Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effudant ſanguinem innocentem, &c. viam pacis neſciverunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum. ſemitæ eorum* incurvatę *ſunt eis, ōis qui calcat in eis ignorat pacem.* Obſequium igitur rectorum, rectum eſſe oportet. *Deinde*

LEX III. De itione & reditione populi.

Populus recto trāmite pergito.

Nullas attendendo vel carnis, vel Mundi vel Diaboli remoras.

1. Via iuſtorum RECTA.

Digitized by Google

2. Pœnitens priora non legit veſtigia.

Deinde, hæc ambulandi ratio admonet pios, vt qui ſemel ad pietatis ſtudia animum adiecerunt, ad priora non revertantur. Nam è Sodomis egredientibus reſpicere non licet, & per pœnitentiam ad cultus ſacros & voluntatem Domini pergentibus, in priora veſtigia non licet referre pedem. *Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. 62: Matthæo converſo *rectâ viâ* Chriſtus ſequendus, non ad *Telonium* revertendum eſt. Matth. 9. 9. *Tandem* hæc ambulandi ratio, illius Paulini nos admoneat: *Vnum* (dico) *fratres: quæ quidem retrò ſunt ego obliviſcens, ad ea verò quæ antrorſum ſunt enitens, ſcopum perſequor, ad Brabeium ſupernæ vocationis Dei, per Chriſtum Ieſum.* Philip. 3. v. 13. 14. Quando enim in Templo Domini de bonis ſpiritualibus, de remiſſione peccatorum, de gratia, de iuſtitia, de vita æterna, de gloria beatorum & viciſſim de peccatorum pœnis & damnationibus inſtituti ſumus, longè *aliâ viâ*, *alijs* ſtudijs, *alijs* meditationibus, domum noſtram repetamus, quàm acceſſimus. Qui carnales acceſſerant, ſpirituales redeant, qui flammantes irâ, avaritiâ hiantes, ſuperbiâ & faſtu turgentes, luxu & libidinibus diffluentes venerunt, hęc omnia retrò obliviſcentes, ad manſuetudinem, lenitatem, liberalitatem, humilitatem, caſtitatem & illibatam morum ſanctimoniam enitantur: Temporalia negligentes, ſpiritualia & æterna meditantes. Hoc demum eſt, aliâ venire, aliâ redire viâ, vi & ſenſu legis huius popularis. Et hactenus leges populi.

Geneſ. 19. 26.

3. Sed ad ea quæ antrorſum ſunt pergit.

IV.

DE CVLTVS CVLTORVMQVE *progreſſu & beata felicitate.*

IN vltimo meditationum noſtrarum capite, diximus de Templi gloria, eiuſdem legibus, ſacrificijs, & omni religioſo cultu, de cultoribus etiam, omniumque piorum muneribus atque officijs; vbi leges vidimus *Sacerdotum, Principis, ac populi:* ſupereſt omnium poſtremum & vltimum meditationum noſtrarum membrum, de *cultus cultorumque progreſſu & felicitate.* Iſtam deſcripſit Propheta noſter Ezech. cap. 47. à verſ. 1. vſque ad 13. Vbi Prophetæ noſtro flumen monſtratur, quod in ipſo ſanctuario exoriens, non tantùm mirabilia incrementa habet, ſed vtraque in ripa; pulcerrimis & mirandùm frugiferis arboribus conſitum & exornatum eſt. *Membra* deſcriptionis primaria ſunt quatuor. Quorum *primum* agit de aquarum iſtarum origine verſ. 1. 2. *Secundum* de admirandis earundem aquarum incrementis, à verſ. 3. ad 6. *Tertium* deſcribit arbores riparias. verſ. 6. 7. *Quartum* denique membrum mirabiles aquarum effectus commendat à verſ. 8. ad 13. vſque. Quorum omnium membrorum peculiares ſunt & iucundiſſimæ contemplationes, omnes verò in hunc generalem ſcopum collimant, vt miranda *benedictionum divinarum copia* in Eccleſia nobis depingatur. Poſteaquam enim de officiis Sacerdotum, Principis ac populi copioſè dictum eſt, iam in hoc vltimo membro explicatur, quanta ſit in Eccleſia, quàm abundans divinarum benedictionum & exuberans copia, atque inſuper, quanta ineffabilis felicitas illorum, qui muneribus ſuis, quisque in conditione & ſtatu ſuo, piè & fideliter defunguntur.

Scopus huius meditationis.

I. DE AQVIS EXEVNTIBVS *è Templo earundemq́; origine.*

I. Aquæ Templi ſunt copia benedictionū divinarum.

Poſteaquam Propheta noſter de Templo, omnibusque ad Templum pertinentibus rebus ſufficienter informatus erat, ducitur tandem ad portam orienta-

Digitized by Google

Orientalem, & monſtrantur illi *aquæ ſcaturientes* ex inferiore parte liminis, &c. Ezech. 47.1. Per aquas iſtas, gratiæ & benedictiones divinæ, quibus in Eccleſia Dei perfruimur, deſignantur. Sicut enim aquis omnia terrę naſcentia irrigantur & fœcundantur, ſic ex ſola Domini benedictione, fideles & vitam & fœcunditatem concipiunt. *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Epheſ. 1.3. Quæ benedictiones tum propter copiam, tum propter diffuſionis communicationẽ, non rarò in ſcripturis cum aquis conferuntur. Vt hoc loco apud Ezechielem. Et Ioel cap. 3.18. *Et erit in die illa, ſtillabunt montes, &c. Et per omnes rivos Iudæ ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit vallẽ Cedrorum*, hoc eſt, Eccleſiã, in qua iuſti vt cedri & palmæ lectiſſimæ plantati ſunt. Pſ. 92.13. Zach. 14.8. *Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Ieruſalem. mediũ earum ad mare orientale, & medium ad mare poſterum, in æſtate & hyeme erunt.* Et Apoc. 22. v. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam Cryſtallum, præcedentem de ſede Dei & agni.* Quanquam hic locus de Eccleſia cœleſti & triumphante verius accipi poſſit.

Epheſ. 1. 3.

Secundo aquarum *Origo* monſtratur, ſcaturiunt enim ſub limine domus. Dona videlicet S. S. quę ſanctificantia dicũtur, qualia ſunt *remiſſio peccatorum, gratia, renovatio, iuſtificatio, ſanctificatio, glorificatio*, non niſi in Eccleſia, extra quã nulla ſalus eſt, diſtribuuntur. Licet enim meriti ratione, hæc omnia bona vniverſaliter toti mundo parta ſint (Chriſtus enim eſt Abrahæ ſemen in quo omnes gentes benedicuntur. Geneſ. 12.3. & 18.18. & 22.18. Et in Chriſto Deus mundum ſibi reconciliavit, non imputans illi delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis, &c. obſecramus ergò pro Chriſto, reconciliamini Deo) licet, inquam, dona illa gratioſa, meriti ratione vniverſalia ſint, non tamen illis fruuntur, niſi qui per ſidem ſunt membra Chriſti & Eccleſię. Aquę gratiarum ſcaturiunt ſub limine Domus. Temerarium igitur & extremè prophanum eſt, quod Zuingliani, homines etiam Ethnicos, vt Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catoñes, Sciplones, & ad quos Evangelij mentio nulla pervenit, in cœlis inter ſanctos & æternùm beatos locant. Zuingl. Tom. 2. operum fol. 35. a. 559. b. Qua ratione, Templum ſeu Eccleſia Domini plane deſtruitur, & aquarum ſcaturigo, â limine Templi, in procul prophana loca trajicitur.

II.
Soli fideles ſanctificantibus Dei donis fruuntur.
Extra Eccleſiam nulla ſalus.

2. Cor. 5. v. 19. 20.

Zuinglii beati: Hercules, Camilli, Catones, &c.

Tertio aquas illas fluere dicit *Orientem verſus.* Sunt nimirum dona Spiritus Sancti, & omnia Salvatoris merita, in *ſolidum gratuita*: nullis noſtris virtutibus aut meritis debita. Sed ſicut ſolẽ ſuũ, ſola gratia, orbi exoriri facit, ſic ſolâ quoque gratiâ, gratiarũ aquas facit ſcaturiri. *Reliquiæ enim ſunt ſecundùm electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus alioquin gratia iã non eſt gratia. Si autem ex operibus, iam non eſt gratia, quandoquidẽ opus iam nõ eſt opus.* Rom. 11.6. *Igitur non eſt volentis, neque currentis ſed ſolius miſerentis Dei.* Rom. 9.16. *Et cui vult, miſeretur.* v. 18. hoc eſt, ſicuti in præcedentibus ex Moſe exponitur: *Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor* Roman. 9.15. Miſericordia nimirùm Dei nec minuta, nec partialis aut decurtata eſt, ſed *ſolida, pfecta, integra, & copioſè abundans*, nihil humani meriti in ſui ſocietatem admittens. Brevi verbo, miſericordia & gratia Dei cœlitus exoriens, & *ſola & ſolida* eſt. Hæ ſunt aquæ ſub limine oriẽtali ſcaturientes. Quorum autem hominum miſereri Dominus velit, Rom. 11.32. explicatur: *Concluſit Deus omnes in incredulitatem vt omnium miſereatur.* Porro hæ ipſæ Aquæ *Orientales* etiam *Orientem* verſus fluunt. Ezech. 47. v. 1. Ad Deum videlicet, & Salvatorem Ieſum Chriſtum, qui eſt oriens ex alto, omnia gratiarum dona, quibus locupletavit nos, denuo referenda ſunt. *Ideo namque liberati ſumus de manu inimicorum noſtrorum, vt ſerviamus Domino, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus vitæ noſtræ.* Luc. 1.74. *Et dedit ſemetipſum Chriſtus pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem Zelotem bonorum operum.* Tit. 2.14.

III.
Omnia Chriſti Salvatoris merita ſunt gratuita.

Explicatio loci Rom. 9. 18.

Exod. 33. 19.
Miſereor cuius miſereor, hoc eſt; miſericordia mea perfecta; tota & ſolida eſt, nihil meriti alieni admittens welchs ich mich erbarme: das heiſt vnd iſt ſich erbarmet/ nec vllo alio merito indiget.

IV.

Aquæ ſunt Phialantes, hoc eſt, regnum Dei non venit cum obſervatione.

Quartò de ſcaturigine aquarum illud etiam explicatur, quòd aquæ illæ manent tanquam ex *Phiala*, Hebr. textus habet, *aquas illas eſſe phialantes*, hoc eſt, molliter leniterque fluentes, ac ſi ex phiala oleum aut aquas odoratas irrorando capiti inſtilles, **als wann man einem/ein guts köſtlichs Roſenwäſſerlin auff dem Kopff gieſſet/** de qua re copioſiùs in explicatione textus. Hæ Aquæ Phialantes, gratiarum & regni cœleſtis naturam depingunt, à curſu rerum mundanarum longè diverſam. Nam quæ in mundo magna, & illuſtria ſunt, primo ſtatim intuitu & mentes & oculos & omnia percellunt: Oceanus ſpumat, frendet, & furibundis elatis fluctibus nubibusque cœloque minitatur, ſed aquæ Templi, Aquæ gratiarum cœleſtium phialantes, hoc eſt, molliter & leniter manant. *Regnum* videlicet *Dei non venit cum obſervatione.* Luc. 17. 20. Hoc eſt, regni cœlorum, & omnium ſpiritualium donorum, non tàm illuſtris & pompoſa eſt ratio, quàm eſt rerum mundanarum: Ideoque ſtultitia mundo ſunt, quæ ſunt præſtantiſſima & illuſtriſſima Deo. *Cùm* exempli gratia *Baptizatur* infans, aquæ Phialantes manant, hoc eſt, nulla eſt externa pompa, nulla in oculos incurrens gloria, qualis eſt, cùm vel Rex, vel Imperij Imperator coronatur. Eadem eſt ratio, cum vel publicè Evangeliũ prędicatur, vel privatim annunciatur abſolutio & remiſſio peccatorum, vbi aquæ ſtillant tanquam ex phiala, cùm tamen vtrobique multò maiora, & præſtantiora bona offerantur & conferantur, & confirmentur, quàm omnia mundi regna & imperia conferre poſſint. *Cæleſtia* igitur bona, pomparum mundanarum radijs, nequaquam metiamur: Et licet ad externam ſpeciem, illuſtria & glorioſa non ſint, nequaquam tamen vilipendamus aut flocci æſtimemus. Exigua aquæ vitæ Phiala ad virium vitæque conſervationem toto Oceano præſtantior & efficacior eſt, ſic breviſſimum & abiectiſſimum ad ſpeciem Evangelicum enunciatum, omni mundi gloria, omnibusque regum Theſauris pretioſius. Vnicum Spiritus ſancti Donum, vtpote peccatorum remiſſio, gratia, iuſtificatio, ſanctificatio, aut aliud ſimile, licet leniter fluat, neque fluctibus vllis ſit obſtrepatum, omnes tamen, mundi divitias, infinitis intervallis poſt ſe relinquit. Hæc de Aquarum Templi *ſcaturigine*, ſequitur ſecundum membrum, de mirando earundem *incremento*.

Spiritualia Eccleſiæ dona omnes mũdi pompas longiſſimè exuperant.

Simile, de Aqua vitæ.

II. DE MIRANDIS AQVArum incrementis.

Gratia Dei ab initio tenuis, admiranda ſumit incrementa.

Scaturiginem aquarum vidimus: iam admiranda earũdem incrementa exploranda. Meminit Propheta noſter, ſe visâ ſcaturigine, ad exteriorem extremi ambitus portam deductum, & de mirandis aquarum effluentium incremẽtis informatum eſſe. Nam ſecus decurſus aquarum deductus, & quartâ vice poſt millenos cubitos per aquas traductus mirandas expertus eſt augeſcentes aquarum altitudines. Nam vice *primâ* deprehendit talares, *ſecundâ*, aſcendentes ad genua: *Tertiâ*, pertingentes ad lumbos. *Quartâ* denique ipſâ Prophetę ſtatura altiores, & torrentis inſtar validas, quæ non tranſiri potuerunt, ſed natatu traijciendæ fuerunt. Ezech. 47. v. 3. 4. 5. *Hoc* iucundum eſt divinarum gratiarum ſpectaculum, & pijs animis iucundiſſima contemplatio. Vidimus enim quàm lenta, tenuia, & ſubtilia ſint, & ſenſus propè omnes noſtros fugientia, gratiarum cœleſtium principia: Iam verò, quæ iſtarum gratiarum & benedictionum incrementa ſint, Prophetæ noſtri iteratis & tertiatis vicibus traducti, experientia teſtatur. Nam quæ primò vix talares ſunt, tandem ad natantis labores excreſcunt. Hæc illa vis eſt, & multiplicatio divinarum benedictionum, de quâ Chriſtus concionatur: Iohan. 4. v. 13. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, illi non ſitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et Iohan. 7. 38. *Qui credit in me* (ſcriptura dicit) *flumina*

Digitized by Google

mina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem Evangeliſta interprete, *dixerat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum.* De hoc torrente Petrus concionatur in prima Novi Teſtamenti Pentecoſte: *Non ſicut vos exiſtimatis, hi* (Apoſtoli) *ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam* Ioel. 2. verſ. 18. *Et erit in noviſſimis diebus dicit Dominus*, effundam *de Spiritu meo, ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, &c.* Et ſanè, ſi vllibi gratiarum iſtarum incrementa obſervare licet, in ipſis Apoſtolis obſervare admiranda licet. Quæ enim initiò aquæ vix talares erant, brevi momento, non tantùm ad genua & lumbos, ſed in eiuſmodi vaſta flumina, & ruentes mole torrentes excreverunt, quibus neque mundus, neque mundi Princeps Diabolus vlla vi reſiſtere poterat. Eadem fidei & donorum ſpiritualium incrementa, in alijs etiam ſanctis, & in martyrũ maximè hiſtoria obſervari poſſunt; qui primùm exiguæ fidei, tandem in exquiſitiſſimorum ſuppliciorum tormentis, in maxima & invicta robora excreverunt. Quam ipſam fidei & aliorum donorum naturam, Chriſtus elegantibus ſimilitudinibus depinxit. Confert enim Regnum cœlorum cum *grano ſinapis, quod minimum quidem eſt inter omnia ſemina, cùm autem creverit, maius eſt oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant & habitent in ramis eius.* Matt. 13. v. 31. 32. Et mox confert *fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec totum fermentatum eſt.* Ibidem verſ. 33. Hæc ſunt incrementa gratiæ & donorum ſpiritualium, donec Domino benedicente in eam altitudinem perveniant, vt homo inſtructus gratia divina omnia, quæ in mundo triſtia & terribilia ſunt, fortiter & glorioſè ſuperare poſſit.

III. DE ARBORIBVS RIPARVM.

Aquarum incrementa percontati ſumus, iam arbores riparias contemplandum, vbi *tria* maximè obſervanda veniunt. 1. Ipſæ *Arbores*. 2. Arborum *locus*, vtraque videlicet ripa ſecundum aquarum decurſus. 3. Quod Propheta *primo* deſcenſu arbores iſtas non obſervavit.

I. *Deductus* fuit Propheta ad examen altitudinis aquarum, iam arbores monſtrantur, in vtraque ripa, & plurimæ illæ & elegantiſſimæ: Ezech. 47. v. 7. *Et ecce in ripa fluminis, arbores multas valdè hinc & hinc.* Iſtæ arbores in Eccleſia militante ſunt pij & fideles, quos ſcriptura ſacra non rarò arboribus confert. vt Pſ. 1. 3. *Vir beatus cuius in lege Domini voluptas eius, & meditatio eius, die ac nocte, erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, &c.* Et Pſal. 92. 13. *Iuſtus vt* palma *florebit, & ſicut Cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini; in atrijs domus Dei noſtri florebunt.* Sic Eſa. 61. 3. *Vocantur arbores iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Sicut enim arbores, gloria & domus hortorum ſunt, ita pij & fideles in Eccleſia, ad gloriam & laudem creati ſunt Salvatoris. Ier. 17. 8. Ad apices ferè repetit verba Pſalmi primi: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & cuius eſt Dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum, quod plantatur ſuper aquas, &c.* Apocalypſis autem, in Eccleſia triumphante refert arbores riparias ad lignum vitæ, cap. 22. 2. ita habens: *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ adferens fructus duodecim, per menſes ſingulos afferens fructum ſuum, &c.* de qua re ſuo loco. Hoc vnum eſt.

I. Pii ſunt latiſſimè frondentes arbores.

Conſpiciuntur illæ arbores, in vtraque ripa fluminis exeuntis de Templo. Non videlicet vbique aut ſponte enaſcuntur iuſtitiæ arbores, ſed plantatæ ad ripas fluminis ſacri, & eiuſdem rigatæ aquis. *Non enim ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt filij Dei, qui fide recipiunt Chriſtum.* Iohan. 1. 13. *Et niſi quis natus fuerit,* ἄνωθεν, *è ſupernis, non poteſt videre regnum Dei.* Ioh. 3. 3. *Ex aqua enim & Spiritu renaſcuntur, quicunque introeunt in Regnum Dei.* Iohannis 3. v. 5. Petrus haſce arbores enaſci dicit, non *ex ſemine*

II. Extra Eccleſiam nulla ſalus.

Digitized by Google

corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivum, quod permanet in æternum, 1.Petr.1.23.

III. *Pii nec ſemper nec omnibus conſpicui.*

Sed miranda certè res eſt, tot eſſe conſitas ex vtraque ripa arbores, nec primo in deſcenſu, cũ aquæ examinarentur Prophetæ viſas eſſe. Quærit enim ex illo *Monſtrator*, nunquid vidiſſet arbores riparum? Ille ſecundò ſecus flumen reductus cum admiratione deprehendit & animadvertit arbores plurimas, vtramque ripam veſtientes, prius non viſas. Pij videlicet & fideles, non ſemper nec vbique ſunt conſpicui in terris, licet benè multi ſint & eleganter florentes. Exemplo, præter Prophetam noſtrum, Elias eſſe poteſt, qui cum Domino loquens, magno cùm affectu de fidelium paucitate conqueritur: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël, Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum* E G O S O L V S, *& quærunt animam meam vt auferant eam, &c.* 1.Reg.19.v.10. Sed reſpondet illi Dominus: *Reliqui mihi in Iſraël ſeptem millia, omnium, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Ibidem verſ.18. Quod idem exemplum Paulus repetit Roman.11.v.3.4. ad demonſtrandum aliquos adhuc ex Iſraëlitis relictos eſſe, licet oculis noſtris obvij non ſint, qui fideles, cum magna infidelium parte non ſint reprobati. Facit hæc *meditatio* contra Pontificiorum ſomnia, qui Eccleſiam Catholicam, illâ quoque perenni & æquabili notâ inſignitam eſſe volunt, vt *æquabiliter* ſemper, & vbique, & omnibus ſit conſpicua. Qua ratione non potuiſſet fieri, quin Propheta noſter, in primo quoque deſcenſu, omnes iſtas arbores contuitus fuiſſet. Sed eadem ipſa meditatio, ad præclarum noſtrum ſolatium facit. Licet enim arbores illæ, Prophetæ non viſæ fuerint, viſæ tamen & optimè notæ fuerunt *Monſtratori* Chriſto. Firmum namque ſtat fundamentum Dei: *Novit Dominus, qui ſunt* S V I. 2.Tim.2.19. Hæc de arboribus, ſequitur de effectibus.

Semper & æquabiliter conſpicuum eſſe, non eſt Nota Eccleſiæ Catholicæ.

IV. DE EFFECTIBUS AQUArum & arborum.

Aquas & arbores riparias vidimus, iam conſiderandi ſunt *effectus*. Quos triplices Prophetæ Monſtrator recenſet. Ezech.47.v.8.9.10.11.12.

I. *Admiranda aquarum ſalubritas.*

Primus eſt admiranda aquarum ſalubritas. Dicit enim has aquas è Templo promanantes, per Galilæam & campeſtria deſcendere, donec in mare mortuum exonerentur, cuius non tantùm aquæ, hiſce influentibus aquis curentur, ſed omnes quoque animantes, ad quas hæ ipſæ aquæ perveniant vivificentur. Nota eſt Aſphaltitis ſeu maris mortui hiſtoria. Nam ante Sodomorum everſionem, fuit Regio illa tota Iordane irrigua, pulcerrima & florentiſſima, adeò vt cum Paradiſo Domini collata fuerit. Geneſ.13. v.10. Poſteaquam autem incolæ Regionis, tantis tamque nefandis ſceleribus corrupti eſſent, vt clamor eorum cœlos penetraret, Dominus igne cœlitus miſſo, Sodomam & Gomorrham omnemque vicinam pentapoleos regionem, æterna vaſtatione damnavit, & locum illum amœniſſimum & fertiliſſimum, in locum fœtidum & ſterilem commutavit. Qui lacus, propter bitumen quod fundit, Aſphaltites, propter ſterilitatem autem, Mare ſalſum vel mortuum appellatur: De quo lacu & regione Ioſephus de bello Iudaico libro 5. cap.5. *Huic Sodomitica terra vicina eſt, olim quidem tàm fructibus, quàm divitijs civitatum fortunata: nunc autem omnis exuſta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum quinque videlicet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres videre licet, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus, in fumum diſſolvuntur & cinerem.* Hæc Ioſephus. Et de eodem mari Brocardus (qui terram ſanctam preregrinando luſtravit) oculatus teſtis. Parte prima, capite ſeptimo, §.35. (Citante Auguſtino Torniello) ita refert: *Mare mortuum* (inquit) *ſemper*

Maris mortui hiſtoria.

Auguſt. Torniellus in Annalibus M. A.2128.N.14.

ſemper eſt fumans & tenebroſum, ſicut os inferni, ſicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem. Et poſt pauca: *Tanta verò calamitas ei regioni accidit in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot ſeculis vlciſcitur, vt etiam regio ipſa pœnas luere perpetuò videatur. A dextris inſuper & à ſiniſtris, montes ſteriles ſunt & aridi, vel barbaræ habitationes, per multa & longa terrarum ſtadia, quatenus ſcilicet, exitialis ille vapor, impellente vento, pertingere poteſt.* Hæc ille. Ex quibus ſatis dilucidè patet, vnde hic lacus Sodomiticus (qui phraſi Hebræa mare dicitur) appelletur *Mare mortuum.* Quia nimirùm propter peſtilentem naturam, nullus in eo piſcis, nec vllum aliud animal vivere poteſt, vnde aiunt, Iordanis piſces, quamprimùm ad ipſum perveniunt, vel illicò retromeare, vel protinus emori. Idem *Mare ſalſum* appellatur, propter nitroſam & abominabilem ſulphuris, quod perpetim exhalat, mixturam. Hinc *Petrus* in poſteriore ſua capit. 2. v. 6. Sodomorum & Gomorrhæorum Civitates in cinerem redactas, everſione damnatas, & in exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, poſitas eſſe teſtatur. Et *Iudas* in Catholica ſua verſ. 7. dicit: Sodomam & Gomorrham & finitimas Civitates, exfornicantes, & poſt alienam carnem abeuntes factas eſſe *exemplum* ignis æterni. Hoc eſt illarum civitatum perpetuò ex æſtuans incendium, exemplar & Typum eſſe, perpetui gehennæ ignis, adeoq; Deum quandam inferni picturam, hominibus in terris propoſuiſſe: Sapient. 10. v. 7. *Cuius* (ſcilicet Pentapolis de qua ibi loquitur) *adhuc teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtituta eſt terra deſerta* (καπνιζομένη χέρσος) *& inutili pulcritudine fructus ferentes plantæ.* Qua de re paulò ante ex Ioſepho: Hæc de mari mortuo ideo attingere libuit, vt aquarum noſtrarum admirandos effectus tantò rectiùs intelligeremus. Quæ enim maris mortui, peſtilens ſit & exitioſa natura; tanquam ex orco, perpetuam damnationem exhalans, iam ex citatis conſtat: *Contrà* verò aquarum noſtrarum Propheticarum, tanta vis eſt & efficacia, tantaq; tamque admiranda ſalubritas, vt in mare mortuum exoneratæ, non tantùm peſtilentes illas aquas ſanent, ſed omnes quoque animantes, quæ nullæ ibi vivere poſſunt mirandâ virtute vivificent: Quid verò *mare mortuum?* Noxius & horribilis ſcelerum & peccatorum noſtrorum lacus, in quem per multiplices defectiones à Domino, præcipitati damnatiq; ſumus: hîc omnia fœtida, omnia emortua & exitioſa ſunt, hinc vapores exhalant peſtilentes & exitioſi, omnē vicinam regionem ad cœlos vſq; devaſtātes, hîc nulli ſalubres fructus, ſed vel æterna ſterilitas, vel inutili pulcritudine, fructuum ementitæ ſpecies. *Natura enim filij iræ ſumus.* Eph. 2. 3. *Mortui ſumus in delictis & peccatis noſtris.* Ibid. v. 1. *Alienati à republica Iſraëlis, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis.* Epheſ. 2. 12. *Quia non eſt iuſtus, ne vnus quidem, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Sepulcrum patēs eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum, linguis ſuis dolosè agebant, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum, &c.* Rom. 3. v. 10. & ſeqq. Hoc eſt mare mortuum: iam vires aquarū medicantium conſideremus. *Aquæ* promanantes è templo, & venientes in mare mortuum, *ſanant* aquas mortuas; & quocunq; perveniunt flumina, omnia animantia vivificantur. Ezech. 47. v. 8. 9. Hæc nimirùm vis & virtus eſt gratiarum & benedictionū ſpiritualium, quæ omnia omninò damna, à peccato, morte & inferno nobis, & illata & impendentia perfectiſſimè reſarciunt & reſtaurant. Illæ aquæ ſunt, vt in ſuperioribus demonſtratum eſt, *gratia & miſericordia divina, remiſſiò peccatorum, ſanctificatio, iuſtificatio, & omnia merita Saluatoris, verbum ſalutis, lauacrū regenerationis, cœna Dominica, & virtus in nobis inhabitantis Spiritus ſancti.* Hæc igitur (quæ omnia & ſingula *aquarum ſpiritualium* nomine veniunt) omnem Aſphaltitis lacus ſeu maris mortui damnatam viſcoſitatem tollunt, hoc eſt, peccati fœditatem expurgant

Sodomorum perennata conflagratio Typus Gehennæ.

Mare mortuum ſpirituale.

Vis & efficacia aquarum Templi.

Aquæ ſpirituales ſaniant mare mortuum.

Digitized by Google

purgant, peſtiferas exhalationes,quæ iram Dei, & æternæ perditionis fulmina eliciunt,diſſipant,orci flãmas,cuius Aſphaltites exemplar eſt extingunt, cineres & fumos abigunt, adeoq; ipſam mortẽ enecant,& oĩbus,quocunq; venerint,vitam reſtituunt.Nam *ſanguis Ieſu Chriſti,Filij Dei, emũdat nos ab omni peccato* 1.Ioh.1.7.*Et cùm mortui eſſemus in delictis & peccatis noſtris convivificavit nos Deus* (qui dives eſt in miſericordia)*in Chriſto,& conreſuſcitavit,& conſedere fecit in cœleſtib. in Chriſto Ieſu,vt oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus, abundantes divitias gratiæ ſuæ,in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* Eph.2.4. & ſeqq. *Hæc aliquando fuiſtis* (putidi nimirum, fœtidi,ſcelerati & damnati peccatores) *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & in Spiritu Dei noſtri.* 1.Cor.6.11. Et rurſus ad Coloſſenſes: *Cùm eſſetis aliquãdo alieni, & inimici ſenſu,in operibus malis, nunc reconciliavit* (DEVS) *in corpore carnis Chriſti, per mortem, exhibere vos ſanctos immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo.* Coloſſenſ. 1. v.21. In hac purgatione & vivificatione è mari mortuo, vivum ſe nobis exemplum proponit Apoſtolus Paulus: Qui *priùs blaſphemus fuit,& perſequutor, & contumelioſus, miſericordiam conſequutus ſum.* 1. Timoth. 1. verſ.13. Et mox verſ. 15. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſequutus ſum,vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam,* De hac vivificatione, vita noſtra Chriſtus, ipſe loquitur, Oſe.13. verſ. 14. *De manu inferni redimam eos,de morte liberabo eos: Ero peſtilentia tua ô* mors, *ero lues tua ô* inferne. Et apud Iohannem: *Hæc eſt voluntas* (patris) *qui miſit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Iohann. 6. verſ. 40. Et ibidem verſ.33. *Panis Dei eſt* (loquitur de ſeipſo Salvator) *qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.* Iohan. 6. verſ.33. *Non* enim *miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum., ſed vt ſalvetur mundus per ipſum.* Iohan. 3. verſ. 17. Et alibi: *Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſalvificem mundum.* Iohan.12.verſ.47. Hæc eſt admiranda illa ſalubritas aquarum, expurgantium & ſanantium aquas maris mortui, & vivificantium omne animal, quocunque venerint. Vnde merito *vivus* vocatur *& efficax ſermo Dei, & penetrabilior, omni gladio ancipiti.* Hebr. 4. verſ. 12. Cum Petro igitur exclamemus: *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Iohan. 6. verſ. 68. Et cum Paulo: *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus,in Chriſto.* Epheſ.1.v.3.*Domine da nobis aquam tuam, & fiat in nobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioh.4.v.14.15.

Cur non omnes aquarum iſtarum ſalubritate ſanentur.

In huius effectus contemplatione illud quoque conſiderandum eſt, quod Propheta Ezechiel 47. verſ. 11. dicit *cœnoſa & paluſtria loca aquarum iſtarum ſalubritate non ſanari, ſed vitioſitate ſua æterna ſterilitate damnata permanere.* Ex eo namque cauſa demonſtratur. qui fiat, cùm tanta ſit aquarum ſalubritas, hoc eſt,cùm tantæ ſint cœleſtium benedictionum copiæ & ſuperabundantes divitiarum Theſauri, quî fiat, quod non omnes omninò homines, virtute & efficacia aquarum iſtarum purgentur, ſanentur, & vivificentur, ſed multi in ſordibus peccatorum ſuorum æternùm pereant? *Ratio eſt:* non quod aquæ non ſatis ſalubres ſint, vel ad purgandum & ſanandum omnes, non ſatis efficaces, ſed quòd multi in cœno lutoque peccatorum ſine pœnitentia, porcorum inſtar, volutari malunt, quàm relictis ſcelerum ſtercoribus, ad ſanantes properare aquas, per fidem & veram pœnitentiam. Nam vt *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo,* Hebræor.11.verſ.6. Ita ſine fide impoſſibile eſt ſanari purgarique. Nam *poteſtatem dedit* Chriſtus, *filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius.* Ioh.1.12. Et Ioh.3.18. *Qui credit in eum* (filium Dei) *non iudicatur, qui autem non credit, iã iudicatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei.* Et prima oĩm ſpiritualis huius curæ regula eſt, *pœnitentiam agite, appropinquavit enim*

Regula medicinales.

Regnum

Digitized by Google

Regnum cœlorum. Matth. 3. 2. Item *parate viam Domini & rectas facite ſemitas eius.* Ibidem v. 3. Item *ſanctimoniam ſectemini, ſine qua nemo videbit Deum.* Heb. 12. 14. Item: *Salutifera Dei gratia, erudit nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, modeſte, & iuſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, &c.* Tit. 2. 12. Hęc q negligit, & lutoſa atq; cœnoſa ſcelerum volutabra, gratiarum flumini præfert, mirum non eſt, ſi nunquam purgetur, ſed lutulentus & cœnoſus æternum pereat. Cuius tamē perditionis cauſa, nequaquam gratiarum aquis, quas lutulenta ſus negligit, & contemnit, ſed ſordidæ beſtiæ ſordidis cupiditatibus, & damnatæ inobedientiæ adſcribenda eſt. Idē plane de locis *paluſtribus*, quæ & ipſa non ſanantur, eſt iudicandum. Nam paludes illæ præter & extra aquas vivas fluentes, vitiatas & peſtilentes aquas concludunt, quibus nemo ſalubriter frui poteſt. Ita, qui neglecto gratiarum & benedictionum cœleſtium flumine, humanarū traditionum, aut quorumcunque figmentorum paludes ſequitur, is virtutis & efficaciæ purgantium & omnia vivificantium aquarum, nunquam particeps redditur. Cuius rei cauſa, rurſum non aquis vitæ publicè manantibus, ſed abſurdis illis & ſtolidis paludum ſectatoribus eſt attribuenda. Quam exitioſam ſtoliditatem graviſſimis verbis, populo ſuo Dominus exprobrat, apud Ieremiam cap. 2. 12. *Obſtupeſcite cœli ſuper hæc, & cohorreſcite, & deſolemini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me derelinquunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* H[illegible] ſedimenta, morum videlicet pravitas, & doctrinæ falſitas ac vanitas, quibus ab aquis gratiarum plurimi abſtracti, in locis cœnoſis & paludibus, nullo aquarum vel vitio vel defectu, ſed propriâ ſuâ culpâ & vitio[illegible] pereunt. Hactenus de effectu & ſalubritate aquarum.

Cur loca paluſtria non ſanentur.

Ierem. 2. 12.

Secundus effectus eſt aquarū earundem *fœcunditas*, ſeu *piſcium multitudo*, quibus abundat, exonerato in mare mortuū flumine ſacro. Sic enim demonſtrator Propheta, Ezech. 47. v. 9. *Et erit multitudo piſcium ampla valde.* Et v. 10. *Et ſtabunt iuxta illud* (mare mortuum ſanatum iam & vivificatum) *Piſcatores, ab Engaddi uſque ad Englaim expanſio ſagenarum: in ſpeciem ſuam multitudo piſcium, ſicut piſces maris magni copioſa valde.* Quorum verborum explicationem in textu dedimus, nec repetimus ſtudio brevitatis. Iam ſpiritualem hanc meditationem ſuſcipimus, de ſpiritualium aquarum ſeu benedictionum cœleſtium effectu, reſpectu numeri fidelium. De virtute namq; & efficacia aquarum vidimus, quæ ſanant & vivificant omnia, quocunque venerint, iam conſequenter de piſcium, hoc eſt, credentium & fidelium multitudine, qui ex aquarum iſtarum virtute & fœcunditate exoriuntur. Dicit autem piſcium multitudinem valde amplam eſſe. Et amplificat ex piſcationum frequentia. Piſcatores enim, poſt felices capturas, circumcirca, ſagenas & retia ſua ſuſpendentes exiccabunt. Piſcium autem *ſpecies* & multitudo tanta erit, quanta in mari magno.

II. Aquarum ſpiritualium fœcunditas.

Vbi loci, *primum* piſcium, hoc eſt, piorum & fidelium multitudinem admirari licet. In hac namque deſcriptione, ſemel atque iterum, multitudinis, amplę multitudinis, & valde amplæ multitudinis mentio fit, quę eſt multitudo & valde ampla multitudo piorum. Non enim irrita & vana eſt miſericordia Patris: Non ſine efficaci applicato fructu abſolutiſſimum meritum Salvatoris, neque in auras evaneſcit S. S. fidelitate prædicatum Evangelij verbum. Sed *quemadmodum deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur niſi inebriaverit terram, & fœcundaverit eam, &c. Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Iſa. 55. v. 10. 11. Multos autem eſſe, qui cœleſtium aquarum fœcunditate convertantur & ſalvantur, Demonſtratoris noſtri ſimilitudine patet. Confert enim multitudinem piorum, cum multitudine piſcium, qui in aquis fœcundis, mirum in modum multiplicantur, vnde

1. Magnus fidelium numerus.

Simile.

etiam in Hebræa lingua nomen acceperunt. Nam דָּג piſcem ſignificat, inde verbum דָּגָה quod piſcium more, augeri, multiplicari & fœcundari ſignificat. Hinc Iacobus, duobus Ioſephi filijs, Ephraimo & Manaſſi benedicens, ait: *Angelus, qui eruit me, de omnibus malis, benedicat pueris iſtis, &c. & ſicut piſces multiplicentur,* וְיִדְגּוּ לָרֹב Geneſ. 48.16. De hac multitudine & fœcunditate piorum loquitur Dominus apud Eſaiam, 49.18. *Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt ad te, vivo ego dicit Dominus: Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc anguſta erunt præ habitatoribus, &c.* Et verſ. 20. *Adhuc dicent in auribus tuis, filij ſterilitatis tuæ, anguſtus eſt mihi locus, fac ſpacium mihi vt habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis & ſolitaria, in exilium abducta & deſerta, & iſtos, quis enutrivit? Ego deſtituta & deſolata, & iſti vbi erant? Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & offerent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Eadem, iiſdem ferè verbis apud eundem Prophetam. Eſa. 60. verſ. 4.5. & ſeqq. repetuntur: *Leva in circuitu oculos tuos & vide: Omnes iſti congregati veniunt ad te filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando converſa ad te fuerit multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha: Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Eodem pertinet illud Pſalmi 113.6. *Dominus, ſterilem in domo habitare, & matrem facit filiorum lætantem.* Hæc etiam ſunt illa *centum quadraginta quatuor millia ſignatorum, & emptorum de terra,* quorum Apocalypſis cap. 7. v. 4. & cap. 14, v. 3. mentionem facit.

Obiectio de paucitate fidelium.

Dicas, quomodo hanc piſcium & fidelium multitudinem intelligam, cum Scriptura ſacra, multis in locis, de eorundem paucitate, iuſtas & repetitas querelas habeat? Pſalm. 12.2. *Defecerunt fideles & veraces à filijs hominum. Multi vocati & pauci electi*, inquit Chriſtus. Matth. 20.16. & 22.14. Eamque ob cauſam pios & fideles, *puſillum* appellat *gregem*. Luc. 12.32. *Noli timere, puſille grex, &c.* Et hinc hortatur, vt per *anguſtam portam intremus*. Matt. 7.13. Et Paulus conqueritur ex Eſaia, Rom. 9.27. Eſaias clamat: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël, tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.* Et rurſum ex eodem Propheta. *Niſi Dominus Zebaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus* Roman. 9.29. Ideoque *reliquiæ* appellãtur pij, κατάλειμμα & λεῖμμα, Romanorum 9.27. & 11.5. Eſaias, inquit: *Reliquiæ convertentur, reliquiæ Iacob ad Deum fortem.* Eſ. 10.21. Quomodo paucitas hæc, tanta dicitur amplitudo.

Eſa. 10. 22.

Reſponſio.

Reſponſio: Pij & fideles, cum *infinita* impiorum multitudine collati, *pauci* ſunt, puſillus grex, & vix reliquiæ arenæ maris, ſed in *ſeſe* conſiderati, multi ſunt, & adeò multi, vt fœcunditas illorum cum piſcium fœcunditate poſſit comparari. Non enim cœlum vacuum, aut triſtis beatorum raritas futura eſt, ſed dolenda comparatione, maior eſt numerus damnatorum. Hoc vnum eſt.

2. Piſcationum frequentia.

Deinde in hac eadem contemplatione, notanda quoque eſt, copia & frequentia piſcationum. Dicit enim Monſtrator, ab Engedi, vſque ad Eneglaim, eſſe expanſiones plagarum, hoc eſt, frequentiſſima piſcationum exercitia: vbi nunc piſcatoriæ ſagenæ in mare proijciuntur, ad capturam nunc extrahuntur, nec abijciuntur, ſed expanduntur & exiccantur, atque ita confeſtim ad aliam capturam præparantur, operis ſemper in orbem redeuntibus. Hæ ſunt piſcationes, de quibus Salvator ad Petrum & Andream, *venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum:* Prædicatio videlicet Euangelij, quam in Eccleſia, diligentem, frequentem, continuã & nunquam intermiſſam eſſe oportet. 2. Tim. 4.2. *Prædica verbum, inſta opportunè & importunè, argue, increpa, exhortare, in omni longanimitate & doctrina.* Et 1. Timoth. 4.16. *Attende tibi & doctrinæ perſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.*

Matth. 4. 19.

Et ad

Et ad Coloſſ. 3.16 *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & commonentes vos ipſos in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris.* Atque in hac diligentia & frequentia Piſcationum, exemplum ſe nobis proponit Apoſtolus, *vigilate*, inquiens, *memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui, cum lacrymis monens vnumquemq; veſtrum*, Actor. 20.31.

Tandem neq; piſcium *ſpecies* negligendæ ſunt. Dicit enim Monſtrator, multifarias hic omniſq; generis ſpecies piſcium reperiri, nec pauciores, quàm in ipſo mari magno. Hæc eſt benedictionum divinarũ reſpectu omnium ætatũ, conditionum & ſtatuum hominum, indiſtincta & vniverſaliſſima vniverſalitas. *Non* enim *in Chriſto eſt, Iudæus neq; Græcus, non eſt ſervus, neq; liber, non eſt maſculus, neq; fœmina. Omnes enim vos* (inquit Paulus) *vnus eſtis in Chriſto Ieſu*, Gal. 3. v. 28. Et Coloſſ. 3.10. *In Chriſto non eſt gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus, Scytha, ſervus liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Non* enim *perſonarum acceptor eſt Dominus, ſed in omni gente qui timet Dominum, & operatur Iuſtitiam, acceptus eſt illi*, Actor. 10.34. *Quæ obſervatio*, perturbatis, ex quacunq; cauſa conſcientijs, & ſolatij & gaudij plurimum afferre poteſt. Quicquid enim ſit, quod animum turbet, quaſi TV non ſis in eorum numero, quos aquæ ſalutares ſanare poſſint, aut debeant, confeſtim omnis generis ſpecierum recordare, nullum eſſe piſcem in mari magno, cuius ſpecies, non reperiantur in ſanato mari mortuo. Nulla igitur vilitas, paupertas, indignitas, adde, nulla peccati tanta gravitas in te eſſe poteſt, quę aquarum cœleſtium ſalubritatem ſuperare, adeoque ſpeciem illam piſcium, huic piſcationi ſubtrahere poſſit. *Eſt* enim *Chriſtus Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Tanta nimirùm abſolutiſſima perfectione, ac ſi omnia totius mundi peccata, vnicũ indiviſum peccatum inſtar puncti mathematici eſſent: aut omnia igitur, aut nulla prorſus ablata ſunt. Partitionem namque, ſeu diviſionem, reſpectu *expiationis* nullam admittunt. Hinc Iohannes in prima ſua capite primo: *Sanguis Ieſu Chriſti, Filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Quæ omnia tamen pijs, & pœnitentibus peccatoribus, in ſolatium, & conſcientiæ tranquillitatem: nequaquam verò præfractis & contumacibus, in auſus nefarios, & nefandorum multiplicationem ſcelerum edicuntur. Horum enim, qui ſuperabundanti Dei gratiâ ſceleratè abutuntur, *damnatio iuſta eſt*. Rom. 3.8.

3. Specierum perfecta multitudo.

Solatium tentata conſcientia.

Iohan. 1.29.

Chriſtus.

Tertius effectus, aquarum ſpiritualium, eſt *arborum fœcunditas*, quam Propheta noſter Ezechiel, cap. 47. v. 12. deſcribit. *Ad flumen aſſurgunt in ripa eius hinc & hinc omnes arbores eſculenti fructus, quarum folia non decidunt, & quarum fructus nõ conſumuntur, menſibus ſuis primogenita proferunt, quia aqua earum è ſanctuario prodeunt, ideò ſunt fructus earum cibo, & folia earum curationi.* Hiſce paucis verbis, vnius verſus, aliquot nobis ſpirituales meditationes proponuntur.

III. Arborum fœcunditas.

Primùm enim generaliter arborum fœcunditas deſcribitur: Et ad flumen aſſurgunt in ripa hinc & hinc arbores fructus eſculenti: עֵץ מַאֲכָל. Quæ ſint illæ arbores, iam in præcedentibus explicatum eſt: Pij videlicet & credentes: iam verò arborum illarum fructus contemplamur: non enim ſunt arbores ſteriles, ſed omnes frugiferæ. *Nemo* videlicet pius ſterilis eſt in operibus pietatis: Res namq; viva & operoſa eſt fides, nõ caput mortuum. *Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*, Rom. 8.14. *Fides per charitatem operatur.* Gal. 5.6. *Ficus autẽ ſterilis non habens niſi folia maledicta eſt.* Matth. 21.19. Et *exſcinditur*, Luc. 13.7.

1. Pii non ſunt arbores ſteriles.

Secundò notandum, fructus illos eſſe *eſculentos*, hoc eſt, non agreſtes & feros, ſed iucundos, ſuaves atque nobiles, qui veſcentibus ſunt grati ſaporis. Non ſatis videlicet eſt operari, ſed operandum eſt benè. Negotioſi enim valdè, & multùm occupati ſunt, tàm hypocritæ, quàm ſcelerati homines, & omnes omninò filij huius ſeculi. *Quare ieiunavimus* (inquiunt apud Eſaiam hypocritæ) *& non aſpexiſti, afflixinus animas noſtras, & neſciviſti?* Eſai. 58. v. 3.

2. Pii afferunt fructus eſculentos & gratos.

Vana hypocritarum ſtudia.

Digitized by Google

Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus rivorum olei? Nunquid dabo primogenitum meum, pro ſcelere meo, fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ? Mich.6.7. *Quid* non faciunt, quid non moliuntur Baalitæ? clamant voce magnâ, incidunt ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec ſanguis perfundatur. 1.Reg.18.28. *Quid* non imitantur hodie Pontificij, hypocriticis ſuis ieiunijs, peregrinationibus, χαμευνίαις, & cum primis fæcunda Baalitorum ſoboles, flagellarij Ieſuitæ? *Idem* dicendum de occupationibus, curis & multiplicatis ſollicitudinibus filiorum ſeculi. Quàm vbique negotioſus eſt homo avarus, qui maria, qui terras omnes tranſcurrit, vt copioſas cumulet opes. Quid non molitur, quid non adfectat, quid artis & technarū non excogitat, homo ſuperbus, elatus & invidus, vt alteri nocere, ad ſumma ipſe evadere poſſit? Eadem ſunt, neque remiſſiora ſtudia, hominis impuri & libidinoſi: Gulæ mancipij & ebrioſi, atque id genus omnium hominum. Sed hi omnes fructus, non ſunt *fructus eſcæ*, non ſunt fructus eſculenti, Deo grati & iucundi, ſed ſunt fructus agreſtes, inconditi, Deoq; Deiq; voluntati adverſantes. *Omnis* enim *plantatio, quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Matth.15.13. *Non novi vos, diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*, Matth. 7.23. *Malum contra proximum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quæ* odi *dicit Dominus*, Zach.8.17.

Occupationes ſceleratorum.

3. In pietatis ſtudio eſt perdurandum.

Tertiò, Folia harum arborum non defluunt: ſed in perpetuò ſunt virore & vigore. Non ſatis ſcilicet eſt, benè cæpiſſe, ſed in eodem ſtadio perpetuò eſt decurrendum. Nullus tribulationum ventus, nulla calamitatum tempeſtas ab exercitio bonorum operum & pietatis, vnquam nos deijciat. Non enim qui benè cæpit, ſed qui *perſeveraverit ad finem, ſalvus erit*, Matth.10.22.&24.13. *Nec coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, 2.Timoth.2.5. *Eſto* igitur *fidelis vſque ad mortem*, inquit Salvator in Apocalypſi, *& dabo tibi coronam vitæ*, Apocal.2. v.10. *Vincenti dabo edere manna abſconditum.* Ibid.v.17. Quicunq; verò in curſu pietatis deficit, ille arbor eſt ex Euro areſcens.

4. Pietatis utilitates perennes.

Quartò, Fructus arborum ſunt immortales. *Pietas* enim *ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* 1.Timoth.4.8. Fructus talis immortalis eſt, de quo Chriſtus concionatur: *Quicunq; dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ tantùm frigidæ, in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et Matth.19.29. *Omnis, qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Vbi notandum: *Vitam* quidem æternam donum Dei eſſe, ſed *in vita* æterna, plures & pretioſiores coronas accepturū, qui propter nomen Chriſti plura fuerit paſſus. Quod ipſum illud eſt, quod Paulus ad Romanos cap.5.6. habet: *Deus reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua.* Et 2.Corinth.5.10. *Omnes nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq;, τὰ διὰ τοῦ σώματος, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et Apocalypſ.14.13. *Opera illorum ſequuntur illos*: hoc eſt, pro pietatis operibus, quæ quiſque fidelium in vita hac exercuerit, amplam in cœlis, & copioſam recepturi ſunt mercedem. Hic eſt glorioſus ille & nobilis comitatus, quo piorum & fidelium opera, in vita æterna ſuos authores nexu indivulſo cingunt. Hi ſunt fructus, qui nunquam conſumuntur.

Rom.6.23.

5. Virtutum Chriſtianarum continuus Chorus.

Quintò. Sed miraculoſam quoque arborum fertilitatem attendamus. Hoſce enim nobiles & præſtantiſſimos fructus, non in ſingulos duntaxat *annos*, ſed in ſingulos *menſes* ſemel, & perfectos & maturos proferunt. Nam ſingulis menſibus primogenita fructuum edere, eſt phraſi Hebræa (*quæ in textus enarratione explicata eſt*) ſingulis menſibus, nobiliſſimos & perfectiſſimos, & præſtantiſſimos fructus proferre. Illi menſtrui fructus ſunt continuus pietatis, ſanctitatis, iuſtitiæ, puritatis, manſuetudinis, longanimitatis, patientiæ & omnium reliquarum virtutum, nunquam interruptus Chorus, atque perfecta

corona:

corona: Ita vt nullus totius vitæ hominis fidelis ánnus, nullus menſis aut dies, nulla diei hora, horæve momentum numerari poſſit, quin *ſanctitatis*, *caſtitatis*, *charitatis*, *prudentiæ & patientiæ perfectos* & maturos fructus, ex arbore ſancta legere non liceat. Qua de re Petrus, 2. Petri 1. verſ. 5. *Vos igitur ſtudio omni adhibito miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobis adſint & exuberent, non otioſos neq; ſine* fructu *vos conſtituent, in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.* Vbi Græca pulcerrima ſimul, & maximè emphatica ſunt. Ταῦτα γὰρ ὑπάρχοντα ὑμῖν καὶ πλεονάζοντα, οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν εἰς τὴν τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπίγνωσιν. Ex quibus videmus, has ipſas virtutes chriſtianas, illos ipſos eſſe fructus, quos Prophetæ Demonſtrator in arboribus riparijs monſtravit. Sed eoſdem fructus oportet eſſe πλεονάζοντας, hoc eſt, copioſos & exuberantes, Prophetę noſtri Monſtrator, menſtruos appellat (**Es muß bey einem jeden Chriſten ein** pleonaſmus virtutum **ſein**) Iam enim tempus & caſus eſt, vbi *humilitate* opus, mox maturum fructum ex arbore decerpas, è pleonaſmo proferas, iam *humanitate*, iam *longanimitatè*, iam *patientiâ* opus: mox maturum fructum vt carpas & ex pleonaſmo proferas, ſimul opus eſt. Idem de tota vita Chriſtiani hominis iudicium eſto, in qua non ſingulis duntaxat menſibus, ſed ſingulis etiam diebus & horarum momentis, maturis fructibus opus eſſe experieris: niſi enim & probè cocti & benè confirmati fuerint, facilis evenire poſſit error. Qui omni Chriſtiano homini, omni ſtudio vbique vitandus.

Virtutum pleonaſmus requiritur.

6. Cauſa fertilitatis Chriſtianæ.

Sextò. Miraculoſa ſanè hæc eſt arborum fertilitas, ſed vnde nam illa ſit, & ex qua cauſa, hoc etiam magis mirandum. Hanc Prophetæ Monſtrator, per anticipationem explicat, dicens: *Menſibus ſuis primogenita proferunt, quia aquæ earum è ſanctuario prodeunt*, hoc eſt, ſingularis ſanè & miranda eſt arborum fertilitas, ſed ſingularis quoq; & mirandus irrogationum modus. Nam aquæ quibus rigantur, è ſanctuario ſcaturiunt, & virtutes habent ſingulares & admirandas. *Fructus* nimirum fidelium non propriæ ſunt, vel plantationis vel rigationis, ſed Aquarum ſpiritualium è ſanctuario prodeuntium; hoc eſt, divinæ virtutis & benedictionis effectus. *Sine me nihil poteſtis facere*, inquit Salvator, Iohan. 15. verſ. 5. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Corinth. 3. verſ. 5. *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 15. verſ. 10. Charitatem igitur, manſuetudinem, longanimitatem, bonitatem habes, non ex te, ſed ex Deo habes. Sunt enim hæc fructus Spiritus, Galat. 5. verſ. 22. Caſtitatem & puritatem habes, ex Deo habes, qui cum Ioſepho, Suſanna & alijs Sanctis, & mentis & corporis puritatem tibi cuſtodit. Iram contines, nec ſuper illa ſolem pateris occidere, ex aquis ſpiritualibus habes, quæ cerebri tui calorem irrorantes iucunda humanitate & lenitate attemperant. Licet enim huiuſmodi fructibus etiam gentiles homines non omninò caruerint, ad eam tamen maturitatem & perfectionem, ad quam Spiritus ſancti, adeoque aquarum noſtrarum ſpiritualium gratiâ, homines pij & fideles venire poſſunt, illi nunquam pervenerunt. *Si quis igitur indiget ſapientiâ* (& ſic etiam patientiâ, manſuetudine, longanimitate, charitate, &c.) *poſtulet à Deo, qui dat omnibus* ἁπλῶς, *ſimpliciter & benignè.* Iacob. 1. 5. *Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Ibid. v. 17.

Poſtremò, fructuum illorum *præſtantia & vtilitas* commendatur: *Fructus illarum*, inquit, *ſunt cibo, & folia earum curationi.* Hoc eſt omnium bonorum operum, divini nominis augmentum atque gloria, & proximi commodum atque ædificatio, hic finis vltimus eſto. *Luceat lux veſtra corà hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, Matth. 5. verſ. 16. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*, 1. Cor. 10. 24. *Nemini quicquam debeatis niſi vt in-*

Digitized by Google

vt invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Rom.13.8. Hic omnis vitæ noſtræ ſcopus eſto, vt noſtris officijs iuvetur proximus: Deus Creator noſter, Chriſtus Ieſus Salvator, & Spiritus ſanctus Renovator & Sanctificator, in omnibus, & vbiq;, & ſemper, laudetur & celebretur. *Ipſi ſit benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo, in ſecula ſeculorum. Amen.*

I.

APPENDIX EX APOCALYPSI.

COLLATIO *noſtra viſionu cum Apocalypſi.*

IN meditationibus noſtris non ſemel, ſed iterum atq; iterum meminimus, viſionem noſtram Propheticam Eccleſiæ maximè *militantis* deſcriptionem eſſe, & deprehendimus ſanè, omnes ferè cardinales articulos & capita eleganter nobis in huius terræ ſanctæ, Civitatis & Templi deſcriptione depingi. *Vidimus* enim Altare Chriſtum, cum omnibus ſuis officijs atque meritis vniverſaliter omnibus hominibus propoſitum: *Vidimus* omnium hominum vniverſalem vocationem ad Civitatem & Templum ſanctum, hoc eſt, ad Eccleſiam & ſpiritualia eiuſdem bona. Ideo namq; portæ Civitatis, æquali numero, ad omnes orbis partes proſpectant: Ideo Altare Chriſtus in medio Templi ita locatum eſt, vt per omnes portas, nullo interiecto impedimento, directus ad ipſum radius pateat: *Vidimus* etiam cornua Altaris, quæ ſunt fides, quâ Chriſtus cum omnibus ſuis beneficijs eſt apprehendendus. *Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deò*, Hebr.11.6. Et ſine fide, Chriſtus ad ſalutem nemini prodeſt: *Vidimus* Vrbis & Templi τετραγωνίαν. hoc eſt, figuram quadratam & locationem in monte, nec non extremum firmiſſimum & robuſtiſſimum ambitum, quæ omnia Eccleſiæ militantis, abſolutam perfectionem, & firmitatem ac robur deſcribunt. *Vidimus* etiam de omnium piorum officijs atque muneribus certas leges & ſtatuta. Nihilominus tamen plæraque hæc, etiam ad Eccleſiam *triumphantem* & cœleſtem, in vita beata & glorioſa accommodari poſſunt. Sicuti eleganter admodum, *Apocalypſis* cap.21. & 22. aliquot noſtræ viſionis capita, ad triumphantem Eccleſiam transfert, & de cœleſti beatorum gloria & beatitudine iucundiſſimè interpretatur.

I. Hieruſalem de cœlo deſcendens.

Exempli gratia, Apocal.21.v.9.10. *Et venit ad me vnus de ſeptem Angelis, & & locutus eſt mecum dicens: veni & oſtendam tibi ſponſam, vxorem Agni, & ſuſtulit me in Spiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi Civitatem magnam, ſanctam Hieruſalem, deſcendentem de cœlo à Deo.* Ecce tibi verba noſtri Prophetæ Ezechiel.cap.40.2. *Viſionibus Dei adduxit me Iehova, in terram Iſraëlis, & collocavit me in monte alto valdè, ſecundum quem erat quaſi ſtructura Civitatis à meridie.* Sed ecce quoque Apocalypſeωs Civitatem magnam, ſanctam Hieruſalem, deſcendentem de cœlo, à Deo. Quam Angelus dicit eſſe ſponſam vxorem agni. Hæc eſt Eccleſia triumphans, beata & glorioſa in cœlis, & hanc ob cauſam de cœlo deſcendere, & cœleſtis eſſe dicitur, quia ab omnibus huius mundi infirmitatibus & periculis liberata & exaltata eſt. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius Tabernaculi diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam, æternam in cœlis*, 2.Corinth.5.1. Civitas autem appellatur hæc cœleſtis converſatio & gloria, propter commoditates, quibus vnius Civitatis incolæ iucundâ ſocietate & communione perfruuntur.

II. Hieruſalem cœleſtis fortiſſimo muro circumvallata.

Sed & alia conſideremus, quæ Apocalypſis de cœleſti Hieruſalem habet. Prophetica noſtra Civitas, muro circumdata, & monti ſuperimpoſita, Eccleſiæ militantis firmitatem, & conſpicuam in mundo gloriam depinxit. Hæc

eadem

Digitized by Google

eadem Apocalypſis de cœleſti Hieruſalem prædicat. Sitam eſſe in monte magno,& circumvallatam muro lato 144.cubitos (*qui numerus ex duodenario in ſe ſe ducto effloreſcit*) Apoc.21.v.17. Certa nimirùm, firma & inexpugnabilis beatorum gloria. Nam *gaudebit cor veſtrum,& gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*, Iohan.16.22. Et hoc certitudinis atq; firmitatis privilegium omnium & ſingulorum beatorum eſſe,ille duodecim tribuum numerus in ſe ductus eleganter exprimit.Quilibet enim ſuos cubitos in muri craſſitie habet.

Murus centum quadraginta quatuor cubitos latus.

Forma cœleſtis Hieruſalem eadem eſt, cum noſtræ Propheticæ *Quadrata* nimirùm,Apocal.22.16.Quæ figura inter rectilineas,maximè regularis & perfecta eſt:vtraque nimirùm Eccleſia, & militans & triumphans, ſuam æqualitatem,regularitatem,cõſtantiam rectitudinem & commoditatem habet, qua de re ſuo loco copioſiùs.

III. *Hieruſalem cœleſtis quadrata.*

Noſtra Prophetica Civitas duodecim portas habet,totidem etiam Hieruſalem cœleſtis,Apocal.21.22.Ex omnibus nimirum orbis partibus, in Eccleſiam militantem & triumphantem aditus patet.Ita tamen vt qui in militantem non venerit,illi nec in triumphantem pateat acceſſus.

IV. *Porta cœleſtis Hieruſalem.*

Latus Quadratum Civitatis noſtræ Propheticæ,eſt quater mille quingentorum cubitorum Ezech.48.v.30.32.33.34. Hinc totius Civitatis ambitus eſt cubitorum,decies octies mille. Sed latus Quadratum Hieruſalem cœleſtis eſt duodecim millium ſtadiorum. Apoc.21.16. Inde totus ambitus emergit quadragies octies mille ſtadiorum. Multò igitur amplior eſt cœleſtis Hieruſalem ambitus,quàm Eccleſiæ militantis. Ibi nimirum omnium ſeculorum fideles ſimul congregabuntur,qui in hiſce terris,particulariter & ſucceſſivè ſibi invicem ſubſequuntur.Et,ſi totus mundus in Eccleſiam militantem congregaretur,in cœleſti tamen gloria,locus nunquam anguſtus eſſet.

V. *Ambitus.*

In noſtra viſione,operoſam & diligentem deſcriptionem,&Templi,& Altaris,& ſacrificiorũ, & omnium partium divini cultus habuimus. Apocalypſ. 21.22.dicit in cœleſti Hieruſalem *nullum eſſe Templum*. Sed Dominum Deum omnipotentem & Agnum,Templum illius eſſe. *Tradet nimirum ibi Chriſtus Deo patri Regnum*, neq; amplius, vel verbo,vel Sacramentis,quæ ſunt huius noſtræ infirmitatis inſtitutiones & Elementa,erit opus.

VI. *In cœleſti Hieruſalem nullum Templum.* 1.Corinth.15.24.

Prophetica noſtra Civitas,& Templum,quadrata quidem ſunt,ſed non cubica: Altitudinem enim muri Templi, Demonſtrator Ezechielis, non maiorem dedit, quã calami vnius,eadẽ quoq; menſura eſt craſſitiei: Ezech.48.5. De altitudine muri Civitatis,nihil memini:Sed Hieruſalẽ cœleſtis , tota *cubica* deſcribitur,Apoc.21.16.Et longitudo,& altitudo & latitudo eius ęqualia ſunt. Τὸ μῆκος, καὶ τὸ πλάτος, καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐστί. Sua igitur Eccleſię militanti perfectio, ſuæ divitiæ & theſauri ſunt. Vnde ſanctum ſanctorum Templi Prophetici,& ipſum *cubicum* deſcriptum eſt:dona Dei nimirum in ſe perfecta, ſed hominum,etiam piorum & fidelium reſpectu, in triumphante Eccleſia, omnia cubica,hoc eſt,perfectiſſima ſunt,quibus nulla quantitas deeſt. Hic enim in Eccleſia militante *ex parte cognoſcimus, & ex parte Prophetamus: cùm autem venerit,quod perfectum eſt,evacuabitur,quod ex parte eſt*.1.Cor.15.9. Et, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:tunc autem à facie ad faciem*.Ibid.v.12.

VII. *Hieruſalem cœleſtis tota CVBICA.*

Hiſtoriam quoq; habuimus fluminis egredientis, è Templo: ſed & Apocalypſis nobis in cœleſti Hieruſalem fluvium æquæ vivæ monſtrat. Apoc.22. 1.*Et oſtendit mihi purum fluvium aquæ vivæ*. Hic fluvius,non è Templo,ſicut in militante Eccleſia,ſed *de ſede & Throno Dei & Agni* procedit.Copia nimirùm & omnis abundantia æternæ felicitatis,ab ipſo Deo *immediatè* in ſanctos profluit, qui facie ad faciem,æternis gaudijs affluentem perfruentur: non enim hic ſunt aquæ phialantes,aut turbidæ,ſed ſunt flumina, & puriſſima flumina aquæ vivæ.*In vultu* namq; *Domini,eſt abundantia gaudiorum,& delectationes in dextera eius vſq; in æternum*,Pſalm.16.11.

VIII. *Fluvius Hieruſalem cœleſtis.*

Tandem

Tandem etiam contemplati ſumus arbores riparias, ſed & Apocalypſis, in cœleſti Hieruſalem *arbores* demonſtrat: *Arbores*, inquit, *in medio plateæ eius, & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, adferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Apocal. 22.2. Noſtræ Arbores in Eccleſia militante, ſunt pij & fideles, proferentes fructus ſuos ad gloriam Dei, & proximi commoditatem. Apocalypſis verò alludit ad lignum vitæ, quod plantaverat Dominus in medio Paradiſi: Geneſ. 2.9. In Paradiſo autem & Hieruſalem cœleſti, vna & vera vitæ arbor, omnia ſatians ſananſq; eſt ipſe Chriſtus Agnus Dei, qui vitam in ſemetipſo habens omnia vivificat & ſanat. Ipſe enim *via, veritas & vita eſt*, Iohan. 14.6. *Ipſe reſurrectio & vita eſt, qui credit in eum, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Iohan. 11.25. *Ille eſt panis vitæ, qui credit in eum, habet vitam æternam.* Iohan. 6. v. 48. Ipſi vitæ noſtræ gloria, in omnem æternitatem. Amen.

II.

APPENDIX GEOMETRICA.

QVandoquidem profunditas S S. Scripturæ eſt immenſa, quæ nullibi nõ plura myſteria in receſſu habet abdita, quàm quæ primitus & in ſuperficie intuenti apparent: Locutionis enim ſuæ more, vt D. Gregorius ait, omnes ſcientias tranſcendit; quia in vno eodemq; ſermone, dum enarrat textum, prodit myſterium, & ſicut ſuperficie fovet ſimplices: ita myſterijs exercet ſapientes. Habet enim in publico, vnde nutriat parvulos, & ſervat in occulto, vnde mentes ſublimium in admirationem dulcedinis ſuſpendat. Ita dubium non eſt, quin & in hoc Prophetico, Ezechieli in viſione monſtrato Templo, multò plura alia ſublimia, ſubtilia & arcana, quàm de quibus nos hactenus diximus, lateant abſcondita, quæ non minùs, quàm cætera immenſam Dei ſapientiam redolent. Quoniam verò hactenus, admirandam diligentiam vidimus, quam in deſcribendis omnibus, etiam minutiſſimis totius ſtructuræ Templi dimenſionibus ex Architecti indicatione Propheta adhibuerit: certè ſingulari vt admiratione, ita etiam myſterio illud non carere videtur, quod Architectus tàm in Vrbis, quàm Templi; potiſſimarumque eius partium fabrica, in primis ad regulariſſimam, quæ ob id ipſum cæterarum menſura eſt, figuram *Quadratam*, tantâ ſolertiâ reſpexit, eamque tantâ induſtriâ, ſecundum omnes leges & regulas Geometricas determinavit, vt omnes Artifices normam quidem imitandi (ſi poſſint) non autem ſuperandi, ſibi propoſitam cernant. Quæ cùm ita ſint, ego inter iſtas totius ſtructuræ partiumque mirandas harmonias & proportiones medius verſans, in eas aliquando veni cogitationes; annon etiam aliquid ibi de ardua, ſubtili & abſtruſa illa, atque hactenus multis ſeculis à multis Geometris & Artificibus agitata, nec non à nonnullis miſerè exagitata, à nemine tamen (etſi tàm veterum, quàm Neotericorum quidam, ſibi ipſis ſingulare quodpiam artificium falsò perſuadeant) ad hunc vſque diem diſcuſſa & abſoluta quæſtione latitaret?


OCCASIO huius Appendicis.

Quæ eſt: *Quam Quadrata figura cum circulo, & quam circulus cum Quadrato habeat proportionem?* Vel, *Quis numerus diametro ſit aſſignandus, vt ei circulo, cuius area ſit quadrato alicui dato æqualis, competat?* Quia vero cuique ſuæ cogitationes ſunt liberæ, liberum etiam mihi fore ſpero, ſi quid de hac materia ego in hac ipſa Templi ſtructura (quod mihi non minus quàm alia maximè admirandum videtur) obſervaverim, proponam potius, quàm exponam, eo potiſſimum fine, vt alijs eadem de re ſcrupuloſiùs ſcrutandi admirandiq; ſuppeditem occaſionem.

Argumentum & Quæſtio.

Sunt

Sunt ergò in α β γ δ Templi fundamento ε & ε eius portæ ad ſeptentrionem & meridiem. ζ eſt punctum in Templo medium, quaſi centrum & Locus ipſius Altaris, η eſt locus Propitiatorii in Sancto Sanctorum. Ex hoc η puncto ſit erecta in altum recta η θ, ſecundum duas tertias altitudinis Sancti Sanctorum, &c.



Quandoquidem quodlibet Templi latus eſt 500. cubitorum, atq; idcircò ipſius area pfectè quadrata, habens cubitos 250000. quadratos; numerabitur recta à porta ε ad ζ centrum Templi vel locum Altaris, cubitorum 250. At ζ κ eſt, quemadmodũ ex præcedentibus patet, cubitorum 50. κ η autem eſt cubitorum 80. Ea enim æquat quatuor quintas ipſius κ λ, quæ κ λ 100. cubitos habet. Ideo tota ζ η eſt 130. cubitorum. Sed rectæ η θ altitudo, æquat duas tertias vnius lateris ipſius Sancti Sanctorum, quæ ſunt cubiti $13\frac{1}{3}$. Quodlibet enim eius latus, ut & altitudo, habet 20. cubitos, ſicut & recta η λ.

Quæritur nunc: ſi ab alterutrà porta ε ducatur recta ad θ, atque facto ζ centro, deſcribatur ſemidiametro ε ϑ (ſeu potiùs ζ μ, quæ ſit ipſi ε ϑ æqualis) circulus: annon eius circuli area vel exactè, vel quàm proximè æquet aream totius quadrati α β γ δ, cubitorum 250000? Ducatur etiam ε η recta.

Quoniam lateris ε ζ 250. quadratum eſt 62500. & lateris ζ η 130. quadratum 16900. fiet (docente penult. prop. lib. 1. Elementorum Euclidis) quadratum rectæ ε η 79400. At rectæ η ϑ $13\frac{1}{3}$. quadratum eſt $177\frac{7}{9}$. quod additum ad quadratum ε η, conficiet, per eandem penult. primi, element. quadratum lateris ε ϑ $79577\frac{7}{9}$. cuius duplum (hoc eſt, hoc quadrato in dupli quadratum, ſiue per 4. multiplicato, argumento prop. 4. lib. 2. Elem.) prodit totius diametri quadratum, $318311\frac{1}{9}$.

Vt autem quantitatem areæ circuli hac diametro deſcripti, inveſtigare & metiri, atque inde vniverſalem regulam practicam extruere poſſimus: paulò altiùs ſumendum eſt indagamen.

Licèt igitur quænam ſit vera proportio diametri circuli ad eius circumferentiam, vel areæ quadrati ad aream circuli, ut ſuprà memini, nondum ſciatur: Iam olim tamen cognitum fuit, quod *diametri ad circumferentiam proportio* non tantùm *ſit*, ſecundum Archimedem in libello de Dimenſione circuli, *Diametri ad circumferentiam proportio ex Archimede.*

 minor

Digitized by Google

minor quàm tripla ſeſquiſeptima, $3\frac{1}{7}$. id eſt, minor quàm 7. ad 22. *attamen maior quàm tripla ſuperpartiens decem ſeptuageſimas primas*, $3\frac{10}{71}$. qualis eſt 71. ad 223. *hoc eſt*, facta reductione ad eandem denominationem in numeris quidem minimis, *minor quàm* 497. *ad* 1562. *attamen maior, quàm* 497. *ad* 1561. ſive, qualium diameter eſt partium 10000,0000. talium circumferentia eſt minor quàm 3,1428,5714. attamen maior, quàm 3,1408,4507. (quos Archimedis terminos licet Neotericorum aliqui impugnent, expugnavit tamen adhuc nemo) ſed etiam, Purbachio in Præfat. Tractatus de Sinibus & Chordis, teſte, quòd ea proportio ſit ſicut 20000. ad 62832. hoc eſt, *qualium diameter eſt* 10000. illius numeri medietas, *talium circumferentia ſit quàm proximè* 31416. Et quidem ſi exactum calculum ſequamur, certum eſt, eam proportionem, ſecundùm veriſſimam & exquiſitam numerationem, qualium ſemidiameter eſt partium 1,0000,0000,0000,0000,0000,0000,0000,00. eſſe minorem quàm 3,1415,9265,3589,7932,3846,2643,3832,80. attamẽ maiorẽ quàm 3,1415,9265,3589,7932,3846,2643,3832,79. Ad hanc ſubtilitatem hîc quidem nos devenire non volumus, contenti, quòd *qualium diameter eſt* 10000,0000, *talium circumferentia veriſſimè ſit minor quàm* 3,1415,9266, *attamen maior quàm* 3,1415,9265.

Quæ vt præſenti noſtro inſtituto, de circuli, cuius ſemidiameter ζ μ æqualis eſt recta ι ϑ, area indaganda, accommodemus, aliæ duæ propoſitiones aſſumendæ ſunt. Harum prior manifeſta eſt ex 1. propoſitione Archimedis de Dimenſione Circuli. *Quòd* vid. *Semidiameter circuli ducta in ſemicircumferentiam producat aream eius*. Per hanc propoſitionem, *data circuli diametro part.* 10000. *computatur vera eius area part.* 7853,9816. *quàm proximè*.

Alteram Euclides lib. 12. prop. 2. element. demonſtrat, *quòd circuli, ſive circulorum area, eam habeant inter ſe rationem, quam à diametris deſcripta quadrata.* Per hanc propoſitionem cognitis duorum circulorum diametris, cognitaque alterius illorum area, area alterius ſimiliter mox patebit. Etſi alij quoque ſint modi aream ex diametro computandi, hæc tamen via per regulam proportionum omnium breviſſima eſt, ſecundum eam ergo numerorum hæc fiet collatio.

1.	2.	3.	4.
Circuli, cuius diametri quadratum eſt 1,0000,0000	eius Area eſt 7853,9816.	Ergo ſi diametri (quę eſt dupla rectę ι ϑ) quadratum ſit $318311\frac{1}{9}$. (provenit)	Area eius circuli $250000\frac{961}{1000}$.

Area ergo circuli, cuius ſemidiameter ζ μ æquat rectam ι ϑ, à porta ingreſſus in Templum, ad duas tertias altitudinis Sancti Sanctorum ex η, eſt 250001. vel paulò minor, vid. $250000\frac{961}{1000}$. ferè, ideoque quàm proximè æquat totius Templi quadratam aream; 250000. *vnica ſolummodò vnitate*, nec illâ *plenâ*, eam excedens.

Ecce *admirandam Geometriam*, quam Ezechielis, ſeu potius ſummi Architecti hæc Templi ſtructura ſuppeditat. Nimirum: *circulus*, *cuius* ſemidiametri quadratum componitur ex coacervatione quadratorum harum trium rectarum, 1. ex rectæ ι ζ (*à porta ingreſſus in Templum, ad eius intimum centrum ſeu locum Altaris*) cubitorum 250. quadrato 62500. 2. ex rectæ ζ η (*à medio Templi puncto ſiue ab Altari, ad ſtationem Propitiatorii, in Sancto Sanctorum*) cubitorum 130. quadrato 16900. 3. ex rectæ η ϑ (*à baſi è directo ſurſum verſus cælum, ad duas tertias Sancti Sanctorum*) cubitorum $13\frac{1}{3}$. quadrato $177\frac{7}{9}$. Is, inquam, circulus eſt æqualis, quã proximè, totius Templi areæ, *hoc eſt*: Si hypotheſin ad theſin reducamus. *Circulus, cuius ſemidiametri quadratũ colligitur ex quadratis numerorũ* 250. 130. & $13\frac{1}{3}$. vel, quod idem eſt, *cuius integra diameter æqualis eſt potentiâ po-*

tentiis

tentiis duplicatorum illorum numerorum, *ſcil.* 500. 260. $26\frac{2}{3}$. *ex quorum quadratis* *Regula practica*
250000, 67600, *&* $711\frac{1}{9}$, *colligitur quadratum diametri* $318311\frac{1}{9}$. *circulus is*, inquam, *eſt æqualis quadrato de* 500. *hoc eſt, quadrato* 250000. *quàm proximè.* Item, ſi hi numeri per fractionis adhærentis numerum 3, reducantur ad eandem denominationem, fient ij, manente priori inter ſe proportione, 1500. 780. 80. quibus vlteriùs ad minimos ſive inter ſe primos numeros reductis, correſpondent, 75. 39. 4.

Itaque *Circulus*, *cuius diameter eſt radix quadrata ex* 7162. *numero collecto ex quadratis* 5625. 1521. 16. *numerorum* 73. 39. *&* 4. *eſt æqualis quàm proximè quadrato* 5625. *producto ex* 75. *trium horum datorum numerorum maximo.*

Vnde *Mathematici* harum computationum periti, *quibuſcum has meas cogitationes ego communicaui*, de horum numerorum admirando connexu vehementer mirantur. Keplerus Sac. Cæſ. Mai. Mathematicus inter alia in hoc argumento hæc ad me ſcribit: *Dico ergò, nunquam mihi oblatum eſſe à quoquam, qui Quadraturam circuli attentaret, neque parabiliorem neque certiorem modum; nec me* *Perfecta Circuli*
credere, facilè aliquem hanc metam præſertim coniunctim vtranque transgreſſurum: Ita- *Quadratura im-*
que cum aliàs circuli quadratura omnimoda ſit impoſſibilis: inutilem puto laborem futu- *poſſibilis.*
rum, ſi quis hanc ipſam ampliùs velit perficere. Potius relinquatur caſui feliciſſimo hæc merita gratia: dicamuſq́, quadratum de 75. *æquare aream circuli, cuius diameter ſit radix quadrati compoſiti ex quadratis de* 75. *de* 39. *&* *de* 4.

M. Michael Mæſtlinus in Academia noſtra Mathematices Profeſſor, amicus & compater meus chariſſimus, Harmoniam horum trium numerorum non minoris faciendam iudicat, quam Archimedeam circumferentiæ ad diametrum proportionem. Sicut enim hæc in minoribus, ideoque intellectu facilimis, atq; ad omnem operationem & applicationem accõmodatiſſimis numeris, vid. $3\frac{1}{7}$. qualis eſt 22. ad 7. proponitur: Ita etiam hi 75. 39. & 4. numeri, hoc eſt, $18\frac{3}{4}$. $9\frac{3}{4}$. & 1. grandes non ſunt, ſed minuti, captuque faciles, ideoque in calculo tantò magis grati. Et ſicut Archimedis illi numeri perfectam & abſolutam veriſſimam proportionem non perfectè aſſequuntur, ſed eam aliquantulum ſuperant: Ita hi tres numeri nonnihil ad defectum declinant. Veruntamen differentia vtrobique tam eſt exigua, vt omnem ſenſum (niſi cum admodum grandibus numeris fiat comparatio) effugiat, atque idcirco pro nulla, & prorſus indigna, de qua quiſquam ſit ſolicitus, habeatur.

Præterea, quod vel maximè ſumma admiratione digniſſimum puto, quanquam Archimedei termini, interclusãm inter ſe hab ẽtes veram rationem ambitus circuli ad diametrũ, atq; ſic etiam veram quadrati à diametro deſcripti, ad aream circuli, h. e. rationem quadrati ad circulum, ſint ipſiſſimæ veræ (licet nondũ cognitæ) proportioni admodũ vicini, alter vid. eam ſuperans, alter ab ea deficiens: Hi duo tamẽ numeri 7162. & 5625. deprehendũtur verę illi rationi multò eſſe ꝓpinquiores, atq; idcirco Archimedeos illos argutos terminos longè poſt ſe relinquere. Etenim iuxta maiorem terminum $3\frac{1}{7}$. qui eſt; vt 22. ad 7. computat Archimedes, prop. 2. rationem quadrati ad circulum inſcriptum, ſicut 14. ad 11. Similiter iuxta minorem terminum $3\frac{10}{71}$. qui eſt vt 223. ad 71. procedendo, computatur illa ratio quadrati ad circulum inſcriptum, ſicut 284. ad 223. quæ ad priorem rationem reducta, eſt ſicut 14. ad $10\frac{9929,5775}{1000,0000}$. Quoniam autem veriſſima hæc quadrati ad circulum inſcriptũ ratio, prout ex ſuprà dictis conſtat, eſt, vt 10000,0000. ad 7853,9816. quàm proximè, ſed facta, vt prius, reductione, ea eſt, ſicut 14. ad $10\frac{9955,7424}{10000,0000}$: manifeſtum eſt quòd exceſſus maioris termini Archimedei ſit $\frac{44,2576}{10000,0000}$. & minoris defectus $\frac{26,1649}{10000,0000}$
At qualium duorum noſtrorum numerorum prior, 7162. eſt 14. talium alter

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ QVI IN HOC Commentario, vel explicantur vel conciliantur.

EXPLICANTVR LOCA:

Geneſeos: cap.	18.	verſu 6.	Pag.64
	22.	14.	177
	23.	15.	66
	24.	50.	138
	28.	12.	209
	44	22.	138
Exodi cap.	17.	verſu 15.	177
	21.	32.	66
	25.	39.	75
	29.	40.	61
	30.	13.	67
		24.	61
	38.	24.	75
		25.	74
Levitici cap.	14.	verſu 10.	61
	16.	27.	207
	27.	3.&c.	66
Numerorū cap.	3.	verſu 46.	66
	7.	69.	71
	31.	52.	71
Ioſuæ cap.	7.	21.	67.71
Iudicum	6.	24.	177
1.Samuelis	1.	24.	65
	9.	8.	67
2.Samuelis	14.	27.	69
	24.	24.	67
1.Regum cap.	4.	verſu 21.	65
	5.	11.	65
	7.	38.	62
	9.	14.	75
		28.	76
	10.	14.	76
		17.	72
2.Regum cap.	6.	verſu 16.18.	65
		25.	64.67
	7.	1.	64.67
		16.	67
	15.	20.	67
		19.	74
cap.	18.	verſ. 14.	p.74.76
	23.	11.	21
1.Paralipom.	22.	14.	75.76
	29.	3.7.	76
2.Paralipom.	2.	10.	62.65
	3.	9.	71
	31.	11.	21
Eſdræ cap.	2.	69.	72
Nehemiæ	7.	71.72.	72
	10.	33.	67
Pſalmo	42.	7.	98
	68.	14.	34
Eccleſiaſt.	11.	9.	263
Eſaiæ cap.	5.	verſu 10.	62
	63.	7.	147
Ieremiæ	33.	15.	175
	35.	2.	21
	36.	10.	21
Amos	8.	5.	68
Micheæ	5.	2.	196
Matthæi cap.	5.	26.	83
	13.	33.	64
	17.	24.	80
	18.	24.	75
		28.	79
	20.	13.	79
	22.	19.	79
	24.	24.	138
	25.	15.	75
	26.	15.	68
Marci	12.	42.	82
Lucæ	10.	35.	79
	19.	13.	73.

Index locorum Scripturæ.

Iohannis cap.	6.	verſu 7.	Pag. 79
	10.	27.	138
	12.	ſ.	79
Actorum	17.	30.	200
	19.	19.24.	79
Roman.	ſ.	10.	211
	8.	3.	217
	9.	18.	327
2. Corinth. 1.	4.	17.	26ſ
	ſ.	14.	210
Coloſſ.	3.	1.	190
1. Timoth.	2.	1.&c.	211
Hebr.	2.	9.	213
		17.	248
	6.	6.	214
	9.	4.	22
1. Petri	2.	6.	244
Apocalypſeos	14.	4.	261

Conciliantur loca:

			Pag.
2. Samuel.	24. verſu	24.	13
1. Paralipom.	21. v.	2ſ.	
1. Reg.	7. v.	13.14.	14
2. Paralipom.	2. v.	13.	
1. Reg.	7. v.	26.	62
2. Paralip.	4. v.	ſ.	
1. Reg.	7. v.	27.	23
2. Paralip.	4. v.	ſ.	
1. Reg. 8.	2. Par.ſ.v.10.		26
Hebr. 9.	verſu	3.	
1. Reg.	9. v.	11.	7ſ
2. Paralipom.	8. v.	14.	
Luc.	11. v.	ſ1.	1ſ
2. Paralipom.	24. v.	21.	

INDEX

I I.

INDEX LOCORVM THEOLOGICORVM, QVI IN hoc Commentario tractantur.

A.

Abiecti & humiles non franguntur 203

Abſolutum decretum Calvinianorum euaneſcit, vide Calviniani 19

Adami lapſus non eſt latior Chriſti redemptione 212

Adoptionis donum in filios Dei eſt Vniverſale, & omnibus partum: ſolâ autem Fide applicatur 231

Aeternitas perpetuum, & ſtabile nunc. 260. *Similitudines de æternitate.* 1. *gutta aquæ ad mare.* 2. *Arenæ globulus ad totum Orbem terrarum. Antiquitatis avicula tranſportans orbem.* 260. *Aeternorum Bonorum nobilitas* 273

Aquæ Templi ſunt copiæ benedictionum diuinarum. 326. *Sunt Phialantes: hoc eſt, Regnum Dei non venit cum obſeruatione* 328. *Sanant mare mortuum* 331. *Aquarum illarum profunditas.* 330. *Vis & efficacia* 331. *Fœcunditas.* 335. *Cur non omnes aquarum iſtarum ſalubritate ſanentur.* 332. *Cur loca paluſtria non ſanentur* 333

Auaritia ſocietatem ciuilem perimit 121

Auaritiæ mala 121. *Avari omnium mortalium ſtultiſſimi* 121. *Aurum nobile ſtercus terræ* 274

B.

Beneficia N. Teſtamenti, & merita Salvatoris Vniverſalia 309

BONA OPERA. *Iuſtificati merito* CHRISTI *ad Bona Opera obligamur* 257. *Bonis operibus ſua recompenſatio promiſſa eſt* 257

C.

Caduca Bona nunquam ſunt pura 272

CALVINIANI *docent, quoſdam ideò illuminari, ut tantò periculoſius damnentur* 119. *Portam orientalem in anguſtum coarctant* 199. *ipſam portam vitæ demoliuntur.* 201. *Deum Hypocritam faciunt.* 119. *Spiritum ſanctum Hypocritã faciunt.* 201. *Propheticum altare fortiùs quàm Pontificij impetunt.* 219. *Caluiniani aliud ore dicunt, aliud corde ſentiunt, ſimulatores, & diſſimulatores* 222. *Caluiniani concionatores, in maximam partem auditorum ſuorum ſunt crudeliſſimi carnifices.* 224. *Nullum auditorum ſuorum indubiâ certitudine ad pœnitentiam inuitare poſſunt.* 224. *Operti Euangelij cauſam Deo aſcribunt.* 225. *horrenda ſua βδελύγματα agnoſcunt.* 225. *Chriſtum cum omni ſuo merito ſoluût.* 226 *Calviniani dicunt, λόγον in infinitis locis eſſe extra aſſumtam Naturam humanã.* 292 *ſunt Samoſateniani.* 297. *Vnitionem, nec ullam aliam communicationem, ſeu naturarum ſeu proprietatum intelligunt.* 297. *ſoluunt unionem perſonalem.* 302. *Caluiniani Doctores non ſunt filij Tzadoc* 315

CALVINIANORVM *obiectiones, quas pro immobilitate fidei afferunt, & harum ſolutiones.* 138. *Contra eorum abſolutum decretum reprobationis.* 141. *Eorum deſperata, βδελύγματα, Deum multos homines ad damnationem creaſſe.* 201. *Chriſtum pro paucorum tantùm hominum peccatis ſatisfeciſſe.* 201. *Eorum fraudes in prædicatione verbi.* 222. *in ſacramentorum diſpenſatione.* 223. *Caluinianorum Melancholicus Spiritus.* 239. *Abſolutum decretum exploditur.* 19. 285. 305. *Eorum ſimilitudines.* 293. *Publica confeſſio Caluinianorum, nullam eſſe naturarũ communicationem.* 297. *Eorum exceptiones de præſentia Dei in creaturis.* 302. *Stoliditas quã ſuis ſimilitudinibus produnt.* 303. *Eorum exceptio, fidem veram nunquam extingui.* 306

CALVINIANIS *impoſſibilis res eſt, Chriſtum hominem ubiq; eſſe.* 293. *eis communicatio nihil aliud eſt, quàm unio* 296

CALVINIANOS *excæcant prædicamentum quantitatis & ubi.* 303. *ſecundùm eos* [illegible] *τȣ̃ λόγȣ carni aſſumtæ non potuit communicari* 297

CALVINIANA *doctrina eſt deſperatiſſima.* 221 *perfectiſſimis concludendi modis caret.* 221. *cum certiſſima deſperatione juncta* 222

Digitized by Google

CALVINIANÆ doctrinæ ſolatia 221

Calviniana doctrinæ refutatio 119

CALVINIANARVM concionum Natura & Pictura 225

CALVINIANAS conciones frequentare, auditoribus Caluinianis reprobis res eſt omnium periculoſiſſima 224

CALVINIANVM decretum de abſoluta reprobatione, eſt horrẽdum βδέλυγμα 118. Caluinianum dogma eſt blaſphemum in meritum Chriſti. 220. Stoico-calvinianum & Calviniano-Stoicum fatum exploditur, quod circa immutabilitatem veræ fidei confingunt 135

CALVINIANI dogmatis blaſphemia & deſperatio 142

CALVINIANA dogmata corrumpunt altaris Quadraturam, hoc eſt, meritorum Chriſti perfectionem, & Vniuerſalitatem, pro Quadratis τραπέζια obijciendo. 220. Caluiniana edulia de volũtate Patris, merito Chriſti, & Miniſterio verbi 223

CALVINISMVS. In Caluiniſmo præſentiſſimum periculum Chriſtianiſmi. 296. periculum ſub Caluiniſmo latens 297

Ceremoniales Leges Veteris Teſtamenti ſunt antiquatæ 309

CHRISTVS Verus Deus. 9. 167. 181. 208. 245. Verus homo. 9. 181. 208. 245. Architectus Eccleſiæ ſuæ. 8. ſegregatus à peccatoribus. 9. Index. 9. Oſtium ad Patrem. 9. Oſtium Templi. 241. Solus Eccleſiæ oſtium. 316. Porta unica orientalis, quâ Pontificij nolunt eſſe contenti. 197. Angelus faciei & Angelus fœderis. 148. 244. Vnica Eccleſiæ porta. 196. Oriens ex alto. 1. ratione Divinitatis. 196. 2. ratione, quâ ab æterno deputatus eſt mundi redemptor. 197. Altare Holocauſti. 207. Mundi Meſſias. 231. Templum Sacrii. 241. Creator Angelorum. 243. omnium ſuorum & noſtrorum hoſtium victor. 244. Piorum Salvator, impiorum vindex. ibid. verum noſtrum thymiaterium. 245. verus panis propoſitionis, 246. vera lux. 246. noſtræ ſanctitatis author. 249. Lux mundi. 305. Maxima ſapientia. 310. Vbiq; ad dextram Dei ſedet. 190. Omnium hominum Salvator, omnes vult ſaluari. 120. Sacrificium pro totius mundi peccatis. 202. Ariel pro omnibus omnium hominum peccatis ſatisfecit. 210. pro omnibus mortalibus paſſus eſt. 210. Chriſtus potentior ad ſeruandum, quàm Adam ad perdendum. 212. etiam pro pereuntibus mortuus eſt. 214. Meritum ſuum omnibus vult proponi. 216. in medio mundi omnes homines vult ſalvari 216. Solus pro noſtris peccatis ſatisfacere potuit. 217. ſolus vitam æternam meritus eſt 256 λόγος eſt caro, & caro eſt λόγος 208

CHRISTI maieſtas naturalis τοῦ λόγου, communicata vero homini. 208. de omnipræſentia Chriſti 292. Tres modi corporis Chriſti alicubi eſſendi. 300. Chriſti Humanitas adoranda. 246. Exempla adoratæ Humanitatis Chriſti. 246. Maledicta doctrina, quæ hominis Chriſti gloriam & maieſtatem diminuit. 246. Chriſti ſublimitatem omnes pij adorant. 248. Chriſti regnum toto orbe diſperſum. 117. Chriſti deſiderium & volũtas ſaluandi. 199. Eius gratia non admittit meritum humanum. 256. Omnia Chriſti Saluatoris merita ſunt gratuita. 327. Sine amore Chriſti, impoſſibile eſt renovari ad pœnitentiam. 215. Chriſti beneficia verâ fide ſunt apprehẽdenda. 216. Sunt univerſalia 309

CHRISTO Saluatori nemo homo æquiparandus 248

CHRISTVM totum nos docemus præſentem 1. ex Myſterio incarnationis & unionis perſonalis, 294. quia totus λόγος incarnatus eſt, non pars λόγου. 297. quia itẽ unio perſonalis facta eſt indiſtanter. 298. 2. Ex communicatione idiomatum. 304. 3. Ex ſeſſione ad dexteram Dei. 4. Ex clariſſimis Scripturæ Teſtimoniis. 304. Demonſtratur poſt Incarnationis Myſterium λόγον nunquam & nuſquam eſſe extra carnem 302. Chriſtum caput & ſponſum noſtrum, & Dominum honoremus, colamus. 290. Certiùs eſt, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, quàm omnes homines mortuos eſſe. 210. Per ſolum Chriſtum acceſſum habemus ad Patrem 316

CHRISTO. De communicatione idiomatum in Chriſto. 296. De communicatione naturarum in Chriſto 295. Vtrùm inter duas naturas ſit cõmunio 295. Qualis illa ſit. 295. communicatio & negatio communicationis naturarum & proprietatum earundem mutuò ſe ponunt & tollunt. 296. Non omnes homines perſonaliter uniti ſunt cum λόγῳ 158. In Chriſto diuinæ conſortes naturæ, eã dignitatẽ ſtudioſè tueamur 290. ſine Chriſto nemo Deo placet 310

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI. *Chriſtiani ſunt Reges & Sacerdotes.* 248. *Cuiusvis Chriſtiani nomen Iehova Schamma.* 156. *Chriſtianorum officium laudare Dominum.* 232. *Chriſtianis omnibus omni iniuſtitiâ interdictum eſt.* 120. 324. *Omnes Chriſtianos oportet eſſe filios TZadoc* 233

Civitatis Sanctæ excellentia. 150. *Author, & fundator Deus* ibid.

Communio Sanctorum. 118. 134. 203. *Ea æqualis omnibus.* 134. *Pij communionẽ habent cum Deo.* 283. *Capita dignitatis & vtilitatis communionis noſtræ cũ Deo* 283

Cœna Dominica plena ſolatii. 164. *Ex illa reſurrectio mortuorũ concluditur.* 164. *Vt & ex vnione myſtica Eccleſiæ cum capite ſuo* 165

Concilii Tridentini ſophiſticationes, earumq́ refutatio 256

Conſcientiæ tentatæ ſolatium 335

CONSILIARII. *Melior Reipublicæ ſtatus, in qua eſt Princeps malus, & boni conſiliarii, quàm in qua princeps bonus, & conſiliarii mali.* 154. *quinam cõſiliarii principi deligendi, qui non* 154

Conſolatio pro afflictis. 265

Corpus Chriſti tripliciter conſideratur. 1. *vt Phyſicum,* 2. *vt glorioſum.* 301. 3. *vt diuinum, ſeu perſonaliter vnitum cum filio Dei* 302

Corporum glorioſorum dignitas 301

Corpora glorioſa non niſi per diſpenſationem apparent. 301

Cultus diuini conſeruatio, & propagatio 325

D.

Damnatorum deſperata ſpes. 260. *de pudore capitis damnatorum* 263

DEVS. *Vnus in eſſentia, trinus in perſonis.* 147. *Vbique præſens: ſingulariter autem Eccleſiæ ſuæ.* 153. *Vult omnes homines ſaluari: multi verò vocati Euangelio non obediunt: multi etiam Euangelii titulo gloriantes ſcelerate viuunt.* 188. *cum piis & fidelibus per gradus incedit.* 241. *non extenditur.* 303. *ſine quantitate magnus eſt* 303 *Deus pœnitentiam agentes recipit in gratiam.* 306. *Dei gloriæ omnia noſtra inſeruiant.* 248. *Dei præſentia & Eccleſiæ & omnium piorum ſumma gloria & maieſtas eſt.* 281. *Dei præſentia generalis & gratioſa.* 281. *omnia dona Dei gratuita ſunt,* 304. *de Dei rerumq́ diuinarum cognitione.* 307. *Deum agnoſcens ſpernit omnia.* 321. *A Deo omnium rerum principium eſt* 239

Dilectio Dei vniuerſalis eſt, ſoli tamen credentes illâ dilectione perfruuntur 228

Diligentia in rebus diuinis locanda. 9. *in officio exequendo.* 10. *in templi Ezechielis contemplatione* 44

Diuites, & honorati non extolluntor. 203. *myſterium de diuitibus.* 203. *de vanitate diuitiarum* 275

Doctores. Pro piis doctoribus Deo gratia agendæ ſunt 7

Doctrinæ Euangelicæ puritas 308

E.

ECCLESIA. *Eſt mons, & ciuitas Domini.* 7. *terminatur fide.* 118. *ad mundi finẽ vſque durabit.* 134. *Vniuerſalis quare non deficiat.* 137. *Firmiſſimis propugnaculis cõtra omnes ſuos hoſtes munita eſt.* 139. *Omnium ciuitatum maxima.* 140. *Domus Dei.* 150. *Inſuperabilis.* 155. *cur tot calamitatib. ſubiecta.* 155. *ſupra mõtem poſita eſt.* 186. *Omnibus hominibus conſpicua Eccleſia.* 187. *Quomodo Eccleſia interdum ſupra montẽ poſita, occultari poſſit.* 189. *Eccleſia comparatur cum Luna.* 189. *Omnia mundana deſpicit.* 190. *Eccleſia ſponſa, Chriſti radiis coruſcat.* 283. *Eccleſia Chriſti eſt inſuperabilis & invicta* 284

ECCLESIÆ *celſitudo & dignitas.* 8. *gloria, robur & firmitas.* 8. 187. 191. *Architect⁹ Chriſt⁹.* 8. 180. *Miniſtri oẽs fideles* 134 *Priuilegia & immunitates.* 150. *Libertas.* 151. *Iuſtitia.* 151. *Honores. ib. Præmia.* 152. *Cura pauperum.* 152. *Eccleſiæ regimen & adminiſtratio.* 153. *felicitas ex perpetua Regis præſentia.* 155. *Architecti famuli ſunt miniſtri.* 181. *Eius conſtitutio primò omniũ ſollicitè curanda.* 115. *Miniſtri rebus ſacris vacẽt.* 130. *Eccleſiæ bona reliquis ſunt præſtantiora.* 185. *Triumphantis Eccleſiæ menſura abundantior.* 185. *Eccleſiæ ſuæ ſingulariter Deus parens eſt.* 153. *Eccleſiæ ſplendor, nobilitas.* 186. *ſalubritas.* 187. *Dominus exercituũ murus Eccleſiæ.* 191. *Eccleſiæ ſtabilimentũ, fundator, & protector eſt Deus.* 240. *Eccleſiæ N.T. gloria.* 282. *Eccleſiæ caput & ſponſus Chriſtus.* 283. *Eccleſiæ beneficia & priuilegia.* 309. *Eccleſiæ ſpiritualia bona omnes mundi pompas longiſſimè exuperant.* 328. *Nota Eccleſiæ Catholicæ nõ eſt, ſemper & æquabiliter conſpicuum eſſe* 330

ECCLE-

ECCLESIAM. *Omnibus advenis ad Eccleſiam patet aditus.* 118. *Extra Eccleſiam nulla ſalus* 142.327.329

ECCLESIA. *Statu rerum omniũ deploratiſſimo, Deus pro Eccleſiâ ſuâ maximè eſt ſollicitus.* 6. *In Eccleſia ceu civitate ſancta omnia ſint quadrata, id eſt, æquabilitate & rectitudine decora.* 133. *Eſt in illa omnium ſpiritualium bonorum communio.* 134. *In Eccleſia accuratiſſimis menſuris omnia ſunt definita.* 182. *In Eccleſiâ bonis malos commixtos eſſe, nemo offendatur.* 189. *In Eccleſia omnia fiant* ἐυσχημόνως. 204. *In Eccleſia perpetuus triumphus.* 205. *Edulia ſacra in Eccleſia.* 250. *Modus præſentiæ Dei in Eccleſia.* 283. *Quæ de Eccleſia vera ſunt, vera ſunt etiam de eius membris.* 284. *In ſcholis & Eccleſiis fovendis, Reipub. ſita eſt ſalus* 325

ECCLESIARVM *verus ornatus* 204

ECCLESIASTICI & *Politici ſtatus ſunt diſtincti* 129

Electionis decretum non duabus, ſed tribus rebus abſoluitur 227

Energetica præſentia 293

Euangelij operti cauſa non Deus, ſed Diabolus eſt 224

Euangelium aliis odor vitæ ad vitam: aliis mortis odor ad mortem 244

Euangelij curſum nemo inhibere poteſt 395

F.

Fides amitti poteſt. 135. 285. *fidei immutabilitas Calviniana refutatur.* 192. *Credens fidem amittere poteſt.* 192. *Fidei æterna ordinatio ſunt cornua altaris Prophetici.* 226. *Fidei* τάξις *ab æterno eſt ordinata* 226

FIDELES. *Omnes in ſeſe conſiderati deficere poſſent.* 137. *Sunt vnum concordia, & Spiritus vnitate, & vnius corporis, quod eſt Eccleſia, ſingularitate.* 156. *Sunt concorpores.* 157. *vnum cum* CHRISTO *vnione myſtica.* 157. *Vnum cum Deo vnione ſpirituali.* 158. *In ſacra Cœnâ* CHRISTO *myſticè vniuntur.* 159. *nobilitatem ſuam agnoſcant.* 161. *Propter inhabitantem SS. Trinitatem ſanctè viuant.* 162. *propter eiuſdem inhabitationem ab omnibus periculis tuti ſunt.* 163. *Propter eandem inhabitantem ardenter precentur.* 165. *ſe mutuò diligant, & revereantur.* 166. *mutua charitatis officia præſtent.* 166. *In adverſis patientiam exerceant.* 166. *Sanctè viuant.* 182. *Sunt inſuperabiles:* 192. *mundo valedicant.* 193. *Sunt ſacerdotes.* 232. *omnes in* CHRISTO *ſunt tutiſſimi.* 241. *quomodo dicantur irreprehenſibiles & inculpati: ſcil. imputativè, inchoativè, gratioſè.* 262. *Mutuæ dignitatis memores inuicem ſe diligant, & honorent.* 291. *Sanctificantibus Dei donis fruuntur ſoli.* 327. *Fideles cum gaudio vitam finiunt.* 205. *Inter omnes fideles perpetua & iurata pax colitur.* 279. *Fideles deficientes à gratia Dominus reiicit.* 306. *Dominus fideles ſuos per gradus deducit* 193

FIDELIVM *in regno Chriſti æqualitas.* 117. *tuta ſecuritas.* 187. *certiſſima & tutiſſima ſalus.* 285. *magnus numerus.* 333. *Obiectio de paucitate fidelium* 334

Figura huius mundi præterit 277

Filius Dei filius Diaboli fieri poteſt, & contra 306

G.

Gloriam & dignitatem noſtram conſiderantes piè & ſanctè vivamus. 289. *templum Dei ne polluamus. In* λόγῳ *nobilitati, omnia terrena deſpiciamus* 289

Gratia Dei ab initio tenuis, admiranda ſumit incrementa 328

H.

Hæreſeon vtilitas 140

HEBRÆÆ *linguæ vſus.* 48. 73. *Ad ſtudium eius exhortatio.* 112. *In cognoſcenda illa, aurea noſtri ſeculi felicitas.* 112. *Eius iucunditas.* 112. *vtilitas. ibid.* 113. *Hebræi veteres rectè ſenſerunt de eſſentiæ diuinæ vnitate.* 145. *de perſonarum Trinitate.* 146. *de differētiis Characteriſticis.* 146. *de æqualitate perſonarum in divinitate* 147

Homines vitro magis fragiles. 277. *Terreſtres, cæleſtes quid?* 190

Hypocritarum vana ſtudia 335

I.

IEHOVA. *Nomen Iehoua eſt Deo proprium & eſſentiale.* 143. *Vnde.* 143. *quid ſignificet ibid. nomen Dei.* 143. *Expoſitiones nominis Iehoua ex Petro Galatino.* 143. *Proprium Dei nomen non novimus.* 144.

In no-

In nomine IEHOVA multa myſteria latent. 144. Solum nomen Iehova ſoli Deo maximè proprium. 144. Hebræis non licebat, niſi in ſanctuario Sacerdotibus nomen IEHOVA proferre. 144. Nomen Iehova nulli vnquã creaturæ tribuitur. 144. Nominis Iehouà aliæ expoſitiones fuerunt. 144. 145. 146. 147. Axioma Theologicum: De quocunque enunciatur IEHOVA, is eſt verus Deus 168

Iudæi huic axiomati contradicunt negantes: alias etiam res præter Deum & Meſſiam, qui Deus eſt, appellari Iehova. 168. ad inſtantias Hebræorum reſpondetur 168

Impii vnus Spiritus cum Diabolo. 291. Iidem fidelium dignitatem, eorundemque vindicem Deum exhorreſcant 292

Indulgentiarum vanitas 134

Impatientiæ damna. 270. dolor non mitigatur, corona amittitur. 270. qui temporales moleſtias ferre non poteſt, æternos cruciatus quomodo perferet? 270

Infidelitas & peccatum ſeparat à dilectione Dei 192

Iuſtificationis meritum vniuerſale, ſolâ autem fide apprehenditur 230

Iuſtorum via recta. 325

M.

MAGISTRATVS. Magiſtratus eſt ſanctum officium. 115. commune aſylum Patriæ. 115. Iudæorum receptatores grauiter peccãt. 313. Eius conſtitutio primò omnium ſollicitè curanda. 115. Nullam habet peccandi licentiam. 312. contra magiſtratus, qui, falſos Doctores taxandi, verbi Miniſtris frena iniycere præſumunt. 317. De iure gladii Magiſtratus 321

Magiſterium cathedræ 322

Mala huius ævi cum malis æternis non comparantur. 265. multò minus cum bonis æternis. 265. Mala omnium hominum & ætatum ad ὑπερβολὴν futuræ gloriæ non habent proportionem. 266. Nemo homo omnibus malis vrgetur 266

Martyres cum gaudio vitam finiũt. 205 quantâ conſtantiâ & alacritate vitam finiverint 271

Menſura rerum Eccleſiaſticarum ſunt in manu Domini. 183. adulterinæ ſumma Deo abominationi ſunt. 183. Menſurarum diuinarum falſatores 184

MINISTRI ECCLESIÆ. Eccleſiæ miniſter non ſit ſcertator 252

In MINISTRO verbi ebrietas ſacrilegium. 252. virtutum Trinitas in miniſtro fulgeat 252

MINISTRI Eccleſiæ ſcrutentur ſcripturas ſacras. 111. ſint Fideles in docendo. 113. credant ſi ſaluari velint. 142. ſint conſtantes, 181. vita pura & integra. 181. Miniſtri verbi pergræcantes ſunt macula Eccleſiæ. 251. Sacerdotis Levitici ornatus virtutes Eccleſiæ miniſtri depingit. 252. Miniſtri Eccleſiæ indigni ſunt falſi Doctores. 314 polluti moribus. 314. quomodo tractandi. ibid. Idonei & digni ſunt, qui in doctrina ſinceri, in moribus integri ſunt. 315. Miniſtri Eccleſiæ res ſacras ſacrâ religione tractanto. 317. Temperantiam colant. 318. Nuptiarum honeſtatem obſervent. 318. diuinam veritatem fideliter doceant, falſa dogmata diligenter refutent. 318. nullis rationibus in officio ſuo ſe impedire patiantur 319

MINISTRORVM Eccleſiæ ſalarium 319. Cultus corporis eorum grauis eſto. 317. Multorum levitas & inconſtantia. 317. Mercedis poſtrema cura. 319. Miniſtrorum verbi dignitas & divitiæ. 320. Dominus eorum poſſeſſio. 320. ſolatium & gaudium miniſtrorum verbi fidelium 320

Miſſa idololatrica 316

MVSICA. Muſica Davidis. 236. Muſica ſacra pietatis affectus plurimùm movet 237. Muſica Prophetiæ ſpecies 237

Muſica antiquitas. 234. Primus author 234. Vſus tempore Iacobi. 234. tẽpore exitus Iſraëlitici, Iobis. 234. Vſus politicus. 235 Militaris ibid. Sacer. 236. ſolennis. ordinarius, ibid. Maieſtas eius. ibid. Muſica cõtemptores beſtialitate feras vincunt. 236. Muſicæ comparatio cum eloquentia, & arte pictoria. 237. Muſicæ ſacræ definitio. ibid. Refutantur Calvinianorum ſomnia de uſu Muſicæ in N.T. ſublato. 237. Muſicæ uſus in primitiva Eccleſia. 238. Abuſus 239

Muſicâ. Sententia in eos qui Muſicâ abutuntur 239

Myſteria diuina non occultanda 148

N.

Nuptiarum prohibitio dogma Dæmoniorum 318

O.

Obſcuritas Scripturarum. 6. Non omnia in Scripturis, nec omnibus ſunt plana. ibid. Nec tamen omnia obſcura. ibid. Si in Scri-

Digitized by Google

pturis omnia plana eſſent, faſtidium oriretur, ſin obſcura omnia, ignorantia & defectus 6

P.

Palatinorum Spiritualium nota aulica 279

PAPA, communione ſanctorum excluſus eſt. 134. non eſt filius Tzadoc. 315. Papæ Romani ſcelerata temeritas 134

PATIENTIA præſtanda. 267. patientia generatur æternis. 270

Patientiæ fidelium exempla. 268. Gentilium 268

Peregrini & hoſpites in terris ſumus. 274. Peregrinantis hominis inſania μεταϲχηματισμός. 274. Peregrinantium laudata cogitationes 275

Perſeverantia requiritur. 286. Vnde donum perſeverantiæ. ibid. Cur non omnes perſeuerent. 287. Perſeuerantiæ media, ſcelera fugere. 287. Exerceri in ſtudio pietatis. 288. reſiſtere Diabolo, indeſinenter orare ibid.

PIETAS. Pietatis ſtudium oportet eſſe continuum. 182. 336. Pietatis utilitates perennes 336

PII, ab omnibus periculis tuti. 203. columnæ in Eccleſia. 240. Exercitatiſſimi in ſuperioribus gradibus examinantur. 241. quomodo ſequantur agnum. 262. Omnia intra conſcientiam ſuam poſſident: Seculo maiores: ſole altiores ſunt. 275. Sunt fratres CHRISTI. 284. hæredes Dei: reges: ibid. latiſſimè frondentes arbores. 329. nec ſemper nec omnibus ſunt conſpicui. 330. non ſunt arbores ſteriles. 335. afferunt fructus eſculentos & gratos. 335. PIORVM quotidiana crux. 204. Solatium in afflictionibus. 205. gaudium internum. 205. corona triumphalis. 206. dignitas cum mundi maieſtate collata. 282. affectus erga Iudæos 313

PECCATVM. Peccata ſunt murus inter Deum & homines. 312. peccatum contra conſcientiam admiſſis, amittitur fides 287

POENITENTIA. Cur & quomodo impoſſibile ſit, aliquos ad pœnitentiam reuerti, quia ſcilicet Chriſtum oderunt & oſtentui habent. 214. Sine amore Chriſti impoſſibile eſt renouari ad pœnitentiam. 215. de deſerentibus iniuſtitiam & agentibus pœnitentiam. 306. Vtrùm Niniuitarum pœnitentiâ, Domini voluntas immutata fuerit 306

Pœnitens priora non legit veſtigia, ſed ad ea, quæ antrorſum ſunt, pergit 326

Politici, leges & diſpoſitionem templi non euertant 130

Pſeudopoliticorum peſtilentiſſima nugæ 116

Pollutio ſpiritualis eſt idololatria 261

Pondera vitiata & menſuræ Domino abominationi ſunt 324

PONTIFICII. Portâ Orientali unicâ nolunt eſſe contenti. 197. Sanctam Deiparam virginem ſummis iniuriis afficiunt, & omnes ſanctos ignominiâ mactant. 198. altare Propheticum fruſtrà oppugnant. 218. ſua bona opera cum CHRISTI merito coniungunt. 255. ſuis meritis in Deo factis vitam at. promereri volunt. 255. Iniurij in meritum CHRISTI. 256. adiungunt principi Sacerdotum magnam calonum catervam. 317. Pontificiorum inſania, cœlum meritis propriis conſcendendum ſomniantium. 254. Gigantomachia. 255. Pontificiorum doctrina eſt, ſola CHRISTI merita ad nos iuſtificand. non ſufficere. 257. Pontificia oppugnatio aulæ Poſticæ 255

PRECES, cum fumo aromatico comparatæ 245

Precum noſtrarum exauditio certiſſima. 165. 247. Precum formula ad ingreſſum Templi 240

Precibus nihil alieni fumi admiſcendum 246

Precantes, cum Deo præſente loquimur. 247. Devotè ergò precandum. 247. precandum in nomine Chriſti 246

PRINCEPS, primam Eccleſiæ curam habeat. 116. 322. non eſt ſolutus legibus. 116 Paraſitorum blanditias ſedulò caveat. 117. etiam optimus, malis conſiliariis eſt venalis 154. Miniſtrorum pravitate corrumpitur. 154. Non omnia ex nutu & clementiſſimâ voluntate expedire poteſt. 155. cultus divini ſinceritatem promoueto, libertatem non cohibeto. 322. Viâ Orientali eâdem cum Sacerdotibus utitor. 323. Idem ſtudium rerum Sacrarum. 323. Omnia ad præſcriptũ verbi diuini, ad Dei laudem & gloriam. 323. Ipſe & Sacerdotes mutuas dent operas. 323. ne exemplis peccet, caveto. 323. frugalitatem colendo ſubditorum expilationem caueto. 324. Populi ſalus ſuprema Lex eſto. 324

POPV-

POPVLVS recto tramite pergito, nullas attendens vel carnis, mundi, vel Diaboli remoras. 325. Principis non ſunt omnia 116. 321. Voluntas eius pro lege habenda non eſt, niſi cum voluntate diuina conſentiat. 117. De loco Principis inter ſacrificandum 322

Publici conventus & cultus precioſè habendi 131

R.

Reconciliatio, hoc eſt, meritum CHRISTI eſt vniuerſale. 212. 228. acceptatio autem eius ſola fidelium ibid.

Redemtio eſt opus totius Trinitatis 242

De remiſſione peccatorum ſolatium 209

S.

Sacerdos in regno CHRISTI non eſt iniquitate pollutus 234

SACRIFICIA, fidelium, fidei, laudis, pietatis 233

Sacrificiorum V. & N. T. diſcrimen 309

Sacra integrè tractanda. 91. Sacris vacantes omnibus terrenis abſunto 137

Salvandum credere oportet 217

Sanctus omnia ſancta 249

Sanctificati ſanctitati ſtudento 249. 312

Sanctificationis meritum eſt vniuerſale: Soli autem fideles ſpiritui ſancto ſunt ſanctificati 230

SCRIPTVRA ſola fidei norma. 184. Eadem inter beneficia Salvatoris, & eiſdem participantes prouidè diſtinguit. 227. Rationi noſtræ clauſa eſt 243

SCRIPTVRAM Chriſtus tuetur 243

SCRIPTVRARVM amabilis temperatura. 110. lumen S. Scripturarum 242 Hoc Pontificii obſcurant. 243. Earundem veram cognitionem à Deo petamus 243

SCRIPTVRAS corrumpere, eſt limites tranſponere 118

SPONSA CHRISTI in familiam Dei tranſit: vnum cum ipſo corpus & ſpiritus. 283. Omnium bonorum ſponſi particeps 283

T.

Temporalium ad æterna nulla comparatio. 264. nulla proportio 272

Terrenarum rerum omnium Proportio eſt inter ſe, ad cœleſtes nulla. 265. Earum ſatietas. 273. Terrena deſiderans cœleſtia conſiderare non poteſt 313

THEOLOGIÆ ſtudioſus Arithmetices & Geometriæ non ſit ignarus. 132. Theologiæ mellitiſſimum edulium, Hebraicæ & Græcæ Linguæ cognitiò. 251. Exhortatio ad diligentiam in ſtudio Theologicò. 193 Theologicorum ſtudiorum nobilitas. 251. ſtudia Theologica à vulgi ſtrepitu remota 250

Traditiones quid ſint 308

Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate 147

V.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. 277. vanitatis amor miſera captiuitas. ib. Qui vanitate paſcitur, vanus efficitur 277

Virtutum gradus & incrementum. 194

Virtutum Chriſtianarum pleonaſmus requiritur. 194. 337. Continuus chorus 336

VITA ÆTERNA. Quænam vita æterna. 253. Vita & felicitas beatorum, vita & felicitas æterna eſt 257

VITÆ ÆTERNÆ pictura aula poſtica. 253. Vitæ æternæ meditatio ad vitæ ſanctitatem nos exhortetur. 261. conſtantem patientiam alat. 264. omnium rerum terrenarum contemptum nobis pariat. 272 Vitæ æternæ ſeu aulæ poſticæ inſcriptiò. Sine ſanctimonia nemo videbit Deum. 262. Omnis igitur generis peccata fugiamus, quæ aditum in aulam præcludunt. 262. Sciamus aulæ Magiſtrū eſſe omniſcium. 263. Omnia noſtra facta beatis omnibus manifeſtabuntur. 263. vitæ æternæ perfectio. 273. Similitudo abſconditi theſauri precioſæ margaritæ. 273. Τὸ ὑπέροχον æternæ gloriæ. 274. Vnius vitæ æternæ ſpes Chriſtianos ad pacem & concordiam hortetur 278

VITAM ÆTERNAM eſſe. 253. nemini niſi per Eccleſiam acceſſus in vitam æternam 253

In VITA ÆTERNA etiam gradus ſunt futuri. 195. Meditationes piorum de vita æterna 258

Vnio perſonalis non eſt facta ſecundum partes. 294. neque localiter. 295. Sine naturarum & proprietatum communicatione ne fingi poteſt. 295 non eſt nuda coniunctio ibid.

Vocatio gentium 117

III.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

Abrahami convivium. 64. *Sepulturæ precium* 66

Abſalonis capilli. 69

Achan furtum 67.71

Alexandri Magni nobilis adoleſcẽs 269

ALTARE. Thymiamatis. 22. *aneum holocauſtorum. ibid. holocauſti in templo Ezechielis.* 44. *Eius typus.* 44. *menſura.* 44. *Baſis.* 45. *Atrium inferius* 45. *Harel Ariel* 45. *Cornua* 45. 216. *magnitudo. ibid. cum ſtatura humana comparata.* 206. *forma.* 207. *Oppugnatores.* 218. *gradus. ib. In medio atrij locatum vndique conſpicuum* 216

Anaxarchus exemplum patientiæ 269

Annonæ caritas tempore Eliſai remiſſa 64.67

Anteriora ſunt ſpiritualia, cæleſtia & æterna 202

Antiqua translatio ſibiipſi contraria 42 *Eius enorme vitium* 73

Aquæ ſanctuarij templi Prophetici Phialantes 94. *Earum origo: incrementa.* 94. *arbores ripariæ.* 95. *Effectus.* 95. *Piſcium & piſcationum multitudo* 95

Aravnæ diverſa nomina. 12. *Area Aravnæ precium* 67

Arborum fructuoſa fœcunditas 96

ARCA fœderis Domini. 21. *Permanet in Gilgal.* 24. *Capitur à Philiſtæis. ibid. Manet in Kiriath Iearim, in domo Aminadab. ibid. transfertur Hieroſolymas. ibid. Moratur in domo Obededom. ibid. Venit Sionem* 25. *Infertur in templum Salomonis.* 25. *Arcæ Inventarium.* 26. *Arcæ hiſtoria.* 24. *Difficultas translationis* 24

Area Sacerdotum. 37. *Area pura* 37

Ariel. 45. *quadratus* 209

Arithmetices diuina profunditas 266

As diuiditur in partes duodecim, quæ vnciæ vocantur 87

Aſſarium quid. 81 *Eius Aeſtimatio* 81

Aſſyriaca indictio. 74. *Aſſyriaci fœderis præmium* 74

Atriorum diverſitas ratione ſanctitatis 195. *Omnia tamen ſancta ſunt* 195

Auri ad argentum proportio decupla 70 *auri & argenti permutatio.* 70. *Aureus Florentinus, ſeu Rhenanus* 70

B.

Bathus quid? 58. *Bath, & Epha menſuræ æquales* 58

Bathus æquatur nouem menſuris VVirtembergicis regiis, vel decem vſualibus 60

C

Cabus quid? 54. *continet dimidium menſuræ VVirtemberg.* 63

Cadus quid 59

Calamus. 5. 28. 84. *Alius communis, alius Propheticus* 29.84.122

Candelabra aurea in templo Ieroſolymitano 22.75

Cantores 35

Canon Concilii Chalcedonenſis 298

Caſilienſis muris precium 79

Cathedra, ſive ſuggeſtum Salomonis in atrio populi. 18. *Chomer quid in aridis.* 55. *In liquidis.* 58. *Chomer in liquidis habet* 90. *menſur. VVirtemberg. regias: vſuales* 99.61

Ciſtophorus 79

Ciuitatis Propheticæ communitas. 101. *menſura.* 102. *Suburbia.* 102. *Eorum menſura. ibid. Communitatis ciuitatis reſidua.* 102. *Incolæ.* 103. *quantitas.* 104. *Menſuræ laterum ciuitatis definitio.* 106. *Laterum dimenſio.* 106. *Portarum numerus.* 107. *Ambitus.* 107. *Nomen.* 107. *Portæ* 107

Claui aurei Salomonis 71

Columnæ Salomonis 22

Collationes in inſtrumẽta tabernaculi 71

Coronatus 70

Corus quid? in aridis. 55. *in liquidis.* 58 *æquat* 90. *menſur. VVirtembergenſ. Ducales.* 63. *Et conſequenter minor eſt medimno* 64

Crateres aurei centum in templo Ieroſolymitano 22

Cubitus quid. 28. 84. *alius communis, alius regius, ſeu Propheticus.* 28. 84. *Quæſtio, vtrùm cubiti, an calami in textu Prophetico de quantitate extremi atrii ſint intelligẽdi.* 41. 101. 104. 105. 106. *Demonſtratur autem non calamos, ſed cubitos eſſe intelligendos* 105

Dauidis

D.

Davidis impenſa ad futuram templi ſtructuram in argento. 75. *In auro* 76

Debitum ſervi nequam. 74. *conſerui* 79

Denarius eſt drachmalis. 77. *Eius æſtimatio.* 79. *de Denariis Novi Teſt.* 77

Didrachma quid 80

Difficultas viſionis Propheticæ 1

Digitus quid 28. 83

Domus Domini vox æquivoca. fol. 15. 27. 47. *Eius porticus.* 16. *partes Principales. ibid. fundamentum. ibid. Exedræ & thalami atriorum.* 20. *theſauri.* 21. *Supellex* ibid.

De Drachmis 76

Ducatus, moneta, quid 70

E.

Ellipſis apud Hebræos frequentiſſima. 178. *Exempla Ellipſeos* 178

Epha quid. 55. *nobilis menſura.* 55. *facit* 9. *mens. Ducales VVirtemberg.* 63. *Et conſequenter minor eſt modio.* 64. *Epham imminuere, & augere ſiclum quid* 68

Ephimeri hiſtoria. 278. *Creatoris conſilium in Ephimero* 278

Exedræ variæ Miſnaioth. 21

Ezechielis curſus Propheticus. 4

F.

Fames Samaritana 64

Fertilitatis CHRISTIANÆ *cauſa* 337

Funiculus lineus 5

G.

Gazophylacia atriorum templi Hieroſolymitani 23

Gentiliū Exempla cur proponantur 269

Geometria vſus 41

Gloria & maieſtas Dei aduentantis ad templum Ezechielis. 42. *vbi apparuerit.* 42. *qualis fuerit.* 43. *quorſum conceſſerit* 43

Gomer quid 55

H.

Hannæ matris Samuelis munus 65

Harel 45

Hieronymus Pragenſis 271

Hin quid. 57. *Eſt ſeſquimenſura VVirtembergica* 60

Hinis partes 60

Hirami diverſa nomina. 14. *Tribus: Patria.* ibid.

Hiſtoria Abiathar, & Tzadoc 46. 315

Holocauſtum Sabbathorum 91

HVBERIANISMVS. 226. *Huberus fidei ordinationem, ex æterno electionis actu proſcribit.* 226. *Huberi* ἀπαιδευσία 231

Huberianæ opinionis refutatio. 226. *deciſio plerarumque quæſtionum circa controverſias Huberianas.* 227. *regula definiendi illas controverſias* 227

I.

Ieſuitæ calamoperdæ 184

Impoſſibile dicitur, quod vel iure illicitum, vel factu difficile eſt 138

Interpretationes falſæ & ſomnia Hebræorum. 1. *refutatio eorundem* 2

Iobus quo tempore vixerit 234

Ioannes Huſs 271

Iſraël pro Eccleſia 11

Iudæi nec abſolutè, nec omnes reiecti. 313. *Bibliothecarÿ noſtri fideliſſimi, & diligentiſſimi* 313. *Diligamus igitur, & eorum æmulemur diligentiam.* 314. *Myſterium de eorum conuerſione* 312. 313. *Priuilegia eorum.* 313. *Cæcitas eorum* 309

Iura Politica Propheticæ ciuitatis 53

Iuſtitia commutativa 324

K.

Kikar vulgare. 13. *Sanctuarÿ* 13

Κοδράντης. 82. 83. *Eius æſtimatio* 83.

Κορβᾶν: Κορβανᾶ 34

L.

Lacus æneus in atrio Sacerdotum templi Hieroſolymitani. 22. *Eius capacitas.* 23

Latronibus ad crucem CHRISTI *duobus, patientes & impatientes conferuntur* 271

Leges tēpli generales. 307. *Speciales* 314

Letech quid. 56. *continet* 45. *mens. Duc. VVirtembergicas* 63

Leuca quid. 123. *Spacium vnius horæ. ibid. duæ Leucæ milliare germanicum* 123

Vna Leuca quatuor Italica priſca 123

Levitæ vocantur quoque Sacerdotes. 35. *Levitarum & Sacerdotum diſcrimen* 35

Officia eorum, *curare domus mūdiciem, & ſacrificiorum leges, canticis celebrare Dominum, Ianitores agere.* 35. 232. *numerus tempore Dauidis.* 232

Libra triplex 87

Log quid. 57 *idem eſt cum octava parte menſuræ VVirttembergicæ* 60

Luteres ſeu labra decem in atrio Sacerdotum templi Hieroſolymitani. 23. *Vſus eorum* ibid.

Lyſimachus Rex deplorat impatientiam ſuam 272

Digitized by Google

M.

Machanaim 291
Magici libri Epheſiorum 79
Man, vnde nomen habeat? 72
Mare mortuum. 95. *mare aneum templi Ieroſolymitani.* 22. *Eius vſus.*23. *maris mortui hiſtoria.* 330. *Mare mortuum ſpirituale* 331
*Maria nardus. Iohan.*12. 79
Mathematicorum ſtudiorum commendatio 103
Menſa decem aurea in templo Hieroſolymitano 22
Mēſa Salomonis aurea ad panes faciei 22
*Menſura alia continuorum: alia aridorum & liquidorum.*54. *Menſura aridorum* 54.55. *tabula menſura aridorum.* 56. *Menſura liquidorum.* 56. *Tabula menſurarum in liquidis.* 59. *Collatio menſurarum Hebraicarum cum menſuris Ducatus VVirtembergici.* 59. *tabula comparatarum mēſurarum.* 61. *De proportione menſurarum aridorum.* 63. *Tabula continens proportionem menſurarum Hebraearum in aridis cū menſuris noſtris liquidorum.* 63. *Proportio menſurarum VVirtembergicarum in ſe* 64
*Merces operariorum Matth.*20. 79
Militia multitudo cœleſtis 291
*Milliare quid.*123. *quotuplex* ibid.
Mina. 72. *Eius ſignificatio.* 72. *aeſtimatio.* 72. *Minae gentium: ut Aegyptia, Syriaca, &c.* 72
Minuta 82
Mulcta in Dominū cornupeta Bouis 66
Muſici Propheta. 35. *Muſici inſtrumentales* 232
Mutius Scaevola exemplū patientia 269

O.

OBLATIO *recenſitorū.*74. *Oblatio ſancta.*100. *Inter Iuda & Bēiamin media* 103
OBLATIONES *Principum ad Tabernaculum.* 69.75. *ad reſtaurationem templi* 72
OBLATIONVM *in nouis Ieroſolymis definitio.* 89. *Tempus.* 90. *Perſona offerentes* 90
Obſcuritas viſionis Prophetica 1.5
Occupationes ſceleratorum 336
Oues manentes intra ſepta 287

P.

Palmus quid? 28. 83. *Expanſus.* ibid.
Palmicubitus quid 128
Panes propoſitionis 22
παραδειγματίζειν quid ſit 215
Parallelo grammum Ezechielis 103
Paſſus quid? 122
Peccatū de peccato cōdēnare quid ſit 217
Peccatum pro ſacrificio pro peccato 217
Portica ſiue radius quid? 28.84
Pes Graecus, & Romanus quomodo differant 122
*Philippi rationes Iohan.*6. 79
Piſcationum frequentia. 334. *Specierum perfecta multitudo* 335
Plagarum mundi Diſtinctio ſecundum ſcripturam 202
Praeda Madianitica 71
Pretium piſcis apud Plinium 82
*Primogenitorum redemtio.*66. *Primogenitum quid Hebraeis.* 96. *Primogenitus malorum, id eſt, bipedum nequiſſimus* 96
Prīcipis donationes. 92. *depeculationes ib.*
Proſelytarum numerus 13.19.
πρόςωπον 38
Pompeius exemplum patientiae 269
Porta acceſſus principis in ſacrificiis. 91. *Cur extremus ambitus vnicam tantum habeat portam: reliqua atria plures.* 201. *cur nulla templi porta ab occidente* 202
Portiones tribuum. 99. *Aquilonares ibid. Portio ſacerdotum* 101. *Leuitarum* 101. *Principis* 103. *reliquarum tribuū* 103
Pſalmus quid ſit 238
Puncta Hebraeorum: vtrum literis eorum ſint coaetanea, aut recentiora? 170. *Nobis & litera & puncta Hebr. eiuſdem ſunt aetatis & ortus.* 170. *Rationes huius* 170

Q.

*Quadrans.*82. *Eius aeſtimatio* 83
Quadratum ſanctum. 52. 100. *Eius ſpecialis diuiſio* 101

R.

Regula interpretationis ἀπὸ κοινοῦ. 41. *Practica.* 71
Regula permutandi aurū cum argento 71
Regula practica: Cōuertere talenta in Siclos. 74. *Inueſtigare talentorum precium in argento.* 74. *In auro.* ibid.

S.

SACERDOTIS *ſummi locus* 48
SACERDOTES. 46. *ſacerdotes de gradu ſuo deiecti.* 49. *Legitimi* 50
SACERDOTVM *ordines.* 48. *ſacerdotalis veſtitus.* 50. *Veſtiū materia linea.* 50. *mutatio.* 50. *cultus corporis.* 51. *Temperantia.* 51. *Matrimonium.* 51. *Officii partes.* 51. *Puritas.* 51. *Bona externa* 51

Digitized by Google

Sacrificium expiationis 47. *Modus oblationis* .ibid. *Sacrificia quotidiana*. 47. *Sacrificiorum ſanctorum culinæ*. 92. *Earum forma, quantitas, & commoditas* 93

Sal: omnium condimentorum præſtantiſſimum. 310. *putredinem pellit*. 311. *amicitiæ ſymbolum*. 311. *Inſtar animæ*. 311. αὐτεξεῖας *Symbolum*. 311. *Homero divinus*. 310. *Sapientiæ ſymbolum*. 310. *Spurcus & putridus*. 311. *Salis vſus*. 310. *Salem Chriſtianum præterire*. 311. *Salem & cuminum cœnare*. 311. *Sine ſale nihil ſacrificandum*. 310. *Sermo ſale conditus* 311

Salomonis panis cibarius quotidianus. 65. *liberalitas in cæſores lignorum*. 65. *ſcuta* 300 *aurea*. 72. *aurum ex Ophir* 76

Sanctificari populum quid ſit? 92

Sanctuarium exterius 48

Sancti ſanctorum ſupellex 21

Sannheribica mulcta tẽpore Ezechiæ 75

Satum quid. 54. *habet* 3. *mẽſuras VVirtembergicas*. 63. *Et conſequenter quàm proximè æquat quartam partem modii* 64

Seruorum fideliter negociantiũ lucra 75

Seſtertius quid. 81. *differentia inter ſeſtertios, ſeſtertia, ſeſtertium*. 81. *Seſtertiorum regula practica* 82

Sichemitarum conductitia oblatio 67

Siclus duplex fuit. 1. *Pondus*. 2. *moneta*. 66. *Siclus moneta*. 66. *Eius nomẽ*. 65. *quid ſit*. 66. *ſemuncialis æſtimatur dimidio Thaleri Imperialis*. 66. *Inſcriptio*. 66. *Partes*. 67. *Gerah*. 67. *Semiſſis*. *ibid*. *Triens*. 67. *quadrans*. 67. *Siclus pondus in argento*. 68. *in auro*. 70. *uterque vel communis vel ſacer* 68

Sodomorum perennata conflagratio typus gehennæ 331

Spithama quid 28. 84

Stadium quid 122

Stater quid 80

Stipendium medicorum Romæ 82

Summa ſpontaneæ collationis ad templum Ieroſolymitanum. 76. *Omnis collationis ad ſtructuram templi* 76

Supellex atrij ſacerdotum. 22. *theſauri templi Hieroſolymitani* 24

Superna & cæleſtia meditanda 44

Symbolum hoſpitale Luc. 10. 79

T.

Tabernaculum teſtimonii. 24. *Eius hiſtoria*. 25. *Infertur templo Salomonis*. 25. *In tabernaculo arcâ vacuo populus Deum colit* 25. *Tabernaculorum feſtum, & novarum Hieroſolymarum quomodo differant* 90

TABVLA: continens menſuras continuorum, quibus magnitudines, & interualla metimur. 83. *De menſuris liquidorum componens ex partibus integra*. 84. *reſoluens integra in ſuas partes*. 84. *Habens proportionem Hebrææ menſuræ & noſtræ VVirtembergicæ Ducalis*. 85. *De menſuris aridorum, componens ex partibus integra*. 85. *Reſoluens integra in ſuas partes*. 85. *habens proportionem Hebr. menſuræ in aridis cum noſtra VVirtemberg. in liquidis* 86. *Habens proportionem liquidorum & aridorum noſtræ VVirttembergenſis menſuræ*. 86. *habens proportionem aridorum Hebrææ menſuræ ad noſtram*. 87. *De ponderibus: explicans rationem ponderum Hebræorum*. 87. *De nomiſmatis & monetis argenteis*. 88. *de analogia auri ad argentum*. 88. *de Nou. Teſt. & quibuſdam extraneis monetis* 88

Talentum. 73. *Ratio nominis ipſis Hebræis obſcura*. 73. *Sumitur de terra, pane, metallis*. 73. *Inveſtigatio valoris*. 74. *habet ter mille ſiclos*. 74. *Kikar Argenti*. 74. *auri*. 75. *Talentum Græcum*. 6000. *Drachmarum*. 77. *Achaicum, AEginæum* 77

Thalerus Imperialis 70

Thamar quid 104

Templum cum appendicibus quadratum 38

Templi Ieroſolymitani topographia. 12. *Parietes & circuitus*. 16. *feneſtræ*. 17. *Ornamenta*. 18. *Atria*. 18. *Sacerdotum, auxilij, mulierum*. 18. *prophanum*. 19. *Supellex* 22

Templi Ezechielis deſcriptio. 26. *Murus exterior*. 29. *porta*. 29. *thalami iuxta portam vtrinque portæ adhærentes*. 30. *Duæ porticus, exterior, & interior*. 31. *Portæ latitudo*. 32. *Longitudo*. *ibid*. *Muri illius feneſtræ*. 32. *Ornamenta antepagmentorum*. 33. *Templi eiuſdem Atria, Infimum*. 33. 41. *Medianum*. 33. *Intimum*. 35. *Veſtibulum*. 36. *Palatium, ſeu Sanctum*. 36. *Sanctum Sanctorum*. 37. *Ambitus*. 37. *Contignationes, earumq́; diuerſa latitudo*. 37. *Aula poſtica* 38. *quadrata*. 38. 39. *Conclavia templo collateralia*. 39

Eorum ſitus 39. *ſtructura.ibid.* *Area.*50. *cubitorũ* 40. *ſpacia quadrata.*40. *vſus.*41

Templi cultus 43. *typus* 44. *columnæ duæ ante templum.*240. *Earum nomina. ibid. Ornamenta.ibid. In templo cur tot culinæ* 245

Tentorii Hiſtoria 24

Θυρωρεῖον 31

Terræ Sanctæ diſtributio generalis. 52. *Pars principis* 53

Terrà Iordanis. 98. *Terræ dividendæ quantitas.* 97. *Privilegium Ephraimi & Manaſſis.*97. *diuiſionis æqualitas.* 97. *hæreditatis certitudo.*97. *terminorum deſcriptio.* 97. *latus aquilonare.* 97. *Orientale, Auſtrale, Occidentale.* 98. *Terræ diviſio.* 98. *diviſionis conditiones.* 99. *quibus dividenda.*99. *qui peregrini non excludendi.* 99. *Locus ſortis aduenæ* 99

Tributum Iſraëliticum. 67

Typorum conſenſus. 12. *Typus de hirco peccati.*207. *Scalæ Iacobi* 209

Tyrii Regis munus in ſtructura templi Ieroſolymitani. 75

V.

Verris furta 82

Viduæ minuta duo. 82

Virginitas ſpiritualis puritas eſt, & integritas à falsâ doctrina 261

Viſionis Propheticæ ſcopus & argumentum. 2. 110. *diuiſio.* 3. *circumſtãtiæ.* 3. *tempus.* 3. *modus.* 4. *locus.* 4. 5. *autor.* 4. *Eius cultus & aſpectus.* 4. *Inſtrumenta.* 5. *Vtilitas.* 5. *Spirituales ſignificationes in hac vita, nemo ſufficienter interpretabitur.* 107. *Viſio non eſt de rebus terrenis.* 108. 109. *Cur Spiritus Sanctus hanc viſionem tàm obſcuram eſſe voluerit* 110

*Vncia.*87. *Eius diuiſiones* 87

Vnio Cleopatræ 82

Votivarum rerum precia, & redemptiones. 66

Vſus contemplationis templi Hieroſolymitani. 26

IV.

INDEX PRÆCIPVORVM aliquot locorum ex Authoribus ſuis citatorum.

Ælii Lampridii locus de Republica benè conſtituta. 154

Amandi Polani locus: communicationem nihil eſſe aliud, quam vnionem. 296. 297

Ariæ Montani opinio refutatur. 22. locus de Saro. 54. de ſiclo. 66

Athanaſii locus de vnitate fidelium. 156

Auguſtini locus de cauſis & vtilitatibus obſcuritatum in S. S. 111. de omnipræſentia totius Chriſti. 295

Bezæ locus de abſoluto decreto Calvinianorum. 119. 141. de immutabilitate fidei. 135 de negata omnipræſentia. 293. communicationem nihil aliud eſſe, quàm vnionem. 296. 297

Brocardi loc. de mari mortuo. 330

Budæi loc. de Seſtertio. 81

Buxtorfii loc. de punctis Hebræorum. 174

Calvini loc. de abſoluto decreto. 119. 141

Ciceronis loc. de denario 78. de providentia Dei. 163

Colloquij Ratisbon. de judice controverſiarum. 184

Concilij Chalcedonenſ: vnionem factam eſſe indiſtanter. 298

Cyrilli loc. de vnitate fidelium. 156. 157. 158. 159

Damaſceni loc. de communicatione naturarum. 294. de vnione. 298

Diocletiani dictum: Nihil difficilius, quàm benè imperare. 154

Eliæ Levitæ loc. de punctis Hebr. 174

Epiphanii loc. de 72. Interpretibus 23

Georgii Weigenmeieri monumenta Hebr. commendantur. 112

Gilberti Genebrardi de punctis Hebr. 173

Glareani loc. de libra. 87

Hieronymi loc. de Siclo. 80. de calamis. 104. de difficultate & obſcuritate viſionis Ezechielis. 1

Ioſephi

Ioſephi loc. de cenſu Veſpaſiani. 80. de Siclo. 66. de mari mortuo. 338
Irenæi loc. de vnitate fidelium. 159. 160. Ex Euchariſtia concludit reſurrectionem mortuorum. 164
Iuſti Lipſii loc. de Spaciis. 123
Keckermanni: & Krellii loc. de negata omnipræſentia. 294
Livii loc. de Bello Macedonico. 77
Lutheri loc. de difficultate, & obſcuritate viſionis. 1. de vnione perſonali, & maieſtate Chriſti hominis. 299. 300. 301
Menandri loc. de talento. 70
Moſis Gerundenſis de Siclo. 66
Mæſtlini demonſtratio de anno Iubilæo. 4
Nicolai de Lyra loc. de calamis. 105
Octavii Cæſaris loc. de Sale. 311
Origenis loc. de Sale. 311
Orthodoxi Conſenſus, nullam eſſe naturarum communicationem. 297
Paræi loc. de abſoluto decreto. 141
Petri Cevallerii loc. de punctis Hebr. 174
Petri Galatini loc. de nomine Iehova. 143. 148. 169
Piſcatoris duo deſperati Syllogiſmi. 219
Plinii de mure Caſilinienſi. 78. de mari mortuo. 95. de aſſario. 81. de Denario. 77
Rabbi Sedaiæ τετράσιχα. 313
Senecæ dictum ex Lactantio de inertibus Philoſophis. 315
Strabonis de mure Caſilinienſi. 78
Zanchii loc. de immutabilitate fidei. 135

Errata, quorum prior numerus paginam, poſterior lin. denotat.

Pag. 4. *lin.* 47. lege *indice.* 11. 28. *Profeſſoribus.* p. 13. l. 38. & 39. *Kikarim.* 14. 15. *miſi* pro *mihi.* 20. 43. *thalamis.* 22. 23. *vtrinq.* 22. 39. *Fortalitium* 27. 10. *pertinuerunt.* 29. 8. *ſemipedis:* pro *ſeſquipedis.* 29. 24. *Muri atrij extremi:* pro *huius muri.* 30. 4. *quadã & exedræ* 31. 5. *viginti quinque.* 31. 49. ἐναίθριον. 32. 12. ἐναίθριος. 32. 34. *thalamorum item,* 33. 4. *exornata.* 33. 22. *aſcendebatur.* 35. 39. *ſanctæ.* 45. 53. *ſumma* 31½. p. 53. l. 3. *tũ* ꝑ *ait* 55. 29. *quadringenta.* 60. 11. *vnum* ꝑ *vanũ.* p. 60. l. 13. & 14. 960. pro 9600. 60. 22. dele *mẽſuræ.* 62. 24. *vicies mille bathos vini.* p. 62. *ad marg.* 187½. ꝑ 189½. 68. 47. אֵיפָה 73. 6. lege 75. pro 70. 73. 11. *ſingulos.* 73. 16. *ſiclis* pro *minis.* 78. 15. *hactenus Val. Max.* 80. 6. lege 266666⅔. p. 81. l. 30. *cuius nota hæc eſt* HS 82. 17. ita diſt. *reduces: Per* 60. *videl. in florenos. Per* 100 *in coronatos ſeu ſcutos.* 82. 30. del. *Seſtertium.* 82. 33. *duplum & dimidiũ.* 87. 22. *quincunx.* 88. 12. *cruciatos* pro *crucigatos.* 89. 13. *decade.* 89. 14. *chomere* pro *chomeris.* 93. 23. מְחֻקְצָעוֹת 96. 52. קָוֶת 107. 44. *ſpiritualis* ꝑ *ſpecialiter* 109. 15. *quarum.* 109. 16. *vna.* 109. 17. *media, tertia.* 114. 45. *impunitatem* 114. 49. *ſpiritualis* ꝑ *ſpecialis.* 116. 46. *magiſtratum.* 118. 41. *venerint.* 129. 3. *decies quater mille* 130. 26. *habitent.* 131. 52. *qui.* 132. 13. *cubiti quinquies milleni* 132. 26. *decies octies.* 147. 27. del. אֶחָד 156. 7. *quemadmodũ* ꝑ *ſecundum.* 159. 35. diſtingue per colon, *unitur:* 169. 24. *confidenter.* 172. 7. *Marcoduranus.* 173. 41. & 44. *Gilberti.* 173. 47. *Honorii.* 174. 53. *quas* pro *atq.* 176. 15. *Hieroſolymæ.* 176. 51. *nimium.* 182. 22. *etenim* pro *etiam* 183. 34. *propinquus.* 188. 6. *tamen.* 189. 9. *Iebuſæus.* 189. 21. & pro *ut.* 189. 23. *ut* pro &. 190. 50. *montem ipſum.* 190. 51. *contemplamur.* 195. 14. del. *atrium.* 197. 16. *inuncta.* 200. 8. *ex mortis.* 205. 8. & *favor* ꝑ *fervor.* 210. 33. *proponit Apoſtolus in.* 215. 1. *deprimere.* 218. 44. *formicæ.* 219. 25. *oppoſitis.* 222. 20. *fabuloſa.* 223. 27. *quãtam.* 228. 41. עַם 231. 11. *ex muliere* ꝑ *ſub* 232. 10. *laus.* 234. 2. σφέγγις 235. 14. *Moſis* pro *Muſices.* 243. 24. *poſſe.* 243. 45. *imponunto.* 244. 18. *Leoninæ.* 248. 48. *mandanti.* 254. 38. dele, *non* 254. 39. *rimas.* 254. 50. *ꝑfectionis,* 264. 31. *inhabitat.* 266. 50. *debita.* 273. 41. *vaſtus.* 277. 48. *minutatim.* 278. 22. *rideres.* 296. 42. *etiam in unione.* 319. 48. *leges.* 328. 29. *obſtreperum.* 329. 38. *decus* pro *domus.* 337. 28. *irrogationum.* 339. 50. *affluenter.* 340. 27. *redolent* pro *reddent.*

F I N I S.



Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google